



670



IN NUMISMATA
ÆREA
MAXIMI MODULI
ANIMADVERSIONES.


ALOYSIUS PISANUS
VENETIARUM DUX
PIUS OPTIMUS FELIX
Pet. Vberti pin.
An. Visentini Orn.
Barth. Criuelari del. et inci.

IN NUMISMATA


ÆREA SELECTIORA

MAXIMI MODULI

E MUSEO

PISANO OLIM CORRARIO

ANIMADVERSIONES.



IN MONASTERIO BENEDICTINO-CASINATE
Sancti Jacobi Pontidæ Agri Bergomatis
Apud Joannem Santinum Sumptibus Societatis
ANNO MDCCXLI. SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO

S. R. E. CARDINALI

AC BIBLIOTHECARIO

ANGELO MARIÆ QUIRINO

EPISCOPO BRIXIENSI

D. ALBERTUS MAZZOLENUS ABBAS BENEDICTINO-CASINAS.



QUÆ prius conceperam, ſolutis Commentariorum nuncupatione votis, pari religione, quæ ſecundo ſuſcepi, ſoluturus, has meas Animadverſiones Tibi, CARDINALIS EMINENTISSIME, ea, qua decet, veneratione ſiſto, Nominique tuo dico. Timenti olim ma-

magnopere mihi & illis Tu animos, cunctantique ſtimulos ad eas in publicum emittendas non addidiſti tantum, verum etiam, ut multis ego contendi precibus, quarum auſpex fueras, Patronum pro tua clementia Te ſpopondiſti. Summam itaque voti hujus mei conſecutus, alterius, cui reddendo præſto nunc adſum, evaſi reus. Principem præterea dignitate doctrinaque Virum principes in re nummaria, (quæ non minima Reip. litterariæ pars), quæſtiones poſcebant ſibi; nec minori patrocinio, eoque, tamquam de focis, domeſtico, pro tenuitate ſua, quæ ſane multa, indigebant. Alat vero licet multos Benedictinus Ordo ſcientia, moribus, dignitate, omnique genere laudis excellentes Viros; quum tamen unum, in quo ſumma ſint omnia, Te univerſi ſuſpiciamus, hujusmodi tutela Te unice manebat. Clariſſimis ortum natalibus, maximoque inſtructum ingenio, tum inter pietatis exempla alitum, educatumque inter ſtudia, tantus à puero Te cepit virtutum ac litterarum amor, ut protinus, quantus es, ſperari potueris. In ſacram itaque Caſinatem familiam adoleſcens adoptatus, adeo nava virilique opera incubuiſti in litteras, ut Latinæ in primis Græcæque Linguæ peritiſſimus, & eloquentia longe præſtantior, tum politiorum Diſciplinarum ſcientiſſimus brevi emerſeris. Hinc gra-

graviorum ſacrarumque facultatum doctrina apprime potitus, ac magiſterio perfunctus, prima Litterariæ Reip. ſubſellia meruiſti, converſaque in Te Litteratorum omnium ac ſtudiis doctrinisque deditorum obſequia. Quæ res eo devenit, ut dubitandum fuiſſet, ne, quibus Te audire tuoque uti conſortio contigerat, in invidiam traherentur, niſi reliquam Italiam, Germaniam, Gallias, atque Britannias adiiſſes, tuique copiam aventibus feciſſes. Ad ſcientiam maximarum rerum & bonarum artium diſciplinam cumulus acceſſit virtutum; maturati quapropter tibi a noſtris tum litterarii tum ſacri honores, delataque omnium maxima Abbatis dignitas. Supremis, qui reliqui erant, Magiſtratibus deſtinatum majora Te occupaverunt. Sapientiſſimus enim Pontifex Max. Innocentius XIII. bono non unius tantum, licet ampliſſimæ familiæ, ſed totius Chriſtianæ Reip. Te natum intelligens, Archiepiſcopum legit Corcyrenſem, Græcisque præfecit Græce doctiſſimum. Dei Optimi Maximi providentia id factum, ut, quos in fide retinere ſcriptis editisque libris jam ſtudueras, ſermone confirmares; urgeresque præſentia, quos ad mentem revocare curaveras. Nec vero, quæ de Te concepta erat, ſpem fefelliſſe, inaudita illa, quibus te exceperunt, quibusve detinuerunt utriusque re-

ligio-

ligionis homines, obſequii & honorum teſtimonia abunde manifeſtant. Hæc autem omnia elicuit nedum par tui exſpectatio, ſed, quæ eos poſtea cepit, admiratio; quippe exſpectationem ipſam ſuperaſti; non modo enim in re ulla ipſorum propria hoſpitem te numquam exhibuiſti, ſed præter Latinam, Græcanicam omnem omnis generis omnisque ætatis eruditionem Te ſupra captum callentem obſtupuerunt. Primordia Corcyræ Cives ipſos edocuiſti, Græcosque omnes erudiiſti. At, quod magis æſtimandum, piiſſimi doctiſſimique Epiſcopi partes ita impleviſti omnes, ut admirandum omnibus, ſed non facile imitandum reliqueris exemplum.

Fama itaque Paſtoralis tuæ curæ doctrinæque magna cum gloria ubique percrebreſcente, de ampliando Tibi, quo utilior eſſes, imperio Benedictus Papa XIII. cogitans, majoris ordinis Eccleſiam, Brixianam ſcilicet adminiſtrandam ornandamque commiſit. Nihil Corcyræis Græcisque omnibus triſtius accidere potuit: Brixiani e contra omnibus inceſſi lætitiis ſunt; captaque ſemel voluptate perfrui, eis hucuſque conceſſum. Non tamen adhuc bono publico conſultum ſatis, aut meritis tuis ſatisfactum exiſtimans Sanctiſſimus idem Pontifex, eminentiſſima, ſibique proxima dignitate, Deo adflante Te auxit. In ſacrum

pur-

purpuratumque Conlegium cooptatus, & in partem ſupremæ Chriſtiani imperii adminiſtrationis adſumptus, virtutibus ac rebus creſcere viſus es. Magnum itaque exemplar Te ipſum in primis ſtatuens, doctrinæ ac pietatis ſacrorum Miniſtris, clementiæ Summatibus, juſtitiæ Magiſtratibus, omnibus prudentiæ, morum ſuavitatis, concordiæ, ceterarumque virtutum, Religionis præſertim documenta præſtitiſti; univerſos tui ſimiles, quum optimus ſis, efficere curans, omnibus tamen ſemper ipſe præſtantior manens. Liberaliſſimus in pauperes, munificentiſſimusque in ſacras ædes, Templum Brixiæ maximum, auguſtioribus jactum principiis, cui propterea continuando ipſa ſua magnitudo oberat, conlecta a Te, confertaque de tuo magna ſtipe ita produxiſti, ut mole ac majeſtate ſua jam turgeat, admirationemque excitet, ſtupori proxime futurum. Epiſcopium quoque cum atriis & veſtibulis ornaſti, Romanumque Divi Marci Palatium cum ejus Templo, cujus titulo gaudes, nobilitaſti. At titulum adeptus Bibliothecarii S.R.E., (quem honoris plenum gerere, ejusque munus obire, pro magno ſemper quique Cardinales habuerunt), celeberrimam omnium eam Bibliothecam tot ac tantis iisque pretioſiſſimis auxiſti Codicibus, ut, quum foret jam maxima, ſui incontinens ampliari ac

duplicari debuerit, prolato dedicatoque, (auſpicante tecum Summo Pontifice Clemente XII.), pomerio. Hinc legibus & inſtitutis ita eam foves, præſentiaque ornas atque fecundas, ut plurimos ac præclaros pariat fructus, plurimosque alat doctos Viros & ſtudiis deditos, ſapientiori numquam nupta Viro, nec feracior umquam. Ex hac Litterarum ſede multis in totam Remp. dimanantibus bonis, uberiora Brixianæ tuæ Provinciæ beneficia proveniunt: in hanc enim Roma, (quo bis in anno illam inviſurus de more tuo, ſine exemplo quidem, ſed non ſine magna laude publicaque utilitate pergis), nonniſi copia inſtructus eruditionis reverteris, tuosque ditas & beas. Tum e provincia opibus dives ingeniorum Brixianorum ad Urbem redis; & ſic utramque ſtudiorum viciſſitudine beneficiorumque remuneratione conjunctam tenes. Tu de tuo Roma Brixiam adtuliſti Vitam Paulli Papæ II., alteramque Epiſtolarum tuarum decadem, tum S. Ephræm Syrum tua cura editum: Brixia vero retuliſti Romam Primordia Corcyræ recuſa & aucta, priorem Epiſtolarum decadem, Diatribam præliminarem ad Epiſtolas Franciſci Barbari, hujusque & aliorum ad ipſum Epiſtolas, tum etiam SS. quatuor Brixiæ Epiſcoporum Opera, Te curante typis & notis inluſtrata. Quibus omnibus ne dum

Bri-

Brixiam & Romam, sed universam litterariam Remp. tibi in perpetuum devinxisti, devincturus adhuc iis, quæ præ manibus ac mente habes, nec finem benemerendo facturus, irrequies & exsomnis Vir, bonoque litterarum natus & vivens. At id miraculo propius, Te, quum totus in studiis sis, adhuc totum etiam esse in pastorali munere, & interdiu noctuque diligentissime ac piissime episcopari, & Cardinalem agere, mira quadam & incredibili atque inenarrabili religione. Cujus gravissimum illud comparandumque antiquis exemplum non est fraudandum memoria, novas Te ditioris Ecclesiæ nuptias, ut tuæ adhæreres, recusasse. Ita etiam Bibliothecarii munus alteri majoris potentiæ, quod Tibi offerebatur, officio prætulisti. Quapropter maximæ illi maximorum Numismatum conlectioni adhuc præes, quam, summa cura summaque impensa ab Eminentiss. S. R. E. Cardin. Alexandro Albano comparatam, intulit in Vaticanam Bibliothecam, Te hortante Clemens idem XII. Præterea non Codices tantum, sed & nummos antiquos Tu ipse cumulas. Antiquarios simul antiquitatisque studiosos foves ac protegis, optime intelligens, quantum sacris ipsis studiis, non tantum aliis, jam contulerint, & etiamnum conferant hæc monumenta. Tibi itaque Rei nummariæ non minus,

quam

quam reliquæ litterariæ Reip. Oraculo ac Vindici has nummarias exercitationes, tum ut muneri ſatisfacerem meo, tum ut præſidium illis maximum pararem, nuncupavi. Quare reſtat, quod & precor enixe, ut, quæ Vota ſolvo, grata habeas, & patrocinium, quo me tueri pergis, his etiam Animadverſionibus clemens impertias.



BENIGNE LECTOR.



Ccurrendum in primis heic eis existimo, quos mirari aut subiit, aut forte continget, me, quem sacratioribus studiis obstrictum tenet Religio, nummariis aliisque profanis haud parum incubuisse. Hinc pro grati animi officio ii, per quos in hoc genere studiorum profeci, cum laude nominandi; ac demum instituti mei reddenda est ratio.

Quo igitur tempore Venetiis in celeberrimo D. Georgii, ut vocant, Majoris Monasterio, ubi cucullum indui, Theologicas scholas junior adibam, Veteris ejusque Divini Testamenti historiam succisivis horis legere maxima voluptate cœpi; nec minori postea illam Novi Ecclesiasticamque percurri. Tantus autem sacratissimi hujus studii amor incessit animum, ut ei meipsum, quantum licebat, jam tum devoverim. Quum vero plura ad id necessaria persensissem, interque ea omnigenam Græcæ ac Romanæ, præsertim nummariæ antiquitatis peritiam, huic etiam pro viribus comparandæ addicere me statui.

Florentiam itaque, quo destinatus fueram, perductus, & in præclara illa studiorumque cultrice Abbatia degens, præter domesticas exercitationes, domum frequentare cœpi, Eruditorum facile Principis, Antonii Mariæ Salvini. Is, quum ejus essem auditor adsiduus, magnam quotidie omnis generis, græcæ in primis, qua summe pollebat, eruditionis copiam suppeditabat, penumque maximam ad inlustranda antiquitatis monumenta, pro incomparabili sua humanitate, conferebat. Hebraicæ vero eruditionis addiscendæ caussa magisterium subii Doctoris vere docti Sebastiani Medicei, publici in Lyceo Florentino Linguæ sanctæ Professoris. At in re nummaria Sebastiano Bianchi, Regiæ Celsitudinis Cosmi III. Magni Ducis Etruriæ Antiquario, instituendum me tradidi. Qui quidem pro multo erga me amore, proque multa sua doctrina & experientia me ita excoluit, & in copiosissima illa ac vere Regia nummorum aliarumq; antiquitatum conlectione, (cujus Custos eruditus Jo. Franciscus ejus Frater), tum etiam nummariis quæstionibus & Antiquariorum elucubrationibus exercuit, ut, quum & ego haud paucam pro ingenii mei tenuitate navassem operam, nonnihil in hoc studio profecisse visus sim. Erat tunc temporis Florentiæ Cl. Marchio Scipio Maffejus, bono quidem studiorum omnium, sed maxime hujus generis natus, mihique aventi avens & ipse animos stimulosque currenti addebat, facem præferens. Ad Philippum quoque Bonarotam Senatorem amplissimum, qui Primatum in re ipsa nummaria nedum Florentiæ, sed intra extraque Italiam ipsis concedentibus Antiquariis tenebat, quamvis plurimis gravioribusque Magni Ducatus negotiis distentum, facilis mihi patebat aditus, frequensque Virum scientissimum conveniebam. Is autem e thesauro, quem pleniorem possidebat, reconditæ doctrinæ penitiora promere, meque iis ditare jugiter amabat. Quumque totus etiam essem in perlegendis ejus operibus, hæc ipsa, quamvis eruditissima ornare sermone non cessabat. Ab aliis præterea offerebantur, passimque occurrebant conspicienda atque tractanda nu-

 mis-

mismata cum Inſcriptionibus aliisque antiquitatis monumentis, quibus ea Urbs ac regio abundat. Suppetebat etiam Librorum copia; ac pro magno exemplo & veluti pro lumine præſenti erat Valſechius noſtras, quotiescumque Piſis, ubi Sacram Scripturam publice ac maxima cum laude in percelebri illa Univerſitate interpretabatur, abeſſe contingebat. His omnibus acceſſit ſchola, ſi quæ alia utilis atque neceſſaria, hominis cujusdam Galli Florentiæ morantis, cujus, quemadmodum in ſimulanda nummorum antiquitate ars præcipua, ita in diſtinguendis veris à falſis, (quod Antiquario maxime neceſſarium), peritia erat ſingularis. Longe hic omnes anteceſſit, quotquot imitandis aut falſandis Veterum nummis operam dederunt. Antiquorum forma fundebat novos; inveneratque modum ita eos jam fuſos percutiendi, ut aliqua in parte aperirentur, & malleo aut cuneo ſciſſi viderentur. Hinc expolitos tenaci & ad vetuſtatem compoſito obducebat colore, (Italice *vernice, patina*). Multus jam fuerat, eratque adhuc, contra meliorum meique vota atque ſuaſiones, in hac arte, quam tamen minime malam is autumabat, ſuoque commodo exercebat. Per pecuniam, ſicuti veris ſimillimos quosdam ejus fabricæ nummos mihi comparavi, ita quædam ab ipſo didici, dignoſcendæ numiſmatum ſinceritati maxime conducentia, quæ ab aliis fruſtra quæſiſſem. De eo rurſus alibi (1); & laudatus Valſechius (2) in nummariis ſuis Diſſertationibus, ubi artem & rationem prodit, quas in confingendo quodam Anniæ Fauſtinæ, Elagabali Uxoris, nummo artifex tenuit.

(1) *Animadv. de Tr. Pot. n. XXVIII.*
(2) *De Trib. Pot. V. Elagab. c. 4. & de init. Sev. Alex. c. 10.*

Florentia poſt ſextum moræ jucundiſſimæ annum decedens, Bononiæ Joſephum Magnavaccam celebrem Antiquarium conveni; hinc Parmam progreſſo clementia *Sereniſſimi Ducis* Francisci Farnesii in ditiſſima illa nummorum ac ceterarum antiquitatum Gaza exſpatiari exſaturarique licuit. Amicitiam quoque inire placuit cum Bernardino Lolli, erudito ejusdem *Farneſii*, nunc Regii Neapolitani Muſei Cuſtode, tum etiam cum P. Petro Pioveno S.J., Sereniſsimæ ejusdem Celſitudinis Antiquario Cl., cujus in nummariam Remp. merita evulgant duo tomi, quos ad inluſtrandum idem Muſeum prioribus octo æque Cl. P. Pedruſii ejusdem Soc. addidit. Singulos decem munere Seren. Ducis habui, ejusq; patrocinio frui exinde conceſſum. Alius in ea Urbe ſe mihi cognoſcendum præbuit, qui fundendis ad exemplum antiquorum nummis operam aliquando impenderat.

Venetias adpulſus, ſingulari humanitate ab Excell. Senatore Jo. Dominico Theupolo exceptus ſum, & in ampliſſimo ejus Cimelio non tantum morari, ſed dies integros traducere tunc & poſtea permiſſus. Pari dignatione plures alii Viri nobiles & eruditione conſpicui inſtructiſſimas ſuas numiſmatum ſeries & plurima alia antiquitatis monumenta videnda atque conſideranda exhibuerunt. Honorius vero Arigonus Civis Venetus penum ſuam opulentiorem aperuit, apertamq; in poſterum mihi voluit. Summo is ſtudio ſummaque impenſa nummos plurimos omnis generis conlegit; nec minori cura Antiquarios ſtudioſosque antiquitatis ſemper coluit; non paucas etiam tabulas ineditorum numiſmatum typis vulgavit, plures adhuc vulgaturus, nec finem de nummaria Rep. benemerendo facturus. Acceſſit amicitia Petri Fundi peritiſſimi Antiquarii, cujus dili-

genti

genti opera in publicando eodem Museo Theupolo usi sunt non sine obsequio nominandi Excellentissimi DD. Laurentius Eques ac Divi Marci Procurator & Federicus Senator Fratres Theupoli, ad quos legato ea antiquitatis gaza pervenit. Placuit quoque de facie cognoscere, qui juvandi alterandive scalpro seu viriculo nummos antiquos callebat artem. Aberat tunc temporis, Viennæ Poetam & Historicum agens Caroli VI. Imperatoris Apostolus Zenus, nummis ac nummorum aliarumque disciplinarum scientia prædives: hinc ad ejus reditum, qui aliquot post annos contigit, dilatus mihi Viri hujus Cl. amicitiæ fructus & honor.

Patavium delatus, & in Archicœnobio D. Justinæ quiescens, summorum in litteris Virorum contubernio atque consortio frui, pro magno habui. Volupe vero inter cetera fuit, Marchionem Joannem Polenum, Mathefeos in celeberrima illa studiorum Universitate non minus celebrem Professorem, multigenaque doctrina ornatum, offendere versatum in controversia illa gravissima de Tribunicia Potestate Elagabali, quam post alios insignes Viros Turrius, Vignolius, ac Valsechius, insignes & ipsi tanta eruditione tantoque plausu pertractarunt; quæque pars est haud modica nostræ de Tribunicia omnium Imperatorum Potestate Animadversionis. In ea duce ac comite Turrio se exercuerat Polenus, meque peritissimus exercere potuit.

Atque hi sunt Viri præcipui, quibuscum de nummaria deque profana eruditione coram agere, ac per eos proficere mihi datum. Fuerunt & alii non pauci, quos aut sermone præsenti consului, aut quos inter epistolæ intercesserunt nummariæ; verum hos omnes enumerare longum, minimeque necessarium; sicuti nec opus esse credo, ut Libros omnes, quos legi, recenseam atque commendem. Non tamen præteream, Opera omnia nummaria, quotquot invenire avidiore diligentia potui, me legisse, mihique omnia profuisse: quod lubens fateor. Infortunio autem damnoque mihi verto, quod tardius in manus mihi venerint Volumina, & quidem priora tantum duorum eorumque Clarissimorum Antiquariorum, Rodulphini Venuti & Antonii Francisci Gorii. Eruditissimas in Vaticana maximi moduli Numismata Notas Venuti non ante habui, quam typi Commentariorum meorum ultra Commodum, in quo eæ quiescunt, processissent. Adhuc vero serius percurrere potui præclaras Gorii in Numismata similiter maximi moduli, quæ in Regio thesauro Magni Ducis Etruriæ adservantur, Observationes, easque nonnisi usque ad Sept. Severum. Incognitæ ita etiam antea mihi fuerunt doctissimæ Bimardi in Scientiam Joberti nummariam Notæ, quibus demum visis, addenda nostris Animadversionibus aliqua fuerunt.

Officio grati erga eos animi, qui præsidium mihi in re præsertim nummaria præstiterunt, functus, ad nostra venio. Quum igitur hæc ita fuerint, versari me in hujusmodi studiis volutarique contigit. Ut tamen verum fatear, hæc ipsa tot & tanta, quemadmodum multam mihi præbuerunt proficiendi occasionem, ita etiam plura ingesserunt dubia, suspensumque in multis me reddiderunt: observatum enim, in varias haud raro abiisse Viros ipsos Librosque sententias; nec tutius uni præ aliis adhærere

quan-

quandoque visum. Ita vero hæsi, usquedum onus explicandi Pisana maximi moduli Numismata subeundum fuit. Hanc provinciam ut ingressus sum, intimiusque in eam penetravi, pluribus gravibusque difficultatibus occupatum me sensi, quibus quum alienas opposuissem sententias, non semper aut omnino illis aut mihi satisfactum credidi. Mecum igitur ipse considerans, liberum sibi quemquam hucusque existimasse his de rebus pro placito opinari, indeque factum, ut tam diversa inter se Antiquarii censuerint, reservatum & hoc mihi, sicut & in posterum reliquis arbitratus sum. Necessitate itaque adactus novas opiniones, quoties non placuerunt alienæ, excogitare ceterorum exemplo & ipse cœpi. Sed, (quod fere accidit), facilius aliena destruere, quam struere nostra, sæpe mihimetipsi videbar. Non tamen despondi animum, sed ita demum institi, ut, quum non suppeterent rationes, verosimilia quærerem. Non modicum porro temporis ac laboris excogitandis describendisque hujusmodi placitis insumendum fuit; vagari enim mente manuque diu contigit: exhibenda quoque fuerunt & expendenda aliorum placita, saltem celebriora. Quapropter ita res crevit, ut *Commentariorum*, (quo nomine donare placuit Pisanorum Numismatum explicationes), terminos nimis excederet, eamq; sejungi oportuerit. Idipsum ordo quoque postulabat; universales enim ut plurimum sunt hujusmodi quæstiones, & plura tangunt numismata, adeoque uni potius ex his quam alteri applicandæ non erant. Eas autem in ordinem redactas *Animadversionum* titulo inscripsi. Parum tamen mihi fidens, integras subjeci judicio doctissimorum, quos laudavi, Virorum Poleni, Valsechii, atque Gorii. Pluribus quoque aliis rei nummariæ peritis modo unam, modo alteram aut de scripto legi aut per litteras indicavi. Brevi omnes consului, quotquot potui, semper edoceri corrigique paratus, quin etiam tenebris obruturus, aut flammis, ut ex animo sæpe professus sum, addicturus scripta ipsa, si displicuissent. Attamen evenit, ut ad ea publici juris facienda sæpius excitatus sim, ac pæne compulsus. Ego tamen mihi & illis timere non desinens, jacentia, ac veluti sepulta per aliquot annos detinui. Brixiam demum accitus ab Eminent. Cardinali Angelo Maria Quirino, ejus judicio, cui vel minimum refragari mihi nefas, animum recepi, meque evulgandis ipsis scriptis sine mora adjeci. Editis autem primum *Commentariis*, nunc prodeunt Animadversiones, quas circa duo a te, benigne Lector, enixius peto, unum, ne rerum novarum me cupidum credas, multoq; minus aliorum me mihi sumpsisse censuram; quum sola necessitate novis opinionibus studendum fuerit, & aliorum placita referenda atque examinanda: alterum, ut, si quid displicet, amice moneas. Ego certe ab omni prorsus cujusque injuria cavendum mihi duxi: quod si aliquid inconsideranti excidit, ut hoc a me, aut ex aliis noverim, mox corrigam. Id quidem magis vereor, ne in æstimandis aliorum sententiis adstruendisque meis opinionibus peccaverim; at paratissimo animo sum cuiq; satisfacere, & veniam errati poscere. Restat igitur, ut, postquam patientia in legendo usus sis, clementia, ut precor, utaris in monendo. Vale.



ANIMADVERSIO I.

DE

IMPERATORE.

I. 

Mperatoris nomen, quod integra Romana Rep. ſummis bellorum Ducibus ob victorias, tum aliis, qui plenam imperii alicujus adminiſtrandi poteſtatem habebant, deferri ſolitum erat, ſublata ipſa Rep., ſupremi in orbe Romano faſtigii atque dominii cognomentum evaſit; eoq; deſignari conſueverunt ii, quibus præeſſe ac ſummum imperium gerere contigit, non tamen antiquata ejuſdem nominis, tamquam tituli ob victorias, ratione, ſed utraque integra. *Nominis Imperatorii ſtante ac ſublata Rep. ſignificatio.*

II. Ut vero a nomine *Imperatoris* ob victorias utpote antiquiore, quodque alterius *Imperatorii* nominis cauſſa vel occaſio fuit, incipiamus: conſtitutus erat comparando eidem *Imperatoris* ob victorias nomini quidam ipſarum victoriarum modus, certuſq; cæſorum numerus; qui tamen variaſſe pro temporibus dignoſcitur. *Veteribus* (*a*) *& priſcis* Ducibus *Imperatorium nomen addebant contecti cædibus campi, & infecta victoriis maria*. Ante & circa bellum Marſicum ſeu Italicum, quod anno U. C. DCLXIII. cœpit, *mos erat militibus Romanorum, ſi Dux exercitus prælio cum ipſis adverſum hoſtes conſerto, ſupra* VI. *millia hoſtium occidiſſe videretur,* Ἰμπεράτορα αὐτὸν ἀναγορεύειν, *ipſum renuntiare Imperatorem* teſte Diodoro (*b*). Et ut tempora *Cæſorum numerus parando Imperatoris ob victorias nomini neceſſarius.*

(a) Plin. in Panegyr. Trajani cap. 12.

(b) Ecloga 3. Lib. XXXVI.

adtingamus, de quibus acturi sumus, Cajus Antonius, quum conserto per Petrejum prælio, Catilinam καὶ ἄλλους τριχιλίους (a), *& cum eo tria millia hominum* acerrime decertantium, haud incruenta licet victoria cecidisset, Αὐτοκράτωρ ἐπὶ τῇ νίκῃ, καίτοι τοῦ ἀριθμοῦ τῶν πεφονευμένων ἐλάττονος παρὰ τὸ νενομισμένον ὄντος, ἐπεκλήθη, *Imperator ejusdem victoriæ caussa, quamvis cæsorum numerus constituto minor esset, appellatus est*. Paullo post Cicero Hirtium & Pansam Coss. ac præterea Octavianum Cæsarem post commissum apud Mutinam cum M. Antonio prælium, appellandos censuit *Imperatores;* idq; suasit tum aliis, tum his ad Senatum verbis (b): *An, si quis Hispanorum aut Gallorum aut Thracum mille aut duo millia occidisset, non eum hac consuetudine, quæ increbuit, Imperatorem appellaret Senatus?* Antea vero dixerat: *Etenim cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non Imperator appellaretur? aut minimis rebus gestis aut plerumque nullis?* De se vero, quum Proconsulem ageret Ciliciæ, satis magnifice ita scribit: (c) *Magnum numerum hostium cecidimus, castella munitissima cepimus, incendimus, Imperatores appellati sumus*, & quidem *victoria justa* (d), ut alibi tradit. Appianus autem, qui imperantibus Hadriano & Antonino Pio floruit, testatur (e), νῦν δὲ ὅρον εἶναι τῆσδε τῇ εὐφημίᾳ πυνθάνομαι τὸ μυρίους πεσεῖν, *ætate sua* Imperatoris titulum *militari acclamatione deferri non consuevisse, nisi cæsa forent decem hostium millia*. Adnotat idem historicus (f), id honoris olim ipsis Ducibus conferri solitum a militibus suis, καθάπερ αὐτοῖς ἐπιμαρτυρούντων ἀξίως σφῶν αὐτοκράτορας εἶναι· καὶ τήνδε τὴν τιμὴν οἱ στρατηγοὶ πάλαι μὲν ἐπὶ πᾶσι τοῖς μεγίστοις ἔργοις προσίεντο, *quasi ipsis testificantibus eosdem Imperatorio nomine dignos esse; ac Duces quidem post maximum quodvis belli facinus, illud admisisse*. At vero imperantibus Augustis, parabantur ipsis hujusmodi appellationes, eorumque auspiciis Duces militabant atq; vincebant. Hinc, quum Julianus Cæsar præfectus Transalpinis a Constantio Imperat., nationes feras brevi subegisset, captis famosis Regibus, *quæ*, inquit Victor, *quamquam in ejus fortuna, Principis tamen & consilio accidere*; notatque Tiberium Galeriumq; subjectos aliis egregia pleraque, suo autem ductu & auspicio minus paria expertos fuisse. Quapropter alii eisdem Ducibus deferebantur honores, titulus vero *Imperatoris* iis, qui imperium administrabant, & quorum nomine res prospere in bello accidebant, reservabatur. Tiberius quidem imperante Augusto aliquoties Imperator dictus est, Dione (g) nummis-

(a) Dio Cass. Lib. XXXVII. pag. 47. E. & 48. A.

(b) Phil.pp. XIV. cap. 5.

(c) Lib. V. ad Attic. Ep. 20.

(d) Lib. II. famil. Ep. 10. ad M. Cœl. Ruf.

(e) Lib. II. Bell. Civil. p. 455. al. 747.

Duces olim sibi, postea Augustis nomen Imperatoris ob victorias parabant.

(f) Ibid.

(g) Lib. LIV. pag. 544. E.

nummiſque teſtibus: Druſo tamen, etſi re bene geſta Imperator a militibus acclamatus fuerat, dilatum aliquando ab ipſo Auguſto hoc nomen legimus (*a*). Idem Tiberius imperium adeptus, *id Blæſo tribuit, ut Imperator a legionibus ſalutaretur, priſco,* inquit Tacitus (*b*), *erga Duces honore, qui bene geſta Rep., gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur: erantque plures ſimul Imperatores, nec ſuper ceterorum æqualitatem. Conceſſit quibuſdam & Auguſtus id vocabulum; ac tunc Tiberius Blæſo poſtremum* (*c*).

(a) Apud eund. Dion. ibid.

(b) Annal. III. c. 74.

(c) Ex Lipſii correctione.

III. Cautum porro fuit, ne ex uno eodemque bello, etiamſi plures partæ fuiſſent victoriæ, pluſquam ſemel *Imperatoris* nomen reportaretur: quod & retentum Auguſtis imperantibus videtur; nam præter morem a Claudio Auguſto factum notat Dio, quum ex pluribus Britannici belli victoriis, ejuſdem tituli multiplicandi captavit anſam. Hæc itaque de ipſo Claudio ſcribit (*d*): Αὐτοκράτωρ πολλάκις ἐπωνομάσθη παρὰ τὰ πάτρια· οὐ γὰρ ἐστὶν ἐν οὐδενὶ πλέον ἢ ἅπαξ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πολέμου τὴν ἐπίκλησιν ταύτην λαβεῖν. *Ob hoc aliquoties Imperator dictus eſt contra patrium inſtitutum, neque enim ſæpius quam ſemel licet uno de bello id nomen adſumere.* Ubi animadvertendum eſt, Dionem, (qui imperante Severo Alexandro ſcribebat), indicare, ſolum Claudium ante ſuam ætatem, contra patrium inſtitutum hac in re feciſſe. *Quotieſcumque* ergo *Imperatores bellis aliquid hac appellatione dignum gerebant* (*e*), οἷς δ' ἂν καὶ διὰ πολέμων ἄξιόν τι αὐτῆς κατορθωθῇ, οὗτοι δὴ καὶ ἐκείνην (*f*) τὴν ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου προσλαμβάνουσι. καὶ τοῦτο καὶ δεύτερον τὶς καὶ τρίτον, πλεονάκις τε, ὁσάκις ἂν παράσχῃ οἱ, Αὐτοκράτωρ ἐπονομάζεται, eodem teſte Dione, *hi priſca conſuetudine nomen Imperatoris adſciſcebant: unde factum eſt, ut quis eorum iterum, tertium, & pluries, nimirum quoties id meritus ſit, Imperator nominaretur*: & in nummis & inſcriptionibus aliiſque antiquis monumentis adhuc occurrit & legitur. At hoc cognomentum nomine nitebatur *Imperatoris*, quod ſummum in orbe Romano imperium ſignificabat.

(d) Lib. X pag. 679. C.

(e) Id. Dio Lib XLIII. pag. 235. D. E.

(*f*) προσηγορίαν.

Nomen & poteſtas Imperatoris Jul. Cæſari a Senatu Rom. defertur.

IV. Superatis itaque a C. Julio Cæſare in Hiſpania Pompeji filiis, plurimos eidem decrevit Senatus honores, in primiſque nomen *Imperatoris*, quod ſupremam in Rep. poteſtatem continebat. Audiendus rurſum Dio, qui ita ſcribit (*g*): Τό τε τοῦ Αὐτοκράτορος ὄνομα, οὐ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔτι μόνον, ὥσπερ ἄλλοι τε, καὶ ὡς ἐκεῖνος πολλάκις ἐκ τῶν πολέμων ἐπεκλήθησαν, οὐδ' ὡς οἱ τινὰ αὐτοτελῆ ἡγεμονίαν ἢ καὶ ἄλλην τινὰ ἐξουσίαν λαβόντες, ὠνομάζοντο, ἀλλὰ καθάπαξ

(g) Lib. XLIII. pag. 235. C.

τȣ̃το δὴ τὸ ϗ νυῦ τοῖς τὸ κράτος ἔχȣσι διδόμενον, ἐκείνῳ τότε πρώτῳ τε ϗ πρῶτον, ὥσπέρ τι κύριον, προσέθεσαν. Atque in Latinum ita vertitur: *Imperatoris quoque nomen, non antiqua tantum pro conſuetudine, qua id cum alii, tum ipſe quoque multoties ex bello reportaverant; neque ea ratione, qua ii, qui abſolutum aliquod imperium aut aliquam aliam poteſtatem accipiebant, nuncupabantur; ſed eo modo, quo nunc iis, qui ſummum imperium obtinent, datur, tum primo Cæſari primum, tamquam quid ſupremum impoſuerunt.* Quibus verbis edocemur, Cæſarem eo tempore non tantum appellatum fuiſſe Imperatorem ob victoriam, ſed etiam delatum ei fuiſſe ſummum in Republica imperium, quemadmodum reliqui Imperatores poſtea conſecuti ſunt. Qua in re diſtinguit Dio Cæſarem ſucceſſoreſque Imperatores a ſuperioribus iiſque integra adhuc Rep. Imperatoribus: hi enim *aliquod* quidem, h. e. ſingulare quoddam, licet *abſolutum* imperium obtinuerant: at vero Cæſar cum ſucceſſoribus omne imperium, & quidem in omni Republica conſecutus eſt. Superiora imperia modo, ac limitibus, tum etiam tempore circumſcripta fuerant; illud autem Cæſaris nullo modo aut limite, ſed nec tempore definitum fuit: quemadmodum & ſucceſſores ſunt illud indefinite conſecuti.

Nomen Imperatoris in Jul. Cæſare puri puti honoris fuiſſe Noriſius ac Pagius docent.

V. Eminentiſs. tamen doctrina & dignitate Noriſius ſcripſit, perſuaſitque Viro alteri Cl. Antonio Pagio, *Imperatoris* prænomine nullum Julio Cæſari imperium conferri potuiſſe, *qui ampliſſimo omnium, nempe Dictatorio jam pollebat.* Notat itaque Noriſius referente eodem Pagio (*a*), anno U.C. DCCIX. Cæſarem fuiſſe Dictatorem IV., ac deſignatum in annum DCCX., quo periit, Dictatorem V. *Ex Dictatura*, verba ſunt Noriſii, *ſummum imperium in urbe ac toto Romano imperio idem Cæſar obtinebat. Itaque eo prænomine Imp. nullum eidem imperium conferri poterat, qui ampliſſimo omnium, nempe Dictatorio jam pollebat. Hinc recte Dio illud prænomen* non ea ratione *datum ſcripſit, ſed ut ille titulus, qui puri puti honoris erat, uti etiam titulus* Auguſti, *Cæſaris proprius haberetur; quum ante eumdem numquam prænominis loco fuiſſet. Quare jam vides titulum illum ſummi quidem honoris, uti & alter Auguſti Octaviano datus, ſed nullius imperii fuiſſe.* Ita Card. Noriſius, cui ſubſcripſit Pagius (*b*) docens, Cæſarem prænomen *Imperatoris* imponi ſibi voluiſſe, *non ut major ſibi potentia conferretur, aut quod prænomen illud aliquod imperium ſecum inveheret, ſed ut eo magis ſignificaretur*

(a) In Crit. ad an. Chr. 147. num. XII. & XIII.

(b) Ibid.

firaretur plena sua & perfecta potentia. Mirum non nemini videri potest, hæc scribere viros Cl., quum Dio, quem & ipsi sequuntur, doceat nomen *Imperatoris* eo modo primum Cæsari datum fuisse, quo postea datum est iis, qui summum imperium obtinuerunt: quod & repetit, ubi de eodem nomine, secundo Cæsari conlato (*a*) agit, ita ut nullum videatur relinquere dubitandi locum de summa, quam nomen ipsum invehebat, in orbem Romanum potestate. Sane hoc nomen fuisse titulum puri puti honoris, ac plenam absolutamque potentiam, quæ tamen aliunde procederet, solummodo significasse, nec mihi videtur. Bona quoque tantorum Virorum pace persuaderi non possum, *ex Dictatura summum imperium in urbe ac toto Romano imperio eumdem Cæsarem obtinuisse.* Si enim ex sola Dictatura summum ubiq; imperium obtinuisset, cur tot alii honores iique auctoritate præditi post Dictaturam Cæsari sunt additi? Quo igitur tempore Δικτάτωρ ἐ εἰς ἑξάμηνον, ἀλλ' εἰς ἐνιαυτὸν ὅλον λεχθῆναι ἔλαβε (*b*), *Dictator non* quidem *ad sex menses*, ut lex mosque ferebat, *sed in integrum annum renuntiatus est*, hoc etiam accepit, ut quinque continuis annis Consulatum gereret, & Tribuniciam Potestatem per omnem vitam haberet. Decretum quoque (*c*), ut belli pacisque jus in omnes homines haberet, etsi neque ad Senatum neq; ad Populum de iis retulisset, quæ omnia supervacanea fuissent, si illa jam ex Dictatura consecutus esset. Καὶ ὅ τε Καῖσαρ τὴν Δικτατωρίαν παραχρῆμα (καίπερ ἔξω τῆς Ἰταλίας ὢν) ὑπέστη (*d*). Ipsam quidem *Dictaturam, (etsi extra Italiam erat), statim tum occepit* Cæsar, at id contra leges; neque enim extra Italiam extendebatur hujusmodi magistratus, quare inde etiam ejusdem limitatio proditur. Confecto Africano bello καὶ Δικτάτωρα ἐς δέκα ἐφεξῆς εἵλοντο (*e*), *Dictator in decennium deinceps constitutus est* Cæsar; at simul etiam morum magister ad tres annos factus est, multaque alia tunc ei decreta sunt: postea Censor solus, (*f*) & quidem quamdiu viveret, factus est; &, quod majus est, concessum, καὶ τὰ πραχθησόμενα αὐτῷ πάντα, κύρια ἕξειν ἐνόμισαν, (*g*) *ut omnia, quæ acturus erat, rata haberentur.* Ἐπειδὴ γὰρ ἐν μιᾷ ποτὲ ἡμέρα τά τε πλείω καὶ τὰ μείζω σφῶν ψηφισάμενοι κ. λ. (*h*). Adhuc vero *posthac plura atque majora decreta sunt* Cæsari. Demum Δικτάτωρ διὰ βίου μετὰ ταῦτα ἀποδειχθεὶς ἠνέσχετο, (*i*) *post hæc* & alia, quæ non recensuimus, *Dictatorem perpetuum creari se passus est:* quum Imperatoris nomen antea obtinuisset. Quæ

quum

(a) Qua de re modo acturi sumus.

Nomen Imper. secum advehebat summam potentiam.

Dictatura jus omne imperii non continebat.

(b) Dio Libro XLII. p. 194. D.

(c) Id. ibid. C.

(d) Id. eod. Lib. pag. 195. A.

(e) Id. Dio Lib. XLIII. pag. 220. B.

(f) Idem Libro XLIV. p. 243. A.

(g) Id. ibid. B.

(h) Id. Lib. XLIV p. 244. A.

(i) Id. ibid. D.

quum ita sint, non videtur, ex sola Dictatura summum imperium in urbe ac toto Romano imperio Cæsarem habuisse; quod alio exemplo confirmatur.

Confirmatur exemplo.

VI. Paullo ante, anno sc. U. C. DCLXXXVII. A. Gabinius Tribunus pl. legem tulit, ut, quum belli more, non latrociniorum, orbem classibus, jam non furtivis expeditionibus, piratæ terrerent, quasdam etiam Italiæ urbes diripuissent, Cn. Pompejus ad eos opprimendos mitteretur, (*a*) *essetq; ei imperium æquum in omnibus provinciis cum Proconsulibus, usque ad quinquagesimum milliarium a mari, quo S. C. pæne totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur.* Dissuasit (*b*) legem inter alios Q. Catulus, dixitq;, esse quidem præclarum virum Cn. Pompejum, *sed nimium jam liberæ Reip., neq; omnia in uno reponenda*: suadere (*c*) vero conatus est, ut potius Dictatorem crearent; quod tamen non obtinuit. Imperium porro, quod tunc Pompejo deferebatur, non erat nisi æquum in provinciis cum Proconsulibus, ad quinquagesimum milliarium a mari; & tamen Dictatura multo majus erat. Quanto igitur magis Dictaturam ipsam superasse credendum est imperium Cæsaris; quod, quum ejusdem potestatis fuerit cum imperio subsecutorum Imperatorum, multo majus fuit imperio cujuscumque Proconsulis, & ad extremas, quibus Romanus orbis late patebat, partes usque pertingebat?

(a) Vellej. Paterc. Lib. II. c. 31.

(b) Id. ibid.

(c) Dio Libro XXXVI. p. 16. C. D.

Ceterum, etsi Dio tradat (*d*), Cæsarem confecto bello Africano, *Dictatorem in decennium constitutum fuisse*; & post quartam Dictaturam, anno U. C. DCCIX. gestam, ἐν τῷ δὲ ἐχομένῳ ἔτει ὁ Καῖσαρ ἐδικτατωρευσέτε ἅμα τὸ πέμπτον (*e*), *Cæsarem anno sequenti Dictatorem quintum* exhibeat, hanc tamen *quintam* Dictaturam, sicut & illam *decennalem* non facile apud alios Scriptores est invenire. Principio hujus anni U. Conditæ DCCX., qui & postremus vitæ Cæsaris fuit, COnSul V. absque *quinta* Dictatura legitur in tabulis Capitolinis & Colotianis; quin COS. V. ac simul DICtator IIII. in iis dicitur. Ita etiam in nummis (*f*) DICtator QVARTum) (COS. QVINTum occurrit. Nec nisi postea DICtator PERPETVO (*g*) est renuntiatus. Quum igitur anno superiori, nempe DCCIX. nomen *Imperatoris* imperiumque ei datum est, nondum *perpetua* erat in ipso Cæsare Dictatura, quin cessare eadem Dictatura, ut & contigit, debebat: quapropter non parum auctoritatis cum nomine Imperatoris accessisse Cæsari,

(d) Lib. XLIII. p. 220. B.

(e) Eod. Lib. pag. 238. B.

(f) Apud Mediob. p. 6., & in Thes. Numm. Andreæ Morellii Tab. III. Jul. Cæs. n. 21. 22. & apud al.

(g) Ex num. apud eosdem & Dione Lib. XLIIII. pag. 244. D.

Cæſari, exiſtimandum eſt. Præterea Conſulatus cum Dictatura conjunxit, adeoque aliquid ei poteſtatis addidiſſe Conſulatus ipſi videntur. Hæc quidem apud Suetonium (*a*) legimus: *Tertium & quartum Conſulatum titulo tenus geſſit, contentus Dictaturæ poteſtate decretæ cum Conſulatibus ſimul*: at etiam novimus, plura feciſſe Cæſarem non *Dictatoris* ſed *Conſulis* nomine. Hinc poſt ejus necem Antonius ad populum inquit, ipſo Dione teſte (*b*): Ἀρχιερεὺς μὲν πρὸς τοὺς Θεοὺς, Ὕπατος δὲ πρὸς ἡμᾶς, Αὐτοκράτωρ δὲ πρὸς τοὺς στρατιώτας, Δικτάτωρ δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους ἀπεδείχθη: *Pontifex maximus Deorum reſpectu, noſtrum Conſul, militum Imperator, hoſtium Dictator eſt creatus*. Confirmat ulterius opinionem noſtram toties laudatus Dio; ubi refert, quod, quum Auguſtum *Imperatorio* nomine & jure decoratum Romani Δικτάτωρα αὐτὸν ἠθέλησαν προχειρίσασθαι (*c*), *Dictatorem renuntiari vellent*, Dictaturam is nullo modo admiſit, recte invidiam atque odium ejus nominis vitans, τὴν τε γὰρ ἐξουσίαν καὶ τὴν τιμὴν καὶ ὑπὲρ τοὺς Δικτάτωρας ἔχων (*d*), *quippe poteſtatem & honorem ſupra Dictatores*, ideſt majorem quam Dictatores, *habebat*. Hoc autem ex imperio, quod cum *Imperatoris* nomine obtinuerat, præcipue procedebat.

(a) In Vit. c. 76.

(b) Lib. XLIV. p. 266. B.

(c) Lib. LIV. pag. 521. B.

(d) Ibid. C.

VII. Quamvis autem concederemus, prænomine *Imperatoris* nullum Cæſari imperium conlatum fuiſſe, eo quod Dictatorio jam pollebat, atq; adeo titulum puri puti honoris prænomen illud in ipſo Cæſare fuiſſe, hoc tamen in altero Cæſare ſubſecutiſque Imperatoribus admittere nullo modo poſſumus. Scribit laudatus Noriſius (*e*), Titum prænomen Imperatoris a patre Veſpaſiano obtinuiſſe: *at ex illo*, inquit, *nullum imperium idem accepit. Suetonius cap. 6. in Tito ait, illum in urbe plures neci tradendos juſſiſſe, ſed jure Præfecturæ Prætorii. Itaque titulus* IMP. *in prænomine erat tantum honoris*. Ita Eminentiſs. Purpuratus: ex quibus videtur ſenſiſſe, prænomen *Imperatoris* nedum in primo Cæſare, verum & in reliquis *titulum ſummi quidem honoris*, uti & alterum *Auguſti* Octaviano ſucceſſoribuſq; datum, *ſed nullius imperii fuiſſe*. Pagius (*f*) quoque poſt Noriſium docet, *prænomen Imperatoris nullam quidem potentiam nec Julio Cæſari Dictatori, nec imperii Conlegis adtribuiſſe, ſed eiſdem adtributam fuiſſe, deſignaſſe*; quæ ſcilicet aliunde procederet. Quare Vir uterque Cl. in eo convenit, quod prænomen *Imperatoris* aliquod imperium ſecum non invexiſſe, ſed potentiam, quæ aliunde habebatur, ſolummodo denotaſſe, arbitrentur.

(e) Apud Pag. in Crit. ad an. Chr. 147. nu. XIV.

Prænomen Imp. etiam in ſucceſſoribus Cæſaris potentiam ſignificaſſe, non invexiſſe, Noriſius ac Pagius rurſum docent.

(f) In Crit. ad an. Chr. 147. n. XIII

VIII.

Prænomen Imperat. adferebat summum imperium juxta Auctoris opinionem.

VIII. Nos vero credimus, prænomen ipſum *Imperatoris* ne dum aliquod, ſed ſummum imperium ſecum invexiſſe, ita ut ex ipſo prænomine ac cum ipſo ſumma poteſtas proveniret; quemadmodum ex nomine Regio vel Dictatorio ac cum ipſis Regia vel Dictatoria poteſtas proveniebat. Hoc autem ratio & auctoritas nos docere videntur. Numquam enim *Imperatoris* nomen, ac multo minus prænomen abſque ipſius potentia, eaque ſumma audire aut legere nobis contigit; quin inſtitutum legimus ac more retentum diſcimus, nomen, ſive prænomen hujuſmodi nonniſi cum imperio datum eſſe. Rem extra dubium ponit Dio Auctor omni exceptione hac in re major. Ad annum itaque U. C. DCCXXV. deſcribens, quomodo Cæſar Octavianus *Imperator* vocari cœperit, hæc habet: (a) Ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ, ἐν ᾧ τὸ πέμπτον ὑπάτευσε, καὶ τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἐπίκλησιν ἐπέθετο· λέγω δὲ οὐ τὴν ἐπὶ ταῖς νίκαις κατὰ τὸ ἀρχαῖον διδομένην τισὶν, ἐκείνην γὰρ πολλάκις μὲν καὶ πρότερον, πολλάκις δὲ καὶ ὕστερον ἀπ' αὐτῶν ἔργων ἔλαβεν, ὥστε ἓν καὶ εἴκοσιν ὄνομα Αὐτοκράτορος σχεῖν, ἀλλὰ τὴν ἑτέραν τὴν τὸ κράτος διασημαίνουσαν, ὥσπερ τῷ πατρὶ αὐτοῦ τῷ Καίσαρι καὶ τοῖς παισὶ, τοῖς τε ἐκγόνοις ἐψήφιστο. *Eodem anno, quo Coſ. quintum fuit, Imperatoris nomen accepit, non quale propter victoriam tribui ſolebat; (id enim ſæpius & antea & poſtmodum ex ipſis actionibus reportavit, adeo ut ſemel & vicies Imperator ſit appellatus), ſed quo ſumma imperii demonſtraretur, quod patri quoque ejus Cæſari & ejus filiis nepotibuſq; decretum fuerat.* Ne vero quis credat, *Imperatoris* nomen demonſtraſſe quidem ſummum imperium, ſed non ſecum invexiſſe, animadvertendum eſt, teſtari Dionem, ad id uſq; tempus duraſſe Romanos ἔν τε βασιλείᾳ, καὶ ἐν τῇ δημοκρατίᾳ, ταῖς τε δυναστείαις, (b) *ſub Regibus, inque populari Reip. adminiſtratione, ac certorum deinde hominum principatibus; anno*, demum U. C. DCCXXV. πέντε τε καὶ εἴκοσι καὶ ἑπτακοσίοις ἔτεσι, μοναρχεῖσθαι αὖθις ἀκριβῶς ἤρξαντο, *vere iterum penes unum hominem ſummam totius Reipublicæ eſſe cœpiſſe.* Modum quoque refert, quo id factum eſt. Narrat itaq; Cæſarem Octavianum agitaſſe conſilium arma deponendi reſque omnes Senatus populique poteſtati tradendi, atque ad hanc deliberationem Agrippam Mæcenatemque adhibuiſſe. Idem conſilium ſuaſiſſe Agrippam, diſuaſiſſe Mæcenatem ſubdit, adlatis eorum orationibus. Cæſarem vero tradit (c) Mæcenatis conſilium prætuliſſe, indeq; *Imperatoris nomen accepiſſe.* Qua narratione certum reddit hiſtoricus, Cæſarem *Imperatoris* nomine firmaſſe ſibi imperium. Quod factum etiam in ſucceſſoribus

(a) In calce Lib. LII. pag. 493. E. & 494. A.

(b) In princ. ejuſdem Lib. LII.

(c) Pag. 495. D. E.

ceſſoribus

ceſſoribus docet; nomina quippe deſcribens, quibus utebantur Imperatores, eorumque vim & potentiam explicans, hæc tradit (*a*). Ὕπατοί τε γὰρ πλειστάκις γίγνονται, καὶ ἀνθύπατοι ἀεὶ, ὁσάκις ἂν ἔξω τοῦ πωμηρίου ὦσιν, ὀνομάζονται· τήν τε τοῦ Αὐτοκράτορος πρόσρησιν διαπαντὸς οὐ μόνον οἱ νικήσαντες τινὰς, ἀλλὰ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες, πρὸς δήλωσιν τῆς αὐτοτελοῦς σφῶν ἐξουσίας, ἀντὶ τῆς τοῦ βασιλέως τοῦ τε Δικτάτωρος ἐπικλήσεως, ἔχουσιν. αὐτὰς μὲν γὰρ ἐκείνας οὐ τίθενται, ἐπειδήπερ ἅπαξ ἐκ τῆς πολιτείας ἐξέπεσον, τὸ δὲ δὴ ἔργον αὐτῶν τῇ τοῦ Αὐτοκράτορος προσηγορίᾳ βεβαιοῦνται. *Conſules enim fiunt ſæpenumero, & quoties extra pomerium ſunt, Proconſules dicuntur. Nomen autem Imperatoris, non modo, ſi qui aliquam victoriam retulerint, ſed & alii omnes ad ſignificandam perfectam ſuam potentiam, ſemper gerunt, loco nominis Regii & Dictatoris: quæ ſemel e Rep. ſublata ut non imponunt ſibi, ita eorum vim ac rem ipſam Imperatorio titulo confirmant.* En igitur, quod nomen *Imperatoris* nomini Regio Dictatoriſque ſucceſſit, & Regiam Dictatoriamque poteſtatem continuit, & invexit. Quam in rem ſubdit hiſtoricus (*b*). Καὶ ἐκ μὲν τούτων τῶν ὀνομάτων, καταλόγους τε ποιεῖσθαι, καὶ χρήματα ἀθροίζειν, πολέμους τε ἀναιρεῖσθαι, καὶ εἰρήνην σπένδεσθαι, τοῦ τε ξενικοῦ καὶ τοῦ πολιτικοῦ ἀεὶ καὶ πανταχοῦ ὁμοίως ἄρχειν, ὥς τε καὶ ἐντὸς τοῦ πωμηρίου καὶ τοὺς ἱππέας καὶ τοὺς βουλευτὰς θανατοῦν δύνασθαι, τά τε ἄλλα ὅσα τοῖς τε ὑπάτοις καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς αὐταρχήσασι ποτὲ ποιεῖν ἐξῆν λαμβάνουσι. „ Horum nominum, *Imperatoris quam maxime*, ratione exercitus ſcribendi, pecuniæ conficiendæ, bella ſuſcipiendi, pacem faciendi, peregrinis & civicis legionibus ſemper & ubique ſimiliter imperandi, atque etiam intra pomerium Equites Senatoreſq; necandi, aliaque omnia, quæ Conſulibus aliiſque cum pleno imperio magiſtratibus facere licet, agendi jus habent. “ Quod ſi hæc omnia *Imperatoris* nomine ac jure facere Auguſti potuerunt, non equidem puri puti honoris id nomen fuit; nec tantum potentiam ſignificavit, ſed ſecum etiam advexit.

(a) Lib.LIII.pag. 508. A.

(b) Ibid.B.

Quod Titum ſpectat, qui omnium primus ex Auguſtorum filiis prænomen *Imperatoris* a patre Veſpaſiano obtinuiſſe, at ex illo nullum imperium idem accepiſſe dicitur a Noriſio; in primis ego non video, Suetonium cap. 6. in Tito ſcribere, illum in urbe plures neci tradendos juſſiſſe *jure Præfecturæ Prætorii*. Hæc quidem ibi lego: *Præfecturam quoque Prætorii ſuſcepit, numquam ad id tempus, niſi ab Equite Romano adminiſtratam. Egitque aliquanto incivilius & violentius*, &c. Verum hanc incivilitatem & violentiam non tantum in Præfecturæ

Poteſtate Imperatoria Titus abutitur.

B Prætorii,

Prætorii, sed etiam in ipsius imperii abusum ego refundo. Sane Aulum Cecinnam *Consularem* confodi, jussisse Titum, subditur; nec vero Equitem, qualis esse solebat Præfectus Prætorii, in *Consularem* virum animadvertere tunc temporis potuisse, facile credam. Præterea incivilibus & violentis Titi actis non solam Præfecturam Prætorii, sed etiam alia officia, & Magistratus, quin ipsum imperium præmittit Suetonius. Hæc igitur habet eo capite 6. cui titulus ADMINISTRATIO IMPERII: „ Neque ex eo destitit participem atq; etiam tutorem imperii „ agere. Triumphavit cum Patre, Censuramque gessit una. „ Eidem conlega & in Tribunicia Potestate & in septem Con- „ sulatibus fuit. Receptaque ad se prope omnium officiorum „ cura, quum Patris nomine & epistolas ipse dictaret, & edicta „ conscriberet, orationesque in Senatu recitaret, etiam Quæ- „ stioris vice. " Hinc de Præfectura Prætorii subdit, & de actis Titi incivilibus & violentis: quæ quidem acta ad solam Præfecturam Prætorii referri ac restringi posse non videntur. Sane *suspectissimum quemq; sibi, submissis, qui per theatra & castra, quasi consensu ad pœnam deposcerent, haud cunctanter oppressisse* dicitur; quod non Præfecti Prætorii, sed *Imperatoris*, incivilis tamen & violenti equidem est. Posset ad Tribuniciam quoque potestatem idipsum referri, propter quam *Imperatores sacrosancti* (*a*)habebantur, *ita ut, si vel minimo, non dicam facto, sed verbo se ab aliquo læsos existimabant, eum indicta caussa, tamquam qui se piaculo obstrinxisset, necare possent*. Titus autem Tribunicia ipsa Potestate tunc temporis ornatus erat nummis Plinioque (*b*) testibus. At melius, ni fallor, incivilia & violenta Titi acta abusum imperii denotant. *Imperatoris* etenim nomine & auctoritate nedum alios, sed etiam *Equites* (*c*) *Senatoresq; necandi jus habebant*, ut modo vidimus, Romani Principes. Certe imperium eadem acta respiciebant; nam Suetonius subdit, his rebus, a quibus tamen inde abstinuit, Titum *in posterum securitati*, sc. Patris ac suæ tum etiam fratris Domitiani, totius videlicet domus Augustæ, *satis cavisse*.

(a) Dio Cass. Lib. LIII. pag. 508. D. Vid. Animadv. de Trib. Pot. nu. II.

(b) In Panegyr. Trajan. cap. 8.

(c) Dio Lib. LIII. pag. 508. B.

Cl. Harduinus distinguit inter Α'υτοκράτορα, *& Imperatorem: quæ tamen distinctio non admittitur.*

IX. Distinguit quidem eruditissimus Harduinus inter Α'υτοκράτορα & *Imperatorem*, ita ut Α'υτοκράτωρ ab eo dicatur (*d*) *suprema pollens in exercitibus & in rebus civilibus potestate. Hoc est enim*, inquit, esse Α'υτοκράτορα. Imperatorem vero ad exercitus tantum pertinuisse subdit. At hæc distinctio est solum penes ipsum, alii enim Interpretes ac Viri docti eumdem esse apud

(d) In H. A. ad an. U. C. 717.

apud Græcos Α'υτοκράτορα, ac apud Latinos *Imperatorem* credunt & docent. Idem Harduinus tradit (*a*), neque aut vim vocis *Imperatoris*, aut Romanorum libertatem ſatis noviſſe, *qui hæc duo nomina primi conſociarunt*, Imperator Romanorum: *quæ locutio*, inquit, *in nummis probiſve ſigillis, omnino non occurrit ante ſæculum Chriſti decimum tertium jam ſeneſcens*. Suam quoque imperitiam veteres quoſdam Scriptores & forte νοθείαν, eo indicio prodere ſcribit (*b*), quod Imperatores Romanos βασιλεῖς, atque eorum poteſtatem βασιλείαν vocant. Nec quemquam prudentem æſtimatorem dubitaturum ſubdit, quin ſit aliterinus Antonini, ut vocant, Caracallæ nummus, qui BACI. habet, ut quidem ad ſe relatum ait: *tametſi illo* βασιλέως *nomine donat eumdem Auguſtum non nemo ex illis Scriptoribus, qui antiqui putantur, alioſque alii, quos apud Spanhemium videre eſt*. At hæc ſcribebat Vir eruditiſs., quo tempore veteres ipſos Scriptores præter admodum paucos pro ſuppoſititiis habebat; quibuſcum tamen poſtea in gratiam rediiſſe, aliquando legimus atq; audivimus. Quotquot igitur poſt Jul. Cæſarem Romanæ Reip. præfuerunt, *Romanorum Imperatores* audierunt, ſeque pro Romanis Imperatoribus in toto Romano orbe geſſerunt: quod ex hiſtoria ita conſtat, ut probatione non indigeat. Ipſos autem *Imperatores* Α'υτοκράτορας, ſive βασιλεῖς Græci Scriptores vocare conſueverunt. Hinc Cæſar Auguſtus dicitur a Joſepho (*c*) δεύτερος μὲν Ρ'ωμαίων Α'υτοκράτωρ, *ſecundus Romanorum Imperator*, & Tiberius (*d*) τρίτος Α'υτοκράτωρ, *tertius Imperator*. Hadrianus quoque ab Appiano (*e*) coætaneo Scriptore Ρ'ωμαίων Βασιλεὺς, *Romanorum Rex* ſeu *Imperator* nominatur: & ab Herodiano (*f*) Commodus dicitur βασιλεὺς ἐυγενέςατος, *Rex* ſeu *Imperator nobiliſſimus*. Gordianus Pius Α'υτοκράτωρ τε ἀνεδείχθη, ϗ τὴν Ρ'ωμαίων ἀρχὴν ἀνεδείξατο (*g*), *Imperator declaratus, Romanorum ſuſcepit imperium* ex ipſo Herodiano. Paſſim itaq; apud Græcos Scriptores Α'υτοκράτορας, ac quandoque Βασιλεῖς Romanos Imperatores dictos legimus. Meminit Inluſtr. Spanhemius cujuſdam, quem ex Theſauro Regio Galliarum exhibet Cl. Morellius (*h*), nummi ita inſcripti ΚΟΜΟΔΟΥ ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ Ο ΚΟΣΜΟΣ ΕΥΤΥΧΕΙ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Commodo imperante mundus felix eſt, Nicæenſium*. Videatur ipſe Spanhemius (*i*), qui tum hac in re tum in aliis ex Harduini ſcriptis occaſionem promendæ plurimæ eruditionis ſæpe ſumit.

X. Ex his, quæ hucuſq; diximus, conſtare nobis videtur

(a) In Num. ſæculi Conſt. ad an. LII.

(b) De num. Herod. ad an. Chr. VIII.

(c) Lib. XVIII. Antiq. Jud. cap. 3. nunc 2.

(d) Ibid.

(e) Lib II. Bell. Civ. p. 481. al. 788.

(f) Lib. I. c. ult.

(g) Lib. VIII. c. ult.

(h) In Specim. Rei num. Tabul. XII. nu. 6.

(i) Diſs. XII. de uſu & præſt. num. ant. pag. 400.

Nomen Imperatoris aliquod imperium aut victorias denotans in nummis senescentis Romanæ Reip.

nomen *Imperatoris* in eorum numiſmatibus, qui Jul. Cæſarem præcedunt, quiq; proxime ſequuntur, ſtante adhuc, etſi non integra Rep., plenam alicujus imperii bellique adminiſtrandi poteſtatem, ſeu partam victoriis hujuſmodi appellationem ſignificare. Scipio Africanus ſenior, recuſato, quem Hiſpani poſt debellatum Aſdrubalem obtulerant, *Regis* titulo (*a*), *ſibi maximum nomen Imperatoris eſſe dixit, quo ſe milites ſui appellaſſent.* Poſt Conſulatum ſortitus Provinciam, Ciliciam nempe Cicero, quum ad Amanum montem, cujus incolæ rebus Parthicis faverant, magnum hoſtium numerum occidiſſet, caſtella munitiſſima cepiſſet, incendiſſet, *Imperatores*, (ut notavimus), ait (*b*), *appellati ſumus*, & quidem *victoria juſta* (*c*). Cujus rei teſtis eſt nummus Laodicenſium ejuſdem Provinciæ, in quo legitur (*d*): M. TVLL. IMP. Obvia vero ſunt utriuſq; Pompeji, Patris ac filii, tum etiam utriuſque Cæſaris, Julii nempe & Octaviani, Lepidi quoq; & Antonii, ut alios omittam, *Imperatoris* nomine inſignita numiſmata.

(a) Liv. Libro XXVII. c. 19.

(b) Lib. V. Epiſt. 20. ad Attic.

(c) Lib. II. Fam. Epiſt. 10. ad M. Cœl. Ruf.

(d) Apud Seguin. in ſelect. Famil. p. 82.

Nomen Imperatoris imperium ſignificans in aliquot Jul. Cæſaris nummis.

XI. At vero in aliquot ejuſdem Julii nummis nomen *Imperatoris* ſummum imperium ſignificare ex eo cenſuerim, quod & *Dictaturam perpetuam*, cujus nomen, nedum imperium, invidiæ odiique plenum erat, expreſſam videmus. Nomen ipſum *Imperatoris* ejuſque vim illi conceſſerunt, καὶ ἐς τὰ νομίσματα ἐνεχάραξαν (*e*), *tum etiam ipſius imagine nummos ſignaverunt*; cur non etiam ipſum *Imperatoris* nomen in iis exhiberent? Adſtipulantur nobis Viri Cl. Vaillantius (*f*) atq; Spanhemius (*g*), contra ſtante Harduino, qui *non fuit*, inquit (*h*), *ut vates mentitur*, *Cæſar* Imperator unicus. *Nec ſua illum ætas, ſed longe poſterior, primum Imperatorem appellavit; nec unquam ille dictus eſt in nummis* IMP. CAESAR, *ſed tantum, quemadmodum* CN. MAGNVS IMP., ita CAESAR IMP. *vel* CAESAR IIT. *nec ille demum ſe vivo nummos ex ære vidit Romæ, aut* S. C. *Senatuſconſulto, ſuo nomine ac vultu inſcriptos.* Hæc porro ſcribebat eruditiſs. Auctor, quum & Dionem inter ſuppoſititios hiſtoricos haberet. Ceterum, quod ad locum ſpectat, hic nos minime moratur. Quamvis igitur in nummis Julii nomen IMP*eratoris*, non ſecus ac in illis Pompeji aliorumve, qui ad ſummum imperium in toto orbe Romano non pervenerunt, nomini proprio non anteponatur ſed poſtponatur, adhuc tamen in Julio nomen *Imperatoris* aliquando pro ſummo imperio accipimus, & non in aliis; quum illum

(e) Dio Libro XLIV. p. 242. C.

(f) In Famil. Æmil.

(g) Diſs. XII. de uſu & præſt. N. A. p. 402.

(h) In Chr. U. T. ad an. U. C. 705. & ad an. U. C. 691.

illum (*a*) solum ad summum in Repub. imperium pervenisse, & *prænomen Imp.* summam potentiam continens recepisse sciamus. Sane alter Cæsar, Octavianus nempe, quo tempore summo nondum gaudebat imperio, comparet in marmoribus & nummis (*b*) ita inscriptus: IMP. CAESAR DIVI F. III. VIR ITER. R. P. C.)(COS. ITER. ET TER. DESIG., vel (*c*) IMP. CAESAR PONT. IMP. ITER: tum etiam M. Antonius, qui summo imperio in tota Repub. numquam potitus est, ita inscribitur (*d*): IMP. ANT. AVGVR. IIIVIR. R. P. C.)(IMP. TER. Uterque vero ita etiam occurrit (*e*) ΑΥΤΟΚΡ. Μ. ΑΝΤΩΝ. ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣΑΡ. idest: *Imperator M. Antonius*, *Imperator Cæsar*. Locus itaq; tunc nihil ad vim notionemque nominis *Imperatorii* conferebat. Postea tamen mos increbuit, ut *Imperatoris* nomen summam potentiam denotans, prænominis loco omnino adhiberetur: at hoc non statim, si quid ego judico. Hanc quippe inscriptionem in nummis (*f*) Caligulæ, quamvis *Imperatoris* nomen prænominis loco non habeatur, de summo imperio accipiendam arbitror, C. CAESAR AVG. GERMANICVS IMP., tum hanc aliam (*g*) C. CAESAR. AVG. GERMANIC. IMP. P. M. TR. P. COS. Nero Imperatorio nomine partim prænominis, partim cognominis loco, nummis testibus usus est; quod & Galba fecit, cujus apud me nummus æreus primæ magnitudinis ita legitur: SER. GALBA IMP. CAESAR. AVG. TR. P. Idem observatur in nummis Othonis: & Titus modo dicitur IMP. T. CAES. VESP.; modo T. IMP. VES.; sæpius T. CAES. IMP. VESP.; tum etiam T. CAES. VESP. IMP. Et ne dubitari possit de Imperatorio ob summum imperium nomine, ita etiam inscribitur (*h*) T. CAESAR IMP. VESPASIANVS) (IMP. XIII. COS. VI. Domitianus Titi frater & in imperio successor nomine *Imperatoris* tamquam prænomine fere usus est, sicut & subsecuti Imperatores; quorum aliqui, videlicet Hadrianus, Antoninus Pius, M. Aurelius, Commodus, ac Sept. Severus cum filiis frequentius præ aliis eodem prænomine abstinuerunt.

(a) Præter laud. Dion. Suetonius in Vit. c. 76.

(b) Ad an. U. C. 713. in fast. Capitolin. & in num. apud Mediob. p. 24. 25. Hardu. in H. A. ad an. U. C. 716.

(c) In Thes. Morell. Famil. Roman. Tab. VI. nu. 13. & 14. Famil. Anton.

(d) Ibid. Tab. V. nu. 7.

(e) Apud Hardu. in H. A. ad an. U. C. 717.

Nomen Imperatoris prænomen evadit.

(f) Apud Mediob. pag. 79. & Hardu. in H. A. ad ann. Caji 1. & 3.

(g) Apud Hardu. in H. A. ad ann. U. C. 790.

(h) Apud Mediobarb. p. 124.

XII. Aliquot etiam Augusti *Imperatoris* prænomen omnino recusarunt. Tiberius, quum *quasi coactus* accipere imperium videri vellet, ex plurimis maximisque honoribus, qui ei principatus initio delati sunt, præter paucos & modicos non recepit

Aliquot Augusti prænomen Imper. recusarunt.

(a) Suet. in Vit. cap. 24. & 26. recepit (*a*), *prænomen quoque Imperatoris recuſavit*. Hinc, quum ad exercitus & provincias Nola poſt mortem Auguſti,
(b) Dio Libro LVII. p. 602. D. ὡς Αὐτοκράτωρ (*b*), *tamquam Imperator* mox litteras dediſſet, μὴ λέγων Αὐτοκράτωρ εἶναι· ψηφισθὲν γὰρ αὐτῷ καὶ τοῦτο μετὰ τῶν ἄλλων ὀνομάτων, οὐκ ἐδέξατο
(c) Id. ibid. (*c*), *non tamen Imperatorem ſe appellavit, utpote qui id nomen cum aliis appellationibus ſibi decretum non adſumpſerat*. Quare nec in nummis, ſi aliquot Coloniarum Municipiorumve excipias, cum *Imperatoris* prænomine comparet. Occurrit tamen græcus nummus
(d) Apud Hadu. in H.A. ad an. U.C. 782. (*d*) cum epigraphe ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ)(ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, *Tiberii Cæſaris Imperatoris*. Græci porro titulum *Imperatoris* ob victorias uſurpare in nummis non conſueverunt; unde nec numeros, qui tamen paſſim in latinis nummis cum eodem *Imperatoris* ob victorias nomine conſpiciuntur, in eorum nummis videre eſt. Hinc de imperio
(e) Ibid. nummum hunc etiam Harduinus (*e*) explicat; & ad Judæam refert propter ſpicas, quæ in eo ſunt, ubertatis ſymbolum, prorſus ut in nummis Agrippæ Regis. In eo tamen adſentiri Viro Cl. non poſſumus, quod velit, fuiſſe Tiberium in Judæa Αὐτοκράτορα, h.e. ſumma pollentem poteſtate in rebus etiam civilibus, *alibi non fuiſſe, ſed* Σεβαστόν *tantum*: hac quippe in re contra faciunt omnes Scriptores, qui nedum in Judæa, verum etiam in toto orbe Romano Tiberium ſumma pollentem poteſtate, & quidem in rebus quoque civilibus communi conſenſu exhibent. Ita vero res habet etiam in Cajo, Tiberii ſuc-
(f) Ad an. U.C. 790. in H.A. ceſſore; quem tradit idem Harduinus (*f*), non fuiſſe ulla ratione IMP*eratorem* in Occidente, aut omnino Αὐτοκράτορα in Oriente extra Judæam. Quemadmodum vero a nummis Tiberii, ita ab illis Caji prænomen *Imperatoris* exulat; ac raro etiam cognominis loco ipſa *Imperatoris* appellatio in iis occurrit: μοναρχικώτατος ἐγένετο· ὥστε πάντα ὅσα ὁ Αὔγουστος ἐν τοσούτῳ τῆς ἀρχῆς χρόνῳ μόλις καὶ καθ' ἓν ἕκαστον ψηφισθέντα οἱ ἐδέξατο, (ὧν ἔνια ὁ Τιβέριος οὐδ' ὅλως προσήκατο) ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ λαβεῖν. πλὴν γὰρ τῆς τοῦ πατρὸς τῆς πατρίδος ἐπικλήσεως, οὐδὲν ἄλλο ἀνεβάλετο, καὶ ἐκείνην ἢ οὐκ ἐς μακρὰν προσεκτήσατο:
(g) Dio Libro LXIX. pag. 641. D. quamvis ita *regios mores Cajus* ipſe *ſumpſerit* (*g*), *ut omnia, quæ tanto imperii ſui tempore Auguſtus, vix ea quidem & ſingulatim ſibi decreta accepit, quorum nonnulla Tiberius quoque recuſavit, is uno die arripuerit, tantum Patris Patriæ nomine, neque in longum*
(h) Suet. in Vit. c. 12. *tempus dilato*. Claudius, qui Cajum in imperio excepit, *ac* (*h*) *in ſemet augendo parcus ac civilis* fuit, *prænomine Imperatoris abſtinuit, nimios honores recuſavit*. At vero titulum *Imperatoris* ob

victorias

victorias facilius, quam par erat, ac contra patrium institutum, ut jam ex Dione notavimus *(a)*, admisit. Cl. tamen Mediobarbus ex Indice *Cavotorta* nummum describit inscriptum *(b)* IMP. TI. CLAVD. CAES. GER.)(S. C. ac plures tum apud ipsum tum apud alios & in Museis cernuntur nummi cum litteris IMP. RECEPT., quæ explicari possunt *Imperator receptus*, nempe in castra prætoriana, quæ in ipsis nummis repræsentantur. Nam, quum rumore cædis Caji exterritus Claudius se abdidisset, latentem discurrens forte gregarius miles agnovit, extractumque *Imperatorem (c) salutavit.* Hinc ab aliis conmilitonibus lecticæ impositus ipse Claudius, *in castra delatus est*, ac *receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctavit*. In nummis quoq; græcis *(d)* ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ inscribitur. Quod ad reliquos Imperatores adtinet, Hadrianus, Antoninus Pius, M. Aurelius, Commodus, Sept. Severus, ejusque filii, ut modo diximus, a prænomine *Imperatoris*, haud raro, nummis testibus, abstinuerunt.

(a) Num.III. hujus Animadv.
(b) Pag. 82.
(c) Suet. in Vit. cap.10.
(d) Apud Hardu. in H. A.

De appellatione D. N.

XIII. Imperatoris prænomini suffectum demum observamus in nummis & inscriptionibus illud *Domini*. Notat eruditiss. Harduinus *(e)* primum has litteras D. N. id est *Dominus Noster*, præfigi cœpisse nominibus Augustorum, (si unum alterumve coloniarum nummum exceperis, sub Severi filiis & sub Philippis), sub Diocletiano Maximianoque conlega, sed post abdicationem imperii, quum jam ii nullam Reip. administrandæ partem adtingerent. Nam D. N. appellatio adeo non regiam potestatem significare ab eo dicitur, ut ne partem quidem ullam potestatis in Rep. administranda per se designet. *Honorifica tantum præfatio*, inquit, *sive salutatio est*. Itaque de Diocletiano Maximianoq; scribit, quum uterque jure Dominus esse desiit, *Dominum nostrum* utrumq; cœptum esse appellari. Subdit, postea datum fuisse illum titulum Cæsaribus filiis Constantini: quos quidem Cæsares Augusto subjectos fuisse in confesso est. Notat præterea, e nummis sive Maximiani & Diocletiani ante abdicationem, sive consequentium Augustorum ac Cæsarum, ante liberos Constantini, nullum fere has litteras D. N. habere in recto casu, sive in prima ac potiore nummi area, in qua sit vultus ipsius Augusti insculptus. Si qui autem sic eas exhibent, falsos vel eo indicio uno, quamquam tunc alia non sint defutura, pronuntiare, non dubitat. In obliquo autem casu, D. N. CONSTANTINI, exempli gratia,

(e) In Num. Sæc. Const. pag. 424. col.1. Oper.Selec.

gratia, vel D. N. CRISPO, nuſquam ſe vidiſſe ante Licinii Imp. vicennalia tradit. Quocumque autem modo titulus ille ponatur, (nihil enim per ipſum intereſt), dignitatem quidem ab eo dicitur vox ea inluſtrem denotare, ſed tamen ſupremæ obnoxiam, quæ fons & origo hujus dignitatis exſtiterit, nempe Senatui Populoque Romano. Ita ille. Ut vero noſtras nos etiam de *Domini* appellatione proferamus obſervationes, Suetonius de Auguſto ita ſcribit (*a*): *Domini appellationem, ut maledictum & opprobrium ſemper exhorruit. Quum ſpectante eo ludos pronuntiatum eſſet a mimo*, o Dominum æquum & bonum, *& univerſi quaſi de ipſo dictum exultantes comprobaſſent, ſtatim manu vultuq; indecoras adulationes repreſſit, & inſequenti die graviſſime corripuit edicto; Dominumque ſe poſthac appellari ne a liberis quidem aut nepotibus ſuis vel ſerio vel joco paſſus eſt; atque hujuſmodi blanditias etiam inter ipſos prohibuit.* Auguſtum in hoc ſecutus eſt Tiberius, qui propterea *Dominus appellatus a quodam, denuntiavit, ne ſe amplius contumeliæ cauſſa nominaret*, teſte eodem Suetonio (*b*). Quocum Dio concinit de Tiberio ſcribens (*c*): οὔτε γὰρ δεσπότην ἑαυτὸν τοῖς ἐλευθέροις καλεῖν ἐφίει: *Dominum ſe ab homine libero vocari minime patiebatur*, ſolum ſe *Dominum* ſervorum dicens. At vero ſucceſſor Tiberii Cajus non tantum *Dominum* (*d*), ſed etiam *Deum* (*e*) appellari ſe paſſus eſt. *Pari arrogantia* (*f*) Domitianus, *quum Procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam, ſic cœpit*: Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet: *unde inſtitutum poſthac, ut ne ſcripto quidem ac ſermone cujuſquam appellaretur aliter. Dei* quoq; *filius*, Veſpaſiani ſcilicet dictus eſt (*g*). Poſteriores Imperatores modeſtiam potius Auguſti atq; Tiberii, quam Caji & Domitiani arrogantiam ſecutos novimus. Deſcribit Mediobarbus (pag. 240.) ex D. Luparini ſchedis nummum Lucillæ L. Veri Uxoris inſcriptum in parte poſtica DOMIN. AVG. FELICITER. In nummis (*h*) Caracallæ ac Getæ Severi filiorum, Antiochiæ in Piſidia cuſis, legitur VICT*oria* DD*ominorum* NN*oſtrorum*: & in nummo Damaſci occurrunt (*i*) IMPP. D. D. N. N. PHILIPP. nempe *Imperatores Domini noſtri Philippi*; & capita adverſa Philippi Patris & Filii laureata ibidem videntur. Hinc ſunt nummi (*k*) DEO ET DOMINO NATO AVRELIANO AVG. dicati: tum (*l*) DEO ET DOMINO CARO AVG., vel DOMINO ET DEO CARO AVG. Cari filiorumque ſucceſſori Diocletiano Maxi-

(a) In Vit. c. 53.
(b) In Tib. c. 27.
(c) Lib. LVII. p. 606. E. & 607. A.
(d) Vict.
(e) Vid. Dio Lib. LIX. pag. 660. & 661. ac Sueton. in Vit. c. 22.
(f) Suet. in Vit. cap. 13.
(g) Num. 2. Tab. VII. Muſ. Piſan.
(h) In Muſ. Theupol. pag. 704. & apud Harduin. in num. Pop. & urb.
(i) In Muſ. Theupol. pag. 742.
(k) Apud Mediobar. p. 407. & 408.
(l) Apud eumd. pag. 419.

Maximianoque conlegæ *Domini* appellatio tributa cernitur in nummis post imperii abdicationem, quæ *Quietis* nomine in ipsis sic designatur: (*a*) D. N. DIOCLETIANO, vel MAXIMIANO BEATISSIMO, vel FELICISSIMO SEN. AVG.) (PROVIDENTIA DEORVM QVIES AVGG. Scribit Eutropius Lib. IX. cap. 26., Diocletianum primum fuisse, qui *adorari se jussit, quum ante eum cuncti salutarentur*. Et Victore teste Diocletianus *se primus omnium Caligulam post Domitianumque Dominum palam dici passus* est *& adorari se appellariq; uti Deum*. Inde Cæsarum Augustorumq; propria evasit *Domini* appellatio ac frequentari cœpit, multoq; duravit tempore, in recto casu fere usurpata in nummis tum Augustorum tum Cæsarum.

(a) Apud Mediob. pag. 428. & 435.

XIV. Dicendum nunc est de nomine *Imperatoris* ob victorias; ac primum aliorum sententias proferre operæ pretium ducimus. Gulielmus itaque Loydius, vir eruditissimus, in litteris ad Pagium, virum alterum eruditiss., ex Anglia scriptis, arcanum docuit, quod prætermittere se non debere, Pagius ipse tradit, quia illud a nemine observatum vidit. „ Titulum „ IMP., *inquit Loydius* (*b*), victorias denotantem, Nerva una „ cum imperio primum accepit. Hoc fecisse omnes *Imperato-* „ *res* Romanos non dubito. Nervæ autem nullam victoriam „ legimus obtigisse ante illam Trajani Germanicam. Hujus „ victoriæ caussa IMP. II. Nervam appellatum fuisse ostendit „ ei conjuncta TR. P. II. in inscriptione Gruteriana CLXXXIX. „ 13., ubi Nerva Cæsar TR. P. II. IMP. II. dicitur. Nam in- „ gressus est annum secundum Tribuniciæ Potestatis die XVIII. „ Septembris anni Christi XCVII. Intra proximum mensem „ Trajano obtigit illa victoria, ob quam Nerva lauream Jovi „ Capitolino dicavit. Hinc Nervam constat IMP. II. audivis- „ se. Hanc lauream quum a Trajano acceperat, huic vicissim „ imperii consortium reddidit; & omnia, quæ Titus a Patre „ acceperat, voluit a Trajano usurpari, ideoque & titulum „ IMP. victorias denotantem, quem Titus Patre vivo qua- „ tuordecies multiplicaverat. “ Ita Loydius, cujus observationem Pagius ut egregiam amplectitur, aliisque proponit.

De nomine Imp. ob victorias.

(b) Apud Pagium in Crit. ad ann. Chr. 117. n. VIII

Loydii opinio.

XV. Alia incessit via Eminentissimus Norisius, docuitque (*c*), *Cæsares, qui antea nomen* Imperatoris *ferebant, quum postea Augusti titulum accipiebant*, IMP. II. *dictos fuisse*. At ego animadverto, nomen *Imperatoris* omnino diversum esse a no-

Imperator. quum Augusti fiebant, Imperatores iterum audiebant ex Norisio.

(c) Apud Pagium in Crit. ad ann. Chr. 117. nu. IX. X. & XI.

mine *Augusti*, & inter se diversa nomen utrumque significare: etenim *Imperatoris* nomen, prout ostendimus, maximam continebat, significabatque potestatem. Ἡ γὰρ δὴ τοῦ Αὐγούστου πρόσρησις δύναμιν μὲν οὐδεμίαν αὐτοῖς οἰκείαν προστίθησι, δηλοῖ δὲ τὴν τοῦ ἀξιώματος λαμπρότητα: *Augusti vero vocabulum nihil eis*, Romanis nempe Principibus, *potentiæ adjiciebat peculiaris, sed splendorem tantum dignitatis significabat*, ipso Dione teste (*a*). Quî igitur fieri poterat, ut *Augusti* titulus, qui nihil civilis aut militaris potentiæ continebat, titulum multiplicaret *Imperatoris*, qui utramq; hanc potentiam unice respiciebat? Nulla proinde adfinitas inter Augusteum & Imperatorium nomen, ut unum alterius fundamentum esse posset. Sane nec mihi nec facile aliis idem videri potest *Imperator iterum*, ac *Imperator Augustus*.

(a) Lib.LIII.pag. 509. A.

Numerus Imperatorii tituli ob victorias numerum victoriarum superare unitate solet.

XVI. Hæc porro excogitaverunt viri laudati, quia animadverterunt, minime inveniri tot numero victorias, quot occurrunt propter ipsas victorias Imperatorii numeri. Observarunt itaque, numeros, qui titulo Imperatoris ob victorias adjuncti sunt, superiores esse solere victoriis ipsis majoresque unitate. Hinc aliquid, unde hoc proveniret, commune omnibus Imperatoribus, interfuisse crediderunt. Supplendo itaque Imperatoris ob victorias numero, ea, quæ descripsimus, ab utroque excogitata, ac conciliandis cum eodem numero victoriis inventa. Sane, quum inæqualitas insit, conciliationis necessitas oritur. Quare aliquid de novo, quum non satis traditum in hac re nobis videatur, excogitare etiam nos debuimus, quod Lectoris judicio proponimus atque subjicimus.

Nomen Imperatoris ob victorias caussa & occasio fuit nominis Imperatoris ob imperium.

XVII. In primis itaque observamus, prius exstitisse nomen *Imperatoris* ob victorias, quam idem nomen ob imperium, partumque demum fuisse victoriis imperium ipsum. Plures fuerunt integra Rep. summi bellorum Duces, qui rebus bene ac prospere gestis *Imperatoris* nomen sunt adepti. Julius ipse Cæsar *multoties Imperator* ob victorias dictus jam fuerat, antequam imperium consequeretur. Ex Prætura provinciam sortitus Hispaniam, quum suscepta contra Gallæcos & Lusitanos expeditione, cuncta victor ad Oceanum usque perdomuisset, e provincia discedens, *a militibus*, quos ingenti præda exuviisque ditarat, προσηγορευομένος Αὐτοκράτωρ ὑπ' αὐτῶν (*b*), *Imperator*, prima sc. vice, *consalutatus est*. Quinquies ulterius *Imperator* nuncupatus est; nam omnino IMP*erator* SEX*tum* (*c*) audiit. Plures porro hujusmodi appellationes pluribus post illud Hispaniense

(b) Plutarch. in Vit. pag. 713.

(c) Num. apud Mediob. & al.

panienſe primum confectis bellis meruit, unde & *quinquies* (*a*) *triumphavit. Primum & excellentiſſimum triumphum egit Gallicum, ſequentem Alexandrinum, deinde Ponticum, huic proximum Africanum, noviſſimum Hiſpanienſem.* Ut vero alia omittamus, quum ipſe *Cæſar* (*b*) *Dictator tertio, deſignatus quarto*, vergente ſcilicet ad finem anno U. C. DCCVIII., *ad bellum* adverſus Pompeji liberos *conficiendum in Hiſpaniam veniſſet, ante* (*c*) *diem* XI. *Kalendarum Martii* ſequentis anni Ategua *oppido potitus, Imperator eſt appellatus*. Quinta vice hoc factum eſt, nam IMP*erator* IIII. (*d*) in DIC*tatura* III. jam erat: tum IMP*erator* QVART*um* CONS*ul* QVAR*tum* DIC*tator* QVAR*tum* dicitur (*e*); hinc IMP*erator* QVIN*tum* COS. QVARTum ſimulque DIC*tator* QVART*um* occurrit in nummis (*f*), qui ad annum U.C. DCCIX. ſpectant. Legitur quoq; (*g*) IMP*erator* SEX*tum* DIC*tator* QVART*um*. Et, quamvis principio *Conſulatus quinti* adhuc *Dictator quartum*, ut notavimus (*h*), dictus ſit, titulus tamen *Imperatoris ſextum* bello ipſo Hiſpanienſi partus videtur: τοῦτον γὰρ τὸν πόλεμον τελευταῖον κατώρθωσε, καὶ ταύτην τὴν νίκην ἐσχάτην ἀνείλετο (*i*): *quippe bellum hoc poſtremum a Cæſare confectum eſt, & hanc ultimam victoriam reportavit*. Quare nullus exinde remanet multiplicandi titulum *Imperatoris* ob victorias locus. Confecit porro bellum Hiſpanienſe Cæſar anno U. C. Capitolino DCCVIII., qui eſt Varronianus, quo nos utimur, DCCIX., quum eſſet ipſe Cæſar *Conſul quartum* ſimulque *Dictator quartum*. Hinc & triumphavit (*k*) C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR V. DICT. IIII. COS. IIII. EX HISPANIA .... OCTOBR. Plura alia decrevit Senatus in honorem Cæſaris ob victoriam in Hiſpania relatam. Inter hæc „ Imperatoris (*l*) quoque „ nomen, non antiqua tantum pro conſuetudine, qua id cum „ alii, tum ipſe quoq; multoties ex bello reportaverant; ne„ que ea ratione, qua ii, qui abſolutum aliquod imperium, „ aut aliquam aliam poteſtatem accipiebant, nuncupabantur; „ ſed eo modo, quo nunc iis, qui ſummum imperium obti„ nent, datur, tum primo Cæſari primum, tamquam quid ſu„ premum impoſuerunt. " Ita Dio Caſſius, cujus auctoritatem venerantur ac ſequuntur, qui hujus generis res tractant. *Imperatoris* itaque *nomen* & ob victoriam, & ob imperium datum tunc Cæſari, hiſtoricus docet. Quod attinet ad imperium, ſupra conſideravimus; quod autem ad nomen *Imperatoris* ob

Nomen Imperatoris imperium continens datur Cæſari.

(a) Suet. in Vit. cap. 37.

(b) Auct. de Bell. Hiſp. in princ.

(c) Id. eod. Lib.

(d) Num. apud Mediob. pag. 6.

(e) Apud Morell. Tab. IX. nu. 15. & alios, quos videre eſt apud Schlegelium in Com. ad Morell.

(f) Mediob. p. 6. & Golt. apud Morell. Tab. IX. nu. 12.

(g) Apud. eumd. Mediob. p. 6. & Morell. Tab. V. nu. 17. 19. 20.

(h) Num. VI. hujus Animadv.

(i) Dio Libro XLIII. pag. 234. A.

(k) Faſt. Capit.

(l) Dio Libro XLIII. p. 235. C. Verba græca habentur ſupra nu. IV.

victoriam ſpectat, conceſſum illud aut confirmatum tunc *ſexta* vice videtur; quippe nullam aliam exinde victoriam reportavit Cæſar, adeoque nec titulum *Imperatoris* auxit; & tamen IMPerator SEX*tum* occurrit.

Idem Imperatoris nomen datur Cæſaris ſucceſſoribus.

(a) Ibid. D. E.

XVIII. Subdit hæc Dio (*a*): Ὅθεν πὲρ ϗ ἐπὶ πάντας τὰς μετὰ ταῦτα Αὐτοκράτορας ἡ ἐπίκλησις ἄυτη, ὥσπέρ τις ἰδία τῆς ἀρχῆς αὐτῶν ἔσα, καθάπερ ϗ ἡ τοῦ Καίσαρος, ἀφίκετο. οὐ μέντοι ϗ τὸ ἀρχαῖον ἐκ τούτου κατελύθη, ἀλλ᾽ ἔστιν ἑκάτερον· ϗ διὰ τοῦτο ϗ δεύτερον ἐπ᾽ αὐτῶν ἐπάγεται, ὅταν νίκην τινὰ τοιαύτην ἀνέλωνται. οἱ μὲν γαρ̀ αὐτὸ τοῦτο Αὐτοκράτορες, ἅπαξ τῇ προσηγορίᾳ ταύτῃ, ὥσπερ ἀν ταῖς ἄλλαις ϗ πρώτῃ γεχρῶνται. κ. λ. *Nomen Imperatoris a Julio, quemadmodum etiam Cæſaris nomen, tamquam peculiare ſummi imperii cognomentum ad omnes deinceps Imperatores dimanavit, non tamen ſublata antiqua hujus nominis ratione, ſed utraque integra. Itaq; iterum etiam eis tribuitur, quum victoriam aliquam obtinuerunt. Nam, qui ſunt Imperatores, ſemel hac appellatione ſicut & aliis, adeoq; prima utuntur. Qui vero bellis hac appellatione dignum aliquid geſſerunt, ii priſcum quoq; nomen Imperatoris adſciſcunt ſibi: unde fit, ut quis eorum iterum, & tertium & pluries, nimirum quoties id meritus ſit, Imperator nominetur.* Hæc Dio, quibus

Tum etiam nomen Imperatoris ob victorias.

aperte docemur, Romanos Principes ita nomen *Imperatoris* accepiſſe ac geſſiſſe, ut non ſolum ſummum imperium inde haberent, verum etiam ejuſdem nominis propter victorias iterandi ac multiplicandi principium inde ſumerent. Quare nomen *Imperatoris* ſummam potentiam victoriaſque ſpectabat. Manifeſte etiam tradit ipſe Dio, eos, qui imperio potiebantur, *ſemel* ac *primo*, ſeu prænominis loco, *Imperatoris appellatione* uſos fuiſſe; eoſdem vero ipſos, quoties victoriam aliquam obtinuiſſent, *iterum* dictos eſſe *Imperatores*; ac *tertium Imperatores*, ſi aliam inde conſecuti forent victoriam; quemadmodum *pluries Imperatores* juxta victoriarum numerum hoc ordine ſumptarum. Prima itaq; victoria titulum *Imperatoris iterum* pariebat ex Dione, ſe-

Nomen Imperatoris, quod imperium continebat, fundamentum ac principium fuit Romanis Principibus iterandi ac multiplicandi nomen Imperatoris, quod victorias ſignificabat.

cunda vero titulum *Imperatoris tertium*: ita tertia victoria titulum *Imperatoris quartum*; & quarta quintum, ac reliquæ hoc ordine adferebant. Quare conſtat, nomen *Imperatoris*, quod continebat ſignificabatque imperium, fuiſſe fundamentum ac principium nominis *Imperatorii* ob victorias. Hoc modo, quotieſcumque occurrit aliquis numerus titulo *Imperatoris* additus, non tot victoriæ, quot ſunt numeri, intelligendæ ſunt,

Ordo, quo id fiebat.

ſed una minus, quippe in eum numerum venit etiam nomen *Imperatoris*, quod imperium ſignificat. Sic IMP*erator* X. imperium

perium denotat & *novem* victorias; IMP*erator* XX. imperium & *undeviginti* victorias notat; & ſic ceteri numeri. Recte autem ac merito id procedere dignoſcitur, ſi conſideretur, non quidem victorias iis numeris proprie ſignari, ſed quoties aliquis dictus eſt *Imperator*. Ipſæ profecto victoriæ occaſionem præſtabant iterandi multiplicandique nomen *Imperatoris*; ceterum iteratio ipſa atque multiplicatio nomen *Imperatoris* reſpiciebat, quod imperium ſignificabat. Acclamationes igitur militum *Imperatoriæ*, repetitiones erant acclamationum, quæ in deferendo primum alicui imperium editæ fuerant; atque adeo ſingula quæque hujus generis acclamatio nihil aliud erat, quam confirmatio ipſius imperii. Quod ſi confirmabatur imperium, jam altera vice deferebatur. Hinc eſt, quod prima confirmatio importat titulum *Imperatoris iterum;* eſt enim *Imperatorii* nominis repetitio. Olim, ſtante ſcilicet Rep., qui non erant *Imperatores*, poſt maximum idque primum belli facinus, nomen *Imperatoris* primum reportabant. At vero ſublata Rep., qui erant *Imperatores* propter imperium, ſi magnam aliquam victoriam referebant, cui nomen *Imperatoris* deberetur, nonniſi *iterum* I*mperatores* dici poterant, quippe primum *Imperatores* jam erant.

XIX. Hæc, quæ diximus, unam pati poſſe exceptionem videntur, quum nempe quis nomen I*mperatoris* ob victorias ante illud, quod imperium continebat, accepit, nec occaſione alicujus victoriæ imperium obtinuit. Obſervavimus, Jul. Cæſarem dictum quidem fuiſſe *Imperatorem* ob victorias, antequam conſequeretur imperium; at etiam notavimus, occaſione Hiſpanienſis victoriæ accepiſſe imperium, ita ut ſimul nomen *Imperatoris* ob victoriam augeret, & ſummum imperium adipiſceretur. At vero alter Cæſar, qui poſtea Auguſtus eſt dictus, imperium diviſim a nomine I*mperatoris* ob victorias accepiſſe videtur. In hunc etenim ſenſum, ut jam notavimus ſupra (*a*), de ipſo ſcribit Dio: *eodem anno, quo Coſ.* V. *fuit*, I*mperatoris nomen accepit, non quale propter victoriam tribui ſolebat, (id enim ſæpius & antea & poſtmodum ex ipſis actionibus reportavit, adeo ut ſemel & vicies Imperator ſit appellatus), ſed quo ſumma imperii demonſtraretur, quod patri quoque ejus Cæſari & ejus filiis nepotibuſque decretum fuerat*. Quo loco non tantum diſtinguitur nomen I*mperatoris*, quo ſumma imperii demonſtrabatur, ab I*mperatorio* propter victoriam nomine; verum etiam traditur,

De iis, qui prius Imperatores ob victorias dicti ſunt, nec tamen propter victorias imperium acceperunt.

(a) Num. VII. ubi verba græca habentur.

divifim

divisim ab hoc *Imperatorio* titulo delatum tunc Cæsari imperium, ita ut nonnisi imperium per id tempus accepisse Cæsar videatur, quum tamen nomen *Imperatoris* ob victorias *& antea & postmodum* sæpius obtinuerit. Tiberius quoque Cæsaris Augusti in imperio successor, pluries *Imperator* ob victorias, antequam succederet, dictus, titulum hunc auxisse non videtur, quando sumpsit imperium. Quippe observatur in TRIB*unicia* POT*estate* XIII. (*a*) dici cœpisse IMPERAT. VII. vivo & imperante Augusto; eumque titulum *Imperatoris* VII. durare aliquot annos etiam post mortem Augusti. Galerius quoq; Maximianus, antequam consequeretur imperium, adhuc Cæsar, titulos devictarum gentium (*b*), simulque *Imperatoris* ob victorias pluries reportavit, nec vero hunc titulum auxisse videtur, quum imperium est adeptus; nam postea *Imperator* XIX. tantum, ob XIX. victorias dicitur (*c*). Ex quibus, si ita sunt, ut videntur, argui inde potest, destinatos imperii heredes, qui titulum *Imperatoris* ob victorias ante imperium obtinuerunt, quum postea imperium consecuti sunt, minime auxisse titulum *Imperatoris*; siquidem absque victoria imperium ipsum sunt adepti, ut Tiberio accidit & Galerio. Quippe imperium non propter victoriam, sed tamquam heres adiit Tiberius; & Galerius, quum plures annos fuisset Cæsar, Diocletianum coegit imperio cedere (*d*), sibiq; illud tradere.

(a) In numm. apud Mediob. pag. 63. & al.

(b) Tom. I. Thes. Inscript. Murat. pag. CCLVII. 6. Vid. infra hoc ipso num.

(c) Vid. n. XXIII. hujus Animadv.

(d) Lactant. de Mort. Perf. c. 18.

Utrum in hac classe sint Titus, Trajan. & Commodus.

Non facile tamen alii invenientur, qui ita consecuti sint imperium, nisi forte Titus, Trajanus, & Commodus. Titus enim a Patre Vespasiano facto Imperatore, & Romam properante, ad perdomandam Judæam relictus, Hierosolyma cepit *tanto militum gaudio (e) ac favore, ut in gratulatione Imperatorem eum consalutaverint*. Subinde decedens provincia Ægyptum adiit; Romam inde contendit, *neq; (f) ex eo destitit participem atque etiam tutorem imperii agere*. At utrum, quo tempore admotus est imperio, titulum numerumque *Imperatoris* auxerit Titus, incertum est. Trajanus autem, sicuti ex victoria, quam in Germania retulit, *Germanici* cognomen adeptus est, ita etiam *Imperatorem* ea occasione dictum fuisse, aliquibus videri potest. Tunc sane adoptatus est a Nerva Augusto, *& simul filius (g), simul Cæsar* renuntiatus est. *Mox Imperator (h), & consors Tribuniciæ Potestatis, & omnia pariter, & statim factus est, quæ proxime Parens verus*, Vespasianus scilicet, *tantum in alterum filium*, nempe Titum, *contulit*. At nec constat, Trajanum, antequam

(e) Suet. in Tito cap. 5.

(f) Id. cap. 6.

(g) Plin. in Panegyr. c. 8.

(h) Id. ibid.

antequam particeps imperii fieret, ob Germanicam victoriam dictum fuisse *Imperatorem* aut *Germanicum:* nec manifestum est, ipsum Trajanum, quo tempore imperium auspicatus est, titulum *Imperatoris* nequaquam auxisse. Adlatus erat ex Pannonia victoriæ nuntius; Nerva adoptavit Trajanum & Cæsarem fecit, nec multo post *Imperatorem* declaravit, ac tunc demum *Germanicum* appellasse videtur ex his de ipso Trajano apud Plinium (*a*), si suo ordine sunt dispostia, verbis; *Jam Cæsar, jam Imperator, jam Germanicus* &c. Commodus quoque dictus est *Germanicus* (*b*) *Idibus Herculeis, Maximo & Orphito Coss.* (*c*); appellatus est etiam *Sarmaticus* (*d*), antequam *Imperator* fieret; at cum cognomine *Germanici* & *Sarmatici* titulum Imperatoris ob victorias consecutus non videtur ex iis, quæ infra dicturi sumus (*e*).

(a) In Paneg. c. 9.
(b) Lamprid. in Com. c. 11.
(c) An. U.C. 925. Chr. 172.
(d) In numm.
(e) Num. XXII.

Incertum est, Augustum, Tiberium & Galerium, quum imperium acceperunt, auxisse nec ne nomen Imperatoris.

XX. Sed neque de Augusto, Tiberio, & Galerio res in aperto est. Nam, quod spectat Augustum, eo anno, quo imperium accepit, bis I*mperatoris* titulum auxit. Quippe in COnS*ulatu* IIII. (*f*) IMP*erator* V. renuntiatus fuerat; (*g*) postea COnS*ul* V. IMP*erator* VI. & VII. dictus est. Hoc autem *Consulatu* V. imperium accepit. Referri tamen potest duplex hic titulus I*mperatoris* VI. & VII. ad victorias ex duplici natione reportatas. Quum enim Crassus superioris anni Consul in Macedoniam & Græciam missus, res prospere contra Dacos & Bastarnas gessisset, *non modo Cæsari sed Crasso etiam sacrificia & triumphus decreta sunt* (*h*): οὐ μέν τοι καὶ τὸ τοῦ Αὐτοκράτορος ὄνομα, ὥς γε τινὲς φασὶν, ἔλαβεν, ἀλλ᾽ ὁ Καῖσαρ μόνος αὐτὸ προσέθετο: *non tamen, (quod quidam tradiderunt),* I*mperatoris nomen Crassus accepit, sed solus Cæsar.* Quod autem Tiberium spectat, certum quidem est, ipsum, quum Augusto demortuo successit, titulum I*mperatoris* non auxisse; quippe IMP*erator* VII. cœpit inscribi (*i*) in TRIB*unicia* POT*estate* XIII., quo tempore CAESAR & AVGVSTI F*ilius*, AVGVR & PONTIF*ex* tantum dicebatur. Eumdem vero titulum IMP*eratoris* VII. continuavit aliquot annos etiam post mortem Augusti, quæ secuta est TR*ibuniciam* POT*estatem* XVI. agente Tiberio, quippe in hac DIVI AVG*usti* F*ilius*, & AVGVSTVS Tiberius ipse cœpit inscribi (*k*). Titulus vero IMP*eratoris* VII. usq; ad TR*ibuniciam* P*otestatem* XXIII. durat in ejus nummis. Quare, quum Augusto demortuo successit, titulum *Imperatoris* minime auxit. At hoc fieri potuit,

(f) An. U.C. 724.
(g) In numm. apud Mediob. pag. 26.
(h) Dio Cass. Lib. LI. p. 462. B.
(i) In num. apud Mediob. & al.
(k) In numm.

tuit,

(a) Sueton. in Vit. cap. 26.

(b) Vellej. Lib. II. cap. 121.

(c) In Tib. c. 21.

(d) Annal. I. paullo post princ.

tuit, vel quia ſuccedens Auguſto *Prænomen Imperatoris* (*a*) *recuſavit*; vel quia *Imperatoriam* poteſtatem ſaltem in Provincias & exercitus jam antea acceperat. Nam *Senatus* (*b*) *Populuſque Romanus, poſtulante Patre ejus* Auguſto, *ut æquum* Tiberio *jus in omnibus Provinciis exercitibuſq; eſſet, quam erat ipſi, decreto complexus eſt*, teſte Vellejo. Adſtipulatur Suetonius, qui ſcribit (*c*), legem per Conſules latam fuiſſe, *ut Provincias cum Auguſto* Tiberius *communiter adminiſtraret*. Quod ad tempus, quo *Tribuniciam Poteſtatem* XIII. agebat Tiberius, haud difficulter reduci poteſt. Quin ante hoc etiam tempus *conlega imperii* ab Auguſto adſumptus dicitur apud Tacitum (*d*) Tiberius. Quæ quum ita ſint, ſi quis auctum imperio nomen *Imperatorium* Tiberii defendere velit, non facile convincetur. Quod demum ad Galerium adtinet, haud omnino certum eſt ipſum abſque multiplicatione nominis *Imperatorii* ad imperium acceſſiſſe. Scimus, eumdem adhuc Cæſarem pluries appellatum ob victorias *Imperatorem*, quin & cognomina devictarum gentium adquiſiviſſe: unde dedicata legitur (*e*) inſcriptio

(e) Tom. I. Theſ. Mur. p. CCLVII. nu. 6. ex Donio.

NOBILISSIMO . CAESARI
DOMINO . NOSTRO
GALERIO . VALERIO . *Maximi-*
AN. PERSICO . MAXIMO
SARMATICO . MAXIMO
BRITANNICO . MAXIMO

(f) Apud Lact. de Mort. Perſ. c. 9.

(g) Apud eumd. ecd. Lib. c. 18.

At etiam legimus (*f*), ipſum Galerium in tantos faſtus poſt victoriam ex Narſeo Perſarum Rege relatam elevatum eſſe, *ut jam detractaret Cæſaris nomen* & ſupremum adfectaret imperium. Quod & tandem a Diocletiano obtinuit, poſtquam queſtus eſt (*g*), *jam fuxiſſe annos quindecim, in Illyricum vel ad ripam Danuvii relegatus cum gentibus barbaris luctaretur*, adeo ut victoriis imperium ſibi peperiſſe ac flagitaſſe videatur. Non tamen conſtat, *Imperatorium* ob victorias nomen, quum imperium ſumpſit, auxiſſe. At nec contrarium manifeſtum eſt. Verum quidem eſt, toties *Imperatorem* apud Euſebium (*h*) inſcribi Galerium, quot ibidem victoriarum tituli deſcribuntur, ac *Imperatoris* prænomen, quod imperium reſpicit, ulterius ibi ineſſe. Sed non omni ea lectio vacat dubio, & aliter alii legunt; qua de re nos alibi (*i*).

(h) Hiſt. Eccleſ. Lib. VIII. c. 17. al. 29.

(i) Num. hujus Anim. XXIII. & XLV. Animadv. de Trib. Pot.

XXI. His porro, prout expoſita ſunt, conſideratis in incerto manemus, utrum ii Imperatores, qui imperium auſpicati ſunt,

ſunt, quum jam *Imperatores* ob victorias renuntiati fuiſſent, nomen *Imperatoris* propter imperium auxerint nec ne. At non dubitamus, eos, qui prius imperium ſunt adepti, mox, ut præclaram aliquam victoriam reportarunt, *iterum Imperatores* dictos inſcriptoſque fuiſſe, quemadmodum & *tertium Imperatores*, ſi altera victoria eorum auſpiciis relata ſit; ita ut prænomen *Imperatoris*, quod imperium ſignificabat, initium eſſet & fundamentum nominis *Imperatoris* ob victorias, idemque prænomen in eum numerum veniret, qui nomini *Imperatoris* additus paſſim occurrit. Quotieſcumq; igitur numerum aliquem conjunctum cum nomine ſeu cognomine *Imperatoris* obſervamus, primum in eo numero computamus nomen ſeu prænomen *Imperatoris*, quod imperium ſignificat, poſtea tot numeramus acclamationes militares, quot reſtant numeri. Ita rationes & auctoritates ſuperius adductæ ſuadent.

Prænomen Imperatoris fundamentum cognominis Imperatorii ob victorias.

His accedit, quod nomen ipſum ſeu prænomen *Imperatoris* milites remque militarem præcipue reſpiciebat, adeo ut reliqua poteſtas, qua potiebantur Auguſti, ab aliis titulis proce deret, puta *Pontificis Max.*, *Conſulis*, *Proconſulis*, *Tribuniciæ Poteſtatis* &c. Hinc *Imperatores* creare, milites ſuum eſſe credebant, ac paſſim re ipſa creabant (*a*); Senatus vero confirmabat, reliquos titulos magis proprie ipſe decernens. Atque adeo Tiberius ὄυτε Α'υτοκράτορα ἑαυτὸν, πλὴν τοῖς ςρατιώταις καλεῖν ἐφίει (*b*), *Imperatorem nonniſi a militibus ſe appellari patiebatur*; ac ſæpe dicebat, *Dominum ſe ſervorum*, Α'υτοκράτορα δὲ τῶν ςρατιωτῶν, (*c*) *Imperatorem militum*, *Principem ceterorum eſſe*. Porro, quum proſperum quid in bello Imperatoribus accidebat, hos de novo *Imperatores* conclamabant milites, & altera jam vice in imperio firmabant, *iterum*que dicebant *Imperatores*. Quod ſi nova ſuccederet victoria, *tertium Imperatores* renuntiabantur, eodemque in poſterum ordine reliquæ ſequebantur acclamationes *Imperatoriæ*. Ita vero nomen *Imperatoris* ob victorias imperium reſpiciebat, ut Diodorus Siculus Ι'υπερράτορα ὅ ἐςι Βασιλέα, *Imperatorem* hujuſmodi apud Romanos, *eumdem fuiſſe cum Rege* apud Græcos, de cujus imperio dubitari non poteſt, ſcripſerit (*d*). Vivebat enim imperante Auguſto, quum nomen *Imperatoris* ob victorias & ob imperium increbuiſſet. Quapropter conſequitur, nomen *Imperatoris*, quod cum imperio dabatur, fundamentum & initium fuiſſe nominis *Imperatorii*, quod propter victorias addebatur. Sane, quum numerus, qui titulo *Imperatoris*

Confirmatur.

(a) Vid. numer. XXVIII. hujus Animadv.

(b) Dio Lib. LVII. pag. 607. A.

(c) Id. ibid.

(d) Ecloga 3. Lib. XXXVI.

ratoris ob victorias adjungitur, victorias ipsas unitate superare observetur, haud aliter melius, quam nomine *Imperatoris*, quod imperium significabat, æquari posse nobis videtur. Et e contra, si principium aliquod nominis *Imperatorii* ob victorias quærendum est, non aliunde melius, quam a nomine *Imperatoris* ob summum imperium repeti posse videtur. Hoc autem utrumq; fit propter maximam ne dum ipsius nominis, verum etiam significationis convenientiam. Quippe nominis *Imperatorii* propter imperium ratione, *exercitus scribendi, pecuniæ conficiendæ, bella suscipiendi, pacem faciendi, peregrinis & civicis legionibus semper & ubiq; similiter imperandi*, ut jam notavimus (*a*), jus habebant Imperatores. Quæ ita conveniunt cum nomine *Imperatorio* propter victorias, ut hujus principium illa fuisse, æquum omnino sit. Hanc itaque rem concludimus laudata jam Dionis sententia (*b*): *Qui erant Imperatores*, scilicet propter imperium, *semel hac appellatione, sicut & aliis, adeoque prima utebantur. Qui vero bellis hac appellatione dignum aliquid gerebant, ii priscum quoque nomen Imperatoris adsciscebant sibi: unde fiebat, ut quis eorum iterum*, (hoc est non rursus *primum*, sed *iterum*), *& tertium, & pluries, nimirum quoties meritus sit, Imperator nominaretur.*

(a) Num VIII. ubi habent. verba græca Dionis Lib. LIII. p. 508. B.

(b) Lib. XLIII. pag. 235. D.

Commodum multiplicasse nomen Imperatoris, quando accepit illud Augusti, Norisius & Pagius docent.

XXII. Ut vero ad alios convertamur & redeamus, quamvis in diversam sententiam trahi Norisius ac Pagius videantur, alicubi tamen conveniunt. Postquam igitur Loydii opinionem de titulo *Imp.* Augustis initio imperii absque victoria dari solito, ex quo nempe Nerva consuetudinem illam induxit, optime fundatam se existimare scripsit Pagius, (*c*) subdit, ei suffragari duas egregias Card. Norisii observationes, quas paullo ante retulerat. „ Ex iis enim, quæ ibidem dicuntur, „ liquet, *inquit*, titulum *Imperatoris* ob victorias Commodo „ multiplicatum fuisse ab anno CLXXV. ad annum CLXXVII., „ quum Marcus Pater nec anno CLXXVI., nec anno CLXXVII. „ illum auxerit, sed fuerit tantum, uti antea nuncupatus IMP. „ VIII. Ideo enim IMP. titulum Commodus multiplicavit, „ quia anno CLXXVI. Augustus vocatus est. “ Describit quippe Norisius, referente ipso Pagio (*d*) nummos Marci Aurelii cum TR. P. XXIX., & titulo IMP. VIII. Rursus vidisse se subdit nummos ejusdem Marci inter Mediceos cum TR. P. XXXII. & titulo IMP. VIIII. Hinc colligit, *Marcum Imperatorem anno Christi* CLXXV. (*e*) *dictum* IMP. VIII., *& postea*

(c) In Crit. ad an. Chr. 117. n. XIV.

(d) In Crit. ad eumdem an. Chr. 117. nu. X.

(e) U. C. 928.

anno

anno Christi clxxviii. (*a*) *appellatum* IMP. VIIII. Jam vero apud Mediobarbum (*b*) observat (*c*), nummos Commodi laudari cum epigraphe in postica TR. P. II. IMP. II. COS. PP. „ Commodus accepit, *inquit*, Tribuniciam Potestatem circa Augustum anni clxxv. Quare annus TR. P. II. exiit „ eidem anno Christi clxxvii. Quæso te, Vir eruditissime, „ *ita ad Pagium eruditissimus ipse Cardinalis*, undenam Commodo titulus *Imperatoris* multiplicatus fuerit ab anno clxxv. „ ad annum clxxvii., quum Marcus Pater nec anno clxxvi., „ nec anno clxxvii. titulum *Imperatoris* multiplicaverit, sed „ fuerit tantum nuncupatus IMP. VIII. Si nummi isti duo „ Commodi sunt legitimi & recte exscripti, evidenter patet, „ Cæsares, qui antea nomen *Imperatoris* ferebant, quum postea Augusti titulum accipiebant, IMP. II. dictos fuisse. " Ita Clariss. Norisius, qui tamen non observavit apud laudatum, nec sine laude nominandum Mediobarbum (*d*) describi nummos M. Aurelii cum TR. P. XXXI. & titulo IMP. VIIII. His vero similes sunt in Museis Theupolo (*e*) & Arigonio Venetiis. Porro TR*ibunicia* P*otestas* XXXI. Marci, quamvis integre cum TR. P. II. Commodi fluxisse mihi, ut mea fert opinio (*f*), non concedatur, aliquot saltem menses, nempe a Martio ad Augustum anni Chr. clxxvii. juxta Cardinalis amplissimi aliorumque sententiam una fluxit. Quare intra id tempus adsumpsisse dici potest Marcus titulum IMP. VIIII., illumq; IMP. II. concessisse Commodo: atq; hoc pacto idem Commodi titulus IMP. II. non ad Augusteam ejusdem dignitatem, sed ad victorias ejus temporis referri potest, &, si quid ego judico, omnino debet. Fatetur Norisius (*g*), ex nummis Commodi se descendisse *in illam opinionem de titulo* IMP. II. *Trajano, Hadriano, & Pio initio imperii Augustei delato*. Quare notat (*h*), Nervam adoptasse Trajanum, creasse Cæsarem, ac paullo post eidem prænomen *Imperatoris* ac Tribuniciam Potestatem contulisse. *Quum vero* Trajanus, inquit, *mortuo Nerva, Augusti titulum accepit, tunc* IMP. II. *dictus fuit*. A Trajano Hadrianum adoptatum putat vir Emin., eo modo quo ipse Trajanus a Nerva fuerat adoptatus. *Hadrianus*, ait, *tantum* IMP. II. *dictus fuit, ac titulum* IMP. *multiplicavit mortuo tantum Trajano, quum Augustus dictus fuit, qua die natalem imperii celebravit, quum Trajani defuncti nuntium accepit*. Ex inscriptione Gruteri (*i*) infert, Antoninum Pium *prænomen* *Impe-*

(a) U. C. 931.
(b) Pag. 242.
(c) Ibid. num. XI.
(d) Pag. 226. & 227.
(e) Pag. 513.
(f) Vid Animad. vers. de Trib. Pot. in M. & Commodo.
(g) Eod. nu. XI.
(h) Num. IX.
(i) Pag. CCLVI. nu. 4.

Norisius præterea arbitratur, Trajanum, Hadrianum & Antoninum Pium dictos fuisse IMP. II. propter Augusteum imperium.

Imperatoris ab Hadriano adoptante accepiſſe. Hinc ſubdit, eumdem Pium poſtea, quum mortuo Hadriano dictus fuit AVG., una ſimul acclamatum fuiſſe IMP., ac proinde in nummis IMP. II. ſemper dictum apparere. *Et, quamvis victorias obtinuit per Legatos, titulum* IMPERATORIS *de more ab exercitu datum, ex Tacito in fine* LIB. III. *Annal., admittere noluit. Hinc ad mortem uſq; fuit tantum* IMP. II. Hæc Noriſius. At nos credimus Trajanum dictum eſſe IMP. II. ex accepto cum prænomine *Imperatoris* imperio & ex relata in *Pannonia* (*a*) victoria, ſeu potius ex pacata ſtatim poſt ſumptum imperium Germania. Nam, ut *inſignia* (*b*) *ſumpſit imperii, mox Germaniam trans Rhenum in priſtinum ſtatum reduxit*. Plinius, *Jam Cæſar*, ait (*c*), *jam Imperator, jam Germanicus.* Hadrianus vero vel adoptatus non fuit a Trajano (*d*), vel ſi adoptatus, prænomen *Imperatoris* ab eo non accepit: ſed hoc primum accepit cum imperio poſt mortem Trajani, quando etiam *Auguſtus* dictus eſt. Porro nomen auxit *Imperatoris* primum parta poſt ſumptum imperium victoria, quæ quidem ex conjuncto (*e*) cum TR. POT. III. titulo IMP. II., principio fere ejuſdem imperii relata dignoſcitur. Quin, ſi alia inſcriptio (*f*), quæ habet COS. II. IMP. IX., recte, ut videtur, ita reſtituitur IMP. II., jam tum anno U. C. DCCCLXXI. (*g*), cujus Kalendis Januariis, quinto poſt initum imperium menſe, COS. II. proceſſit Hadrianus, IMP*erator* II. nuncupatus eſt: quippe Kalendis Januariis ſequentis anni COS. III. fuit, adeoque ante hunc annum, in COS. nempe II. dictus eſt IMP. II. Antoninus quidem Pius παῤ Ἀδριανȣ͂ ϗ ἐποιήθη ϗ Αὐτοκράτωρ ἐγένετο (*h*), *ab Hadriano adoptatus eſt, & Imperator creatus*, teſte præter Dionem illa etiam, quam Noriſius citat, inſcriptione (*i*); at titulum IMP. II. adſecutus eſt, quum *Britannos per* (*k*) *Lollium Urbicum legatum vicit*: unde BRITAN*nicus* IMPERATOR II. (*l*) dicitur. Quæ quum ita ſint, aut nobis ſaltem ita videantur, in ſententiam Noriſii ire nequimus.

Sequiori Cæſarum ætate titulus ac numerus Imperatoris ob victorias numero correſpondebat victoriarum, nec in eum numerum veniebat nomen Imperatoris, aut Auguſti ex Noriſio.

XXIII. „ Jam vero diſce hactenus non obſervatum, „ *ſcribit rurſus ad Pagium Noriſius* (*m*). Sequiori ætate Cæſa„ rum, tituli *Imp.* multiplicabantur juxta numerum victo„ riarum, ita ut titulus IMPERATORIS AVG. initio „ imperii acceptus in numerum non veniret. Lege titulum „ Epiſtolæ Galerii Maximiani apud Euſebium LIB. VIII. cap. „ 17. Ibi dicitur IMP. XIX., nempe *Germanicus Max. &c.*;

„ numera

(a) Plin. in Panegyr. cap. 8.
(b) Oroſ. Lib. VII. cap. 12.
(c) In eod. Panegyr. c. 9. Vid. ſup. num. XIX. hujus Animadv. p. 23.
(d) Vid. Com. in num. 2. Tab. IX. Muſei Piſani.
(e) Apud Gruter. pag. CCXLVIII. nu. 8.
(f) Tom. I. Theſ. Muratorii pagin. CCXXXII. n. 4.
(g) Chr. 118.
(h) Dio Libro LXX. p. 799. A.
(i) Apud Gruter. pag. CCLVI. 4.
(k) Capitol. in Vit. c. 5.
(l) Apud Mediob. pag. 194.
(m) Apud ipſum Pagi. in Crit. ad an. Chr. 117. n. XI

„ numera victorias ibidem recitatas, e quibus eum titulum „ iteravit, sunt numero XIX. Ac proinde titulus seu præno- „ men IMP. & AVG. initio accepti in numerum non venit. Hæc Norisius apud Pagium; qui tamen Pagius paullo post ita scribit (*a*). „ Probat & Loydii opinionem titulus Episto- „ læ Galerii Maximiani, in quo dicitur IMP. XIX., quum „ tamen victoriæ, ob quas illum adeptus est, sint tantum nu- „ mero XVIII., ut videre est apud Eusebium a Card. Nori- „ sio citatum“. Alium Eusebii codicem habuisse præ mani- bus Norisius videtur, alium Pagius; nam hic legit victorias XVIII., ille XIX. Codices, quibus usus sum ego, alter editus *Coloniæ Allobrogum* anno æræ Christi CIϽ IϽ CXII, alter editus Cantabrigiæ anno MDCCXX., exhibent victorias XIX. In Codi- cibus tamen manu scriptis Mazarino, Mediceo, alioque desunt hæc verba Σαρματικὸς μέγιςος, *Sarmaticus Maximus*, quemad- modum etiam in vetustissimo exemplari Vaticano, ut Cl. Va- lesius notat (*b*). At immerito desunt: occurrunt quippe num- mi ejusdem Maximiani (*c*) cum VICTORIA SARMAT*ica*: eique tamquam VICTORI SARMA*tarum* (*d*) alii dedi- cati sunt. In inscriptionibus (*e*) quoq; legitur SAR. MAX., sicut & apud Nicephorum (*f*). Hinc Mamertinus in Pane- gyrico, *laurea illa*, inquit (*g*), *devictis accolentibus Syriam nationibus, & illa Rhætica, & illa Sarmatica te, Maximiane, fecerunt pio gaudio triumphare*. Quin Idacius tempus etiam no- tat, quo contra Sarmatas pugnatum est; quippe *Constantio & Maximiano Coss.* ita scribit (*h*): *His Coss. castra facta in Sar- matia contra Acinco & Bononia*. Et ab Eutropio (*i*) *victi* dicuntur *Sarmatæ*. Quæ quum ita sint, de titulo seu cogno- mine *Sarmatici* apud Eusebium dubitari non potest. Hinc potius mendum inesse in eo nos suspicamur, quod numerus, qui proprius erat Tribuniciæ Potestatis, adjunctus sit victoriis, & e contra numerus, qui debebatur victoriis, adfixus sit Tri- buniciæ Potestati, adeo ut restitui possit *Tribunicia Potestate* XIX., *Imperator* XX. Quo pacto omnia constant, prout alibi (*k*) ostendimus. Alia sunt in eodem titulo, quæ restituere alii (*l*) conantur: quare uni monumento, eiq; scripto in charta, non scalpto in marmore fidendum contra inveteratum morem non videtur. Nos sane, nisi certiora exhibeantur monumenta, continuatum arbitramur etiam imperante Galerio veterem mo- rem, quo fiebat, ut titulus *Imperatoris* ob victorias prænomine

(a) Ibid. n. XIV.
(b) Ad hunc locum Euseb.
(c) Apud Bandur. Tom. II. pag. 53.
(d) Ibid.
(e) Apud Gruter. pag. CLXVI. 7. & CXCII. 4. & in Thes. Murat. To. I. p. CCLVII. 6.
(f) Lib. VII. Hist. Eccl. c. 23.
(g) Cap. 7.
(h) In Fast. ad an. U.C. 1047. Ch. 294
(i) Lib. IX. c. 25.
(k) Animadv. de Trib. Pot. n. XLV
(l) Vid. ibid.

Imperatoris

Imperatoris ob imperium niteretur, adeo ut in numerum etiam prænomen ipſum veniret, ut explicavimus.

Quum plures ſimul erant Imperatores, an pari honoris & poteſtatis gradu potirentur.

XXIV. Res nunc poſtulat, ut videamus, utrum, quando plures ſimul erant Imperatores, pari honoris ac poteſtatis jure gauderent. Diſtinguendum porro eſt inter eos, qui ſimul ac ſemel creati ſunt Imperatores, & inter illos, qui ab Imperatoribus facti ſunt imperii conſortes. Rurſus alii adſciti ſunt conlegæ imperii tamquam fratres, alii tamquam filii. Hac poſita diſtinctione, cujus veritas mox patebit, ita noſtra fert opinio.

Qui ſimul ac ſemel creabantur Imperatores pari honoris ac poteſtatis jure gaudebant.

Illos itaque, qui ſimul ac ſemel creati ſunt Imperatores, pari honoris ac poteſtatis jure gaviſos eſſe credimus. Hujus claſſis ſunt Balbinus & Pupienus, quos contra Maximinum ambos ſimul ac ſemel Senatus creavit Imperatores: ὃς ἠθέλησαν μερίσαι τὴν ἀρχὴν, ὡς μὴ πάλιν ἴσαν ἐξουσίαν εἰς τυραννίδα πάλιν ἐξοκείλῃ (a): *qui Rempublicam pari poteſtate adminiſtrarent, ne rurſus principatus auctoritas in tyrannidem proveheretur*. Simul itaq; ac ſemel *decretis (b) omnibus Imperatoriis honoribus atque inſignibus, percepta Tribunicia Poteſtate, jure Proconſulari, Pontificatu maximo, Patris etiam patriæ nomine, meruerunt imperium;* quod etiam pari honoris ac poteſtatis gradu adminiſtrarunt. Ad hanc claſſem reduci poſſe videntur Antoninus quoque & Geta Severi filii: quibus milites poſt mortem Patris, ἴσην αὐτοῖς ὑπηρεσίαν καὶ εὔνοιαν παρείχοντο (c), *parem obedientiam paremque benevolentiam exhibuerunt*: hinc fratres ipſi quum diſſiderent (d), de imperio dividendo cogitarunt. Si quis tamen ad alteram claſſem, de qua mox, quæque fratrum Imperatorum eſt, referre Severi filios, utpote alterum, Antoninum nempe, natu majorem ac forte a Patre nonnihil propter ipſam ætatem prælatum, velit, non ego contendam, maxime quum obſervem, ipſum Antoninum poſt Patris mortem *Pontificem Maximum* in nummis & inſcriptionibus ſemper appellari, Getam vero *Pontificem* tantum fere occurrere, adeo ut ſaltem quoad Pontificatum, qui non exigua evaſerat pars imperii, Antonino minor eſſet Geta.

(a) Herodian. Lib. VII. cap. 10.

(b) Capitol. in Vit. cap. 8.

(c) Herodian. Lib. III. cap. ult.

(d) Id. Lib. IV. cap. 3.

Qui tamquam fratres ad imperium acciti erant, primatum honoris & poteſtatis iis, qui ſe acciverant, concedebant.

XXV. Altera itaq; ſeu ſecunda claſſis eſt eorum, qui ab Imperatoribus adſciti ſunt imperii conlegæ tamquam fratres. Hi porro primas tum honoris tum etiam poteſtatis partes iis concedebant, qui ſe in imperii conſortium vocaverant; prout ſane par erat. Hujus claſſis agmen ducit L. Verus, in quem *defuncto Pio Marcus (e)* Aurelius *omnia contulit, participatu etiam Imperatoriæ poteſtatis indulto, ſibique conſortem fecit, quum illi*

(e) Capitol. in Vero cap. 3.

illi soli Senatus detulisset imperium, teste Capitolino; qui rursum hæc scribit (*a*): *Post excessum Divi Pii Marcus a Senatu coactus regimen publicum capere, fratrem sibi participem in imperio designavit; quem L. Aurelium Verum Commodum appellavit, Cæsaremque atque Augustum dixit: atque ex eo pariter cœperunt Remp. regere; tuncq; primum Romanum imperium duos Augustos habere cœpit.* Spartianus quoque in vita Ælii Veri Cæsaris, quem Hadrianus adoptarat, & ad imperium destinaverat, *ejus filius*, inquit (*b*), *est Antoninus Verus, qui adoptatus est a Marco, & cum* (*c*) *eodem æquale gessit imperium.* Concinit Eutropius, qui scribit (*d*): *Post* Antoninum *imperavit Marcus Antoninus Verus — & cum eo L. Annius Antoninus Verus; tuncq; primum Romana Resp. duobus, æquo jure imperium administrantibus, paruit, quum usque ad eos, singulos semper habuisset Augustos.* Ammianus item Marcellinus de Marco ait (*e*): *Verum adoptivum fratrem absque diminutione aliqua majestatis Imperatoriæ socium fecit.* Adhuc tamen primas tum honoris tum potestatis partes obtinuisse Marcum, ostendunt alia, quæ alibi legimus. Idem Eutropius auctor est (*f*), L. Verum fuisse virum ingenii parum civilis, *reverentia tamen fratris* Marci *nihil umquam atrox* ausum esse. Et laudatus item Capitolinus scribit (*g*), Verum *vixisse non in suo libero principatu, sed sub Marco in simili ac pari majestatis imperio*: ac rursum ab eo dicitur (*h*) Lucius Marco *obsecutus, ut Legatus Proconsuli, vel Præses Imperatori.* Quare constat, Verum primas detulisse Marco. Hisce Imperatoribus Valentinianum cum Valente atq; Gratiano subtexit Ammianus Marcellinus. *Valentinianus*, inquit (*i*), *morem institutum antiquitus supergressus, non Cæsares, sed Augustos germanum nuncupavit & filium, benevole satis. Nec enim quisquam antehac adscivit sibi pari potestate conlegam, præter Principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem absque diminutione aliqua majestatis Imperatoriæ socium fecit.* At Valentinianum in eo comparat cum Marco historicus, quod *non* primum *Cæsares*, sed statim *Augustos* Valentem atque Gratianum nuncupavit. Ceterum est etiam Diocletianus, qui socium imperii adscivit Maximianum: at prius fecit Cæsarem. *Diocletianus*, inquit Eutropius (*k*), *Maximianum Herculium ex Cæsare fecit Augustum*, & quidem tamquam *fratrem* (*l*). At hic *Diocletiano* (*m*) *in omnibus, etiam severioribus consiliis, obsecutus est*, & secundum, post illum, tenuit locum. Docet hoc aperte Eusebius, scribens

(a) In Marco c. 7.
(b) Cap. 5.
(c) Ex Cod. Palatino.
(d) Libro VIII. cap. 9.
(e) Lib. XXVII. cap. 6.
(f) Eod. Lib. c. 10.
(g) In Vero c. 1.
(h) Ibid. c. 4.
(i) Lib. XXVII. cap. 6.
(k) Lib. IX. c. 22. Orol. Lib. VII. cap. 25.
(l) Lactant. de Mort. Pers. cap. 8. & Mamert. in Paneg. Maxim. c. 4.
(m) Eutrop. Lib. IX. cap. 27.

bens (*a*), τῶν κρατούντων αὐτοῦ δὴ τοῦ πάντων ἀνωτάτω, καὶ τοῦ μετ' αὐτὸν δευτέρου, *ex Imperatoribus alterum*, nempe Diocletianum, *primum & summum imperii gradum, alterum*, nempe Maximianum, *secundum post illum obtinuisse*. Porro notat idem Eusebius (*b*) cum aliis Scriptoribus, præter duos Imperatores fuisse etiam tunc temporis duos Cæsares, adeo ut inter quatuor Principes imperium foret divisum, ita tamen, ut duo, ii nempe, qui Imperatores ante alios declarati fuerant, Diocletianus scilicet & Maximianus Herculius, honore quoque præcederent & potestate Constantium Chlorum & Galerium Maximianum Cæsares. Erat vero & inter ipsos Cæsares distinctio. Diocletianus itaque, ὁ μὲν τιμῇ τε καὶ χρόνῳ τῶν πρωτείων ἠξιωμένος, *gradu honoris & designationis tempore primas imperii partes adsecutus* ab eodem Eusebio dicitur (*c*); Herculius ὁ δὲ τὰ δεύτερα αὐτοῦ φέρων, *secundas ab eo*: ex illis autem, qui μετὰ τούτους *post illos* erant, Cæsaribus nempe, ὕστατος *postremus* ponitur Galerius. Ubi etiam narrat, edictum contra Ecclesias Christi Nicomediæ propositum fuisse, subdit (*d*): δυεῖν ἐπιπαρόντων κατὰ τὴν αὐτὴν πόλιν βασιλέων, τοῦ τε πρεσβυτάτου τῶν ἄλλων, καὶ τοῦ τὸν τέταρτον ἀπὸ τούτου τῆς ἀρχῆς ἐπικρατοῦντος βαθμόν: *duos ex Imperatoribus in ipsa urbe adfuisse; quorum alter ætate præ ceteris provecta, primum imperii gradum, alter quartum ab eo obtinebat*, Diocletianum nempe & Galerium. *Deniq;*, ut verbis utar Victoris (*e*), *Valerium* Diocletianum reliqui *ut parentem, seu Dei magni suspiciebant modo.* Abeuntibus vero ab administratione Reip. Diocletiano & Herculio (*f*), *Constantius & Galerius Augusti creati* sunt, ita ut primas obtineret Constantius; hinc & Lactantius (*g*) *Constantium priorem nominari necesse* credidit. Verum Constantio paullo post mortuo, cessit Galerio primus in imperio locus; quamvis Constantinus Constantii filius *creatus* (*h*) fuerit *Imperator, & in locum Patris exoptatissimus moderator* accesserit. Nam, præterquam quod senior ætate & imperio erat Galerius, hic Constantino „ purpuram (*i*) misit, ut ultro adscivisse illum in „ societatem videretur. Sed illud excogitavit, ut Severum Cæ„ sarem, qui erat ætate maturior, Augustum nuncuparet, „ Constantinum vero non Imperatorem, sicut erat factus, sed „ Cæsarem cum Maximino appellari juberet, ut eum de se„ cundo loco reijceret in quartum. " Ita Lactantius, qui *secundum* locum vocat illum, in quo ab exercitu constitutus fuerat Constantinus, quum in locum Patris demortui accessit:

(a) Hist. Eccles. Lib. VIII. cap. 13. edit. Colon. Allobr. an. 1612.

(b) In fine ejusd. Libr.

(c) Ibid.

(d) Eod. Lib. c. 5.

(e) Sex. Aur. Vict. de Cæs. in Diocl.

(f) Eutrop. Lib. X. cap. 1.

(g) De Mort. Pers. cap. 20.

(h) Eutrop. Libro X. cap. 2.

(i) Lactant. de Mort. Pers. c. 25.

quartum

quartum vero locum intelligit, quem vivo Constantio tenebat Maximinus Cæsar, & in quem rejectus est Constantinus patre mortuo, ut *secundus* locus Severo daretur facto Augusto & tertius Maximino Cæsari. Quare nedum inter Augustos, sed etiam inter Cæsares erat primatus. Habebat Galerius Licinium veteris contubernii amicum, & a prima militia familiarem, cujus consiliis ad omnia regenda utebatur (*a*). *Sed eum* (vivo Constantio, quia hunc sperabat brevi obiturum; & si non obisset, vel invitum exuere facile videbatur), *Cæsarem facere noluit, ne filium nominaret*, „ ut postea in Constantii locum nun-„ cuparet Augustum atq; fratrem, tunc vero ipse principatum „ teneret, ac pro arbitrio suo debacchatus in orbem terræ, vi-„ cennalia celebraret; ac substituto Cæsare filio suo Candidia-„ no, qui tunc erat novennis, & ipse deponeret; ita, quum „ imperii summam teneret Licinius ac Severus, & secundum „ Cæsarum nomen Maximinus & Candidianus, inexpugna-„ bili muro circumseptus, securam & tranquillam degeret sene-„ ctutem. " Ex quibus omnibus constat, potiorem honoris & auctoritatis gradum eos obtinuisse, qui ad imperium acciti erant tamquam fratres, quam qui acciti erant tamquam filii; & Imperatores, qui alios sive tamquam filios, sive tamquam fratres, acciverant, primatum ordinis ac potestatis tenuisse. Hinc etiam Valentem, quem Valentinianus fratrem „ Augustum pro-„ nunciavit, decoreque *Imperatorii* cultus ornatum, & tempo-„ ra diademate redimitum " in eodem vehiculo e suburbano Constantinopolim secum reduxit, *participem quidem legitimum potestatis, sed in modum adparitoris morigerum* exhibet in sua historia (*b*) Ammianus Marcellinus; quippe *fratris* (*c*) *regebatur imperio.* Quapropter Themistius in oratione, quæ Φιλάδελφος inscribitur, ipsum adloquens Valentem ait, Valentinianum integrum accepisse imperium, integrumq; divisisse; eumque vocat fratrem patremq; Valentis: ἶσα μὲν ἐδωρήσατο, σύμπαντα δ' ἔχει δι' εὐπείθειαν τοῦ κοινωνήσαντος: nam *licet æqualia largitus esset* Valentinianus, *universa tamen retinebat ob ejus, quem participem imperii fecerat, obedientiam.*

(a) Id. eod. Lib. cap. 20.

(b) Lib. XXVI. cap. 4.

(c) Id. Li. XXVII. cap. 4.

XXVI. Tertia classis est eorum, qui tamquam filii facti sunt conlegæ imperii; sive natura sive adoptione filii fuerint. Porro, quum ii, qui tamquam fratres adsciti sunt ad imperium, primatum concederent iis, qui ipsos acciverant; multo magis credendum est, Imperatores, quoties sibi filios in imperio sociarent, potiori honore & auctoritate gavisos esse, quin

Imperatores, qui filios sibi in imperio sociabant, summa rerum potiebantur.

(a) Vellej. Libro II. cap. 121.

pro arbitrio Remp. adminiſtraſſe. *Senatus (a) populuſque Romanus poſtulante* Auguſto *Patre, ut æquum* Tiberio *jus in omnibus provinciis exercitibuſque eſſet, quam erat ipſi, decreto complexus eſt.* At nonniſi extra urbem tum communicatum eſt Tiberio imperium, *lege (b) per Conſules lata, ut provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret*: nam Romæ, ubi erat ſumma imperii, poteſtatem majeſtatemq; ſibi reſervavit Auguſtus. Titus Romam e bello Judaico reverſus, *ex (c) eo non deſtitit participem atque etiam tutorem imperii agere, recepta ad ſe prope omnium officiorum cura.* At hæc omnia volente ac jubente Patre Titus peragebat, quin Patris nomine faciebat. Itaque „ Patris (*d*) nomine & epiſtolas ipſe dictabat, & edicta conſcribebat, orationeſque in Senatu recitabat, etiam Quæſtoris vice: Præfecturam quoque Prætorii ſuſcepit, numquam ad id tempus, niſi ab Equite Romano adminiſtratam. “ Veſpaſianum imitatus *Nerva (e), Trajanum in liberi locum inque partem imperii adoptavit, cum quo tribus vixit menſibus.* Hinc Plinius ipſum Trajanum adloquens, „ ſimul filius, *inquit*, „ (*f*) ſimul Cæſar, mox Imperator, & conſors Tribuniciæ Poteſtatis, & omnia pariter & ſtatim factus es, quæ proxime Parens verus tantum in alterum filium contulit. „ Notanda vero, ſunt hæc, quæ ſubdit (*g*). „ At quo, Dii boni, temperamento poteſtatem tuam fortunamque moderatus es? Imperator tu titulis & imaginibus & ſignis; ceterum modeſtia, labore, vigilantia, Dux & Legatus & miles; neque aliud tibi ex illa adoptione, quam filii pietatem, filii obſequium adſereres.“ Adoptatus ab Hadriano Antoninus, „ *factus eſt (h) Patri & in imperio Proconſulari & in Tribunicia Poteſtate conlega*: at vero *Patri (i), quoad vixit, religioſiſſime paruit.* “ M. Aurelius contulit in filium Commodum *nomen Cæſaris (k), & mox Sacerdotium, ſtatimque nomen Imperatoris*: attamen rebus ipſe præfuit, rexitque, dum vixit, imperium. Caracallam, annuente Patre Severo, *participem imperii (l) dixerunt milites.* Poſtea vero, quum pedibus æger bellum moraretur ipſe Severus, idque milites anxie ferrent, *ejuſque filium, qui una erat, Auguſtum feciſſent*, tolli ſe atque in tribunal ferri juſſit; quumque animadverti in omnes auctores facti præter filium juberet, rogareturq; omnibus ante tribunal proſtratis, caput manu contingens, ait: *tandem ſentitis caput imperare, non pedes*; nec niſi vita decedens imperium dimiſit

(b) Suet. in Tib. cap. 21.

(c) Id. in Tito c. 6.

(d) Id. ibid.

(e) Vict. in Epit.

(f) In paneg. c. 8.

(g) Cap. 10.

(h) Capitol. in Anton. c. 4.

(i) Id. cap. 5.

(k) Id. in Marco cap. 16.

(l) Spartian. in Severo c. 18.

dimisit filiisque reliquit. De Macrini filio hæc habet Capitolinus (*a*): *Sciendum, quod Cæsar fuisse dicatur, non Augustus Diadumenus puer, quem plerique pari fuisse cum Patre imperio tradiderunt*. Occisus autem est cum Patre ipse Diadumenus, sive, ut alii vocant, Diadumenianus: *cui* (*b*) *hoc solum adtulit imperium, ut interficeretur a milite; non enim aliquid dignum in ejus vita erat, quod dicatur*, inquit idem Capitolinus: nam & puer factus est Cæsar sive Imperator, & puer occisus est. Ita etiam Philippus junior, quem octo circiter agentem annos *potentiæ* (*c*) *sociaverat* pater Philippus, *Romæ occiditur agens vitæ annum duodecimum*; adeo ut hujusmodi consortes nomen quidem imperii, minime vero imperium ipsum gerere præ ætate potuerint: quare parentes Imperatores Remp. administrabant omnem; quod & fecit Trajanus Decius, quum filium Etruscum in partem imperii adscivit. *Vibius Gallus cum Volusiano filio imperaverunt annos duos*, inquit Victor (*d*); at *sola* (*e*) *pestilentia & morbis atque ægritudinibus notus eorum principatus fuit*. Valerianus *filium* (*f*) *suum Gallienum Augustum fecit*; sed, usquequo captus est a Persis, imperio præfuit pater. Carus, ubi primum accepit imperium (*g*), Carinum & Numerianum filios Cæsares nuncupavit. Itaque Carinus, quum Cæsar decretis sibi Galliis atque Italia, Illyrico, Hispaniis, ac Britanniis, & Africa, relictus a Patre (bellum Persicum adgrediente) *Cæsarianum* (*h*) *teneret imperium, sed ea lege, ut omnia faceret, quæ Augusti faciunt*, & enormibus se vitiis & ingenti fœditate maculasset, *Onesimus dicit* (*i*), *habuisse in animo Carum, ut Carino Cæsareum abrogaret imperium*. Statuerat denique (*k*), Constantium (Chlorum), qui postea Cæsar est factus, *in locum ejus subrogare*, quod nemo tunc vir melior videbatur, *illum vero occidere*: quæ quidem ostendunt supremam Cari ne dum in Remp., sed & in filium, imperii consortem, potestatem. Quam sibi retinuisse etiam Valentinianum, quo tempore Gratianum filium fecit (*l*) Augustum, ex eo constat, quod ipse Valens, Valentiniani frater adultus, quem pariter Augustum (*m*) participemque potestatis antea pronuntiaverat, ipsius Valentiniani *regebatur* (*n*) *arbitrio*. Erat præterea Gratianus octo tantum annorum, quando declaratus est Augustus, ideoque impar præ ætate erat imperio. Hinc Ausonius cecinit (*o*):

(a) In Vit. Macrini cap. 10.
(b) Id. ibid.
(c) Vict. in Epit.
(d) In eod. Epit.
(e) Eutrop. Libro IX. cap. 5.
(f) Vict. in Epit.
(g) Flav. Vopisc. in Vit. c. 7.
(h) Id. in princ. Vit. Carini.
(i) Id. in Caro cap. 7.
(k) In Carino c. 17.
(l) Am. Marcell. Lib. XXVII. c. 6.
(m) Idem Libro XXVI. cap. 4.
(n) Idem Libro XXVII. cap. 4.
(o) In Edyl. I. inscript. versus Paschales vers. 25. & seqq.

Auguſtus genitor geminûm ſator Auguſtorum:
Qui fratrem natumque pie complexus utrumque
Numine, partitur regnum, neque dividit unum;
Omnia ſolus habens atque omnia dilargitus

(a) Auſ. in Grat. Act. ad Gratian. cap. 3.

Ab ipſo Gratiano *inſtar filii* (*a*) *ad imperium frater* Valentinianus *adſcitus* eſt.

Maximianus Herculius factus a Maxentio filio bis Auguſtus inferior habebatur filio.

Hæc, quæ deſcripſimus, probant *Imperatores*, qui alios ſibi in imperio, ſive tamquam fratres, ſive tamquam filios adjunxerunt, primatum ſemper tum honoris tum poteſtatis tenuiſſe. Nunc exemplum promemus, idque unicum per ea tempora, de quibus agimus, quo oſtenditur, etiam patrem, qui a filio accitus erat ad imperium, inferiorem fuiſſe habitum filio, qui acciverat, ita ut certum indubitatumque maneat, Imperatores omnes, qui aliis imperium communicarunt, iis ipſis, quibus communicaverant, honore ac poteſtate præfuiſſe. Nuncupato Romæ Imperatore Maxentio filio Maximiani Herculii, qui cum Diocletiano abierat ab adminiſtratione Reip., Galerius mittit Severum Cæſarem contra eum cum exercitu. Timens ſibi Maxentius, *Patri ſuo* (*b*) *poſt depoſitum imperium in Campania moranti, purpuram mittit; & bis Auguſtum nominat.* Ille rerum novarum cupidus, & qui depoſuerat invitus, libenter arripit. Severus vadit, & ad muros urbis armatus accedit: at milites ſublatis ſignis abeunt, & ſe, contra quem venerant, tradunt. Exinde Maximianus ipſe Herculius *habebat* (*c*) *imperium commune cum filio* Maxentio. „ Sed juveni magis pa„ rebatur, quam ſeni; quippe quum prior & major filii po„ teſtas, qui & jam patri reddiderat imperium. Ferebat ini„ quo animo ſenex, quod non poſſet libere facere, quod vel„ let: & filio ſuo puerili æmulatione invidebat.“ En, quod quamvis haberet Pater imperium commune cum filio, ac foret *bis Auguſtus*, magis adhuc parebatur filio, hujuſq; major erat poteſtas, quippe quæ prior & ejus, qui Patri reddiderat imperium.

(b) Lactant. de Mort. Perſ. c. 26.

(c) Id. eod. Libro cap. 28.

Conſenſu Senatus, ac militum, & quandoq; Populi creari ſolebant imperii conſortes.

XXVII. Animadvertendum porro eſt, non ſine conſenſu, ſive antecedenti ſive ſubſequenti Senatus ac militum, quandoque etiam Populi hujuſmodi conſortiones imperii factas fuiſſe. Id in primis de primo imperii conſorte, Tiberio nempe, conſtat ex iis, quæ de eo notavimus. In electione quoque Trajani *Senatus Populique conſenſum* memorat Plinius (*d*): quem proinde conſenſum etiam in conſortione Titi interceſſiſſe, pronum eſt credere; nam hujus exemplo illa Trajani facta

(d) In Paneg. ipſius Traj. c. 10.

facta eſt. Adoptaturus ſucceſſoremque deſignaturus Antoninum in lecto ex morbo decumbens Hadrianus συνεκάλεσε τὰς πρώτας καὶ ἀξιολόγας τῶν βουλευτῶν οἴκαδε (*a*), *domum convocavit primos ac præcipuos Senatores*. Ipſe vero Antoninus *in Senatu* (*b*) gratias egit, quod de ſe ita ſenſiſſet Hadrianus; *factuſque eſt Patri & in imperio Proconſulari & in Tribunicia Poteſtate conlega*. Hinc congiarium *militibus ac populo* de proprio dedit, & ea, quæ Pater promiſerat (*c*). Poſt exceſſum Antonini M. Aurelius *a Senatu* (*d*) *coactus regimen publicum capere*, *fratrem ſibi participem in imperio deſignavit* L. Verum. „ Actis igitur, „ quæ agenda fuerant in Senatu (*e*), pariter caſtra prætoria- „ na petiverunt, & vicena millia nummûm ſingulis *ob partici-* „ *patum imperium militibus* promiſerunt & ceteris pro rata. " Quæ quidem repetiiſſe Marcum par eſt credere, quum poſt mortem Lucii *Commodum* (*f*) *filium ſuum adſumpſit in regnum*. Sept. Severus *Cæſarem* (*g*) *filium ſuum Antoninum a Senatu appellari juſſit*, *decretis imperatoriis inſignibus*, eumdemque Antoninum annuente Patre *participem* (*h*) *imperii* poſtea *dixerunt milites*.

(a) Xiphilin. ex Dion. Lib. LXIX. pag. 796. C.
(b) Capitolin. in Anton. c. 4.
(c) Id. ibid.
(d) Id. in Marco cap. 7.
(e) Id. ibid.
(f) Oroſ. Libro VII. cap. 15.
(g) Spartian. in Sev. cap. 14.
(h) Id. cap. 16.

Sequiori tempore aſſenſus militum ſed non ille Senatus in creandis imperii conlegis obvius.

Quod ad Diocletianum ſubſecutoſque imperii conlegas adtinet, militum quidem, ut antea, in iis adſciſcendis aſſenſus occurrit; at vero ille Senatus haud obvius eſt. *Concio militum convocatur* (*i*), in qua Diocletianus adloquitur milites, ſe imperium Conſtantio ac Galerio tradere, Severum & Maximinum Cæſares ſubrogare. Rectore imperii pronuntiato Valentiniano Auguſtoq; nuncupato ab exercitu, obmurmuratio gravis exoritur, (*k*) *concrepantibus centuriis & manipulis cohortiumq; omnium plebe*, urgentium deſtinate, confeſtim Imperatorem alterum declarari, ut ſi quis caſus accideret, non deeſſet, qui rebus opem ferret. Quare non multo poſt productum *Valentem* fratrem in ſuburbanum Conſtantinopolis (*l*), *univerſorum ſententiis concinentibus*, (*nec enim audebat quiſquam refragari*), *Auguſtum pronuntiavit*. Poſteriori tempore, quum Gratianum quoque filium inſignibus principatus ornare meditaretur, progreſſus in campum, tribunal aſcendit Valentinianus, productumque filium in medium, oratione concionaria *deſtinatum Imperatorem exercitui* commendavit, his inter alia verbis (*m*): „ Hæc, quæ fieri caritatis ſanciunt jura, non tantum tranſire „ voluimus per conſcientiam veſtram, verum etiam probata „ firmari, ut congrua nobis & profutura. Gratianum — in

(i) Lactant. de Mort. Perſ. c. 19.
(k) Am. Marcell. Lib. XXVI. paullo poſt princ. & Zoſ. Lib. IV. c. 1.
(l) Id. Am. eod. Lib. cap. 4.
(m) Idem Libro XXVII. c. 6.

Auguſtum

„ Auguſtum ſumere conmilitium paro, ſi propitia cœleſtis nu- „ minis veſtræq; majeſtatis voluntas parentis amorem juverit „ præeuntem. " Nondum vero finita oratione *milites Gratianum declararunt Auguſtum*. Poſt mortem Valentiniani Valentinianus puer defuncti filius tum quadrimus, ductus in caſtra, ſextoque die poſt parentis obitum, *Imperator (a) legitime declaratus, Auguſtus nuncupatur more ſolemni* a militibus. Et, licet, quum hæc agerentur, Gratianum (procul degentem) indigne laturum exiſtimarent (*b*), *abſq; ſui permiſſu Principem alium inſtitutum*, poſtea metus ſollicitudine diſcuſſa vixere ſecurius, quod ille, ut erat benevolus & pius, conſanguineum pietate nimia dilexit & educavit. Merito ſibi timuerant milites, qui abſque Principis tunc imperantis permiſſu Principem alium inſtituerant: quumq; ſubſequi debuiſſent, præire auſi fuerant. Nam antea, quotieſcumque Principi imperanti addendus erat novus Princeps, id ab eo, qui tunc imperabat, aut ſaltem ejus permiſſu fiebat, ut ex hucuſque dictis conligi poteſt. Jure autem ac facto idipſum conſtabat; nam, quidquid milites poterant, id a ſummi Ducis ſeu *Imperatoris* auctoritate præcipue pendebat; nec niſi ab ipſis Imperatoribus aut eorum permiſſu deſignati ante hac fuerant novi Principes. Hinc, quum Caracallam inſcio Severo patre *Auguſtum feciſſent* milites (*c*), animadvertere in omnes auctores facti, præter filium, Severum voluiſſe vidimus (*d*). Valentinianus autem Auguſtus nuncupatus, urgente exercitu, Imperatorem alterum declarari; *quod erat*, inquit (*e*), *in manu poſitum veſtra, nondum electo imperii formatore, utiliter & glorioſe compleſtis*, adſcito nempe in imperium ſe ipſo; at vero conlegæ deſignationem ad ſe ſpectare ſubdidit, eamque ſibi reſervavit.

(a) Id. in fine Lib. XXX.

(b) Ibid.

(c) Spartian. in Sev. cap. 18.

(d) Num. XXVI. hujus Animadv.

(e) Am. Marcell. Lib. XXVI. paul. poſt princ.

Quando non erant Auguſti, a militibus deſignabantur Imperatores.

XXVIII. Quemadmodum itaque adſumendi conſortes imperii deſtinandique ſucceſſores jure fruebantur, qui jam imperabant, Auguſti; ita, quum hi deerant, has partes ſumebant ſibi milites. Ubi progenies Cæſarum in Nerone defecit, quin & antequam deficeret, vivo adhuc ipſo Nerone, ſed ejus imperium ſævitiamque pertæſo orbe Romano, Galba in Hiſpaniis, quibus præerat, ὑπὸ τῶν ϛρατιωτῶν Αὐτοκράτωρ ἀνηγορεύϑη (*f*), *Imperator a militibus eſt conſalutatus*. Ita etiam Otho, Vitellius, ac Veſpaſianus Galbæ ſucceſſores a militibus *Imperatores* ſunt creati. Pari modo a militibus imperium acceperunt poſt Commodum Pertinax, Julianus, Niger, & Severus.

(f) Dio Libro LXIII. p. 893. C.

Quarta

Quarta poſt Caracallæ filii Severi obitum die, Macrinus Α'υτοκράτωρ ὑπ' ἀυτῶν (ϛρατιωτῶν) ᾑρέθη (*a*), *Imperator ab ipſis militibus creatus fuit*; ſic etiam ejus ſucceſſor Elagabalus. Hinc Lampridius in vita Alexandri Severi ab Elagabalo adoptati & ad imperium deſtinati, *milites*, inquit (*b*), *jam inſueverant ſibi Imperatores, & tumultuario judicio facere, & item facile mutare*. Quod inſtitutum etiam poſthac retinentes, deſignare Imperatores non deſtiterunt.

(a) Idem Libro LXXVIII. pag. 893. C.
(b) Cap. 1.

Ægre quidem id ferebat Senatus, unde creare Principem quandoque præoccupabat; at id nonniſi cum magno Reipub. periculo fiebat, obſiſtentibus fere militibus, aut alios *Imperatores* deſtinantibus. Hinc mortuo vix Auguſto, Tiberius, quamvis ſucceſſor ab eo deſignatus fuiſſet, & imperium ei deferret Senatus (*c*), diu tamen id recuſavit præcipue, quod quidam militum in Illyrico & in Germania *Principem* (*d*) *detrectabant non a ſe datum, ſummaque vi Germanicum, qui tum his præerat, ad capeſſendam Remp. perurgebant, quamquam obfirmate reſiſtentem*. Præterea primi fuerunt milites in renuntiandis reliquis e progenie Cæſaris *Imperatoribus*. Ipſi equidem milites adferebant nonnunquam ad defenſionem, ſe idcirco feciſse Imperatores (*e*), *quod neſciſſent, Senatum principem appellaſſe*; ſed & gravabantur ac indigne ferebant datos ſibi a Senatu Principes (*f*): quin Balbinum & Pupienum a Senatu electos Imperatores trucidarunt milites, & Gordianum Cæſarem conſalutarunt *Imperatorem*. Poſt Aurelianum „ exercitus, qui creare Imperatorem raptim ſolebat, ad Senatum litteras miſit, „ petens ut ex ordine ſuo Principem legerent. Verum Senatus ſciens, lectos a ſe Principes militibus non placere, rem „ ad milites retulit: dumque id ſæpius fit, ſextus peractus eſt „ menſis; “ ac demum a Senatu Tacitus *Imperator* eſt creatus, ſi fides hac in re Vopiſco (*g*).

(c) Suet. in Vit. cap. 24.
(d) Id. cap. 25.
(e) Lampr. paullo ante laud. loco.
(f) Herodian. Lib. VIII. cap. 8. Vid. etiam Capitol. in Max. & Balb. cap. 12. & ſeqq.
(g) In Tacit. cap. 4.

Conſenſus Auguſtorum, Senatus & militum in creandis Imperatoribus.

Id quidem omnino conſtat, electos ſive ab Auguſtis ſive a militibus Imperatores confirmari conſueviſſe a Senatu; quemadmodum ii, qui a Senatu deſignabantur, approbari a militibus, & quandoque etiam a populo, conſueverunt. Hinc contra inſtitutum ab Elagabalo factum notat Dio, quum a militibus *Imperator* electus, in epiſtola, quam *ad Senatum & ſcripto, quod ad Populum miſit*, ϗ Α'υτοκράτορα ϗ Καίσαρα — ἀυτὸν ἐνέγραψε, προλαμβάνων ἀυτά, (*h*) *& Imperatorem & Cæſarem* — *ſeipſum inſcripſit*, *hæc* nomina nec dum ſibi decreta, *prior occupans*.

(h) Dio Caſſ. Lib. LXXIX. p. 907. B

pans.

pans. Hadrianus e contra, adnotante eodem Dione (*a*), ubi post mortem Trajani renuntiatus est Imperator, a Senatu petiit per litteras, ut sibi imperium confirmaret; negavitque velle sibi ullos umquam honores decerni, ut erat antea consuetudo, nisi eos ipse a Senatu peteret. Rufus, qui imperante Nerone Germaniæ præerat, *Cæsar* & *Augustus* a militibus designatus, (*b*) ut imperium reciperet, persuaderi non potuit; quin contra suasit, ut *Senatus Populique* potestati rem permitterent. Creato Tacito principe gavisus est Senatus edixitq; *dandi jus* (*c*) *imperii, appellandi principis, nuncupandi Augusti* ad se revertisse. At post mortem Taciti Florianus ejus frater *arripuit imperium* (*d*), *non Senatus auctoritate, sed suo motu, quasi hereditarium esset imperium*: quum sciret, adjuratum esse in Senatu Tacitum, ut, quum mori cœpisset, non liberos suos, sed optimum aliquem principem faceret. Vix duobus mensibus imperium tenuit Florianus, & occisus est Tarsi a militibus, qui Probum audierant imperare, *quem omnis exercitus legerat* (*e*). Tantus autem Probus fuit in re militari, *ut illum Senatus optaret, miles eligeret, ipse Populus Romanus acclamationibus peteret*. Interempto Probo Carum suffecerunt milites, Caroque & ejus filiis Diocletianum, consensu Senatus accedente. Exinde vero, mihi saltem haud obvius est *Senatus* in creandis *Imperatoribus* consensus; quippe eum non lego, ubi de adscitis in imperium conlegis, aut de destinatis successoribus, aut deniq; de creatis aliter Imperatoribus agitur usque ad Gratianum, in quo sistit nostra Animadversio. Adhuc tamen his ipsis electionibus accessisse consensum *Senatus*, credi & aliunde argui potest.


(a) Lib. LXIX. pag. 788. B. C.

(b) Id. Lib. LXIII. pag. 727. D.

(c) Apud Vopisc in Floriano cap. 5. & 6. & in Tacito cap. 12.

(d) Id. in Vita cap. 1.

(e) Id. ibid.



ANIMAD-

ANIMADVERSIO II.

DE

CÆSARE.

I. Uoniam de *Cæſarum* nomine eſt aliquid diſputandum, *Cæſarem* vel ab elephanto, (qui lingua Maurorum *Cæſai* dicitur), in prælio cæſo, eum, qui primus ſic appellatus eſt, doctiſſimi & eruditiſſimi Viri putant dictum; vel, quia mortua matre, ventre cæſo ſit natus; vel quod cum magnis crinibus ſit utero parentis effuſus; vel quod oculis cæſiis, & ultra humanum morem viguerit. Certe quæcumque illa, felix neceſſitas fuit, unde tam clarum, & duraturum cum æternitate mundi nomen effloruit; inquit (*a*) Spartianus. Cognomen itaque *Cæſaris*, Genti Juliæ apud Romanos conſuetum, quum tuliſſet, inluſtriuſque reddidiſſet, qui ſummum Reipublicæ imperium conſecutus, ſub *Dictatoris perpetuo* tum etiam *Imperatoris* nomine ei præfuit, C. nempe Julius, & ab ipſo, hereditario jure acceptum Auguſtus ſibi cum imperio firmaſſet, & heredibus ac deſtinatis ſucceſſoribus conceſſiſſet; reliqui etiam Imperatores, uti ſucceſſionis notam adſciverunt, & imperii heredibus communicarunt. Octavius igitur, qui poſtea Auguſtus eſt dictus, *C. Cæſaris (b) cognomen adſumpſit teſtamento majoris avunculi*, in (*c*) prima juventa urbem intrans poſt obitum Patris ad nomen ingens capeſſendum. Quum autem ipſe filios non haberet, nepotes ex Julia *genitos (d)* & *Agrippa Cajum ac Lucium in familiam Cæſarum induxit*; qui propterea in nummis inſcripti ſunt (*e*) C. L. CAESARES AVGVSTI F. *Cajus & Lucius Cæſares Auguſti filii*. His tamen intra triennium defunctis, adoptatus (*f*) eſt ab ipſo Auguſto Tiberius ſimul cum fratre eorum M. Agrippa, coactus prius Tiberius Germanicum fratris ſui filium adoptare. Inde TI. CAESAR. AVGVSTI F. (*g*) *Tiberius Cæſar Auguſti filius* & ipſe inſcribi cœpit: quemadmodum & AGRIPPA CAESAR (*h*) eſt dictus; GERMANICVS vero CAESAR TI. AVG. F. DIVI AVG. N. (*i*) id eſt *Cæſar Tiberii Auguſti filius, Divi Auguſti nepos* poſtea eſt

De Cæſaris nomine, ejuſque ſignificatione.

(a) In Ælio Cæſ. cap. 2.

Cæſar auctor hujus nominis dicitur ab Eumenio in Paneg. Conſtantio Cæſari dicto cap. 11.

(b) Suet. in Vit. cap. 7.

(c) Plin. Lib. II. cap. 28.

(d) Tacit. Lib. I. Ann. paullo poſt princ.

(e) Apud Mediob. pag. 57. 58.

(f) Suet. in Tib. cap. 15.

(g) Num. 3. Tab. IIII. Piſan. Muſ.

(h) Num. apud Vail. in Col. T. II. p. 358.

(i) Apud Mediob. pag. 73.

F appellatus.

appellatus. Tiberius autem post excessum Augusti quem tamen non prius palam fecit (*a*), quam Agrippa Cæsare interempto, imperium adeptus *Cæsaris* nomen retinuit filioq; Druso communicavit. Sed orbatus (*b*) utroque filio, quorum Germanicus in Syria, Drusus Romæ obierat, imperium cum nomine *Cæsareo* Cajo Germanici filio reliquit. Quo occiso adscitus ad imperium Claudius, ejusdem Germanici frater, e generis (*c*) Neronem adoptavit: quumque (*d*) Britannico filio impubi teneroque adhuc, quando statura permitteret, togam dare destinasset, *adjecit, ut tandem Populus Romanus verum Cæsarem haberet*. Comparent simul ΝΕΡΩΝ ΒΡΕΤΑΝ. ΚΑΙΣ. *Nero & Britannicus Cæsares* in nummo (*e*) Iliensium. Britannicum tamen veneno adgressus est Nero (*f*) imperium adeptus, ac demum *progenies* (*g*) *Cæsarum in Nerone ipso defecit*; finita (*h*) nempe Juliorum Claudiorumque domo. Non tamen sublatum est *Cæsaris* nomen, quin ad omnes, quoquot postea imperarunt, & ad designatos imperii heredes, tamquam successionis nota pervenit, uti ex Romanæ Historiæ scriptoribus aliisque antiquitatis monumentis satis superque constat.

(a) Suet. in Ti. cap. 22.
(b) Id. ibid. c. 39.
(c) Id. in Claud. cap. 27.
(d) Ibid. c. 43.
(e) Apud Morell. in spec. Tab. XVI
(f) Suet. in Ner. cap. 33.
(g) Id. in princ. Vitæ Galbæ.
(h) Tacit. Hist. I. cap. 18.

Harduini de Cæsaris nomine opinio.

II. Hos tamen, Romanæ sc. historiæ Scriptores quum pro fabulatoribus haberet Harduinus, censuit (*i*) Cæsares omnes & Augustos ex ipsomet Augusto, vel sorore ejus, quæ pariter *Julia* & *Cæsar* ab eo dicitur, esse prognatos; nec *Cæsaris* nomen, ut vulgo persuasum est, merum esse post Neronem titulum dignitatis, ut nunc est; sed cognomen esse hereditarium, cujusmodi est in gente una Borbonia cognomen *Condæi*. Hinc stirpem & consanguinitatem Augusti non tantum novam, & ab omni veterum Auctorum fide prorsus alienam vir eruditiss. excogitavit, sed quæ omni etiam vel levissima veri specie apud antiquarios caret, eamque ad Carinum usque & Numerianum in sua Historia Augusta produxit. At in his confutandis immorari non est opus, quum ipsemet Harduinus in veterum Auctorum gratiam postea redierit, suamq; de eorum falsitate opinationem publicæ reprobaverit; adeo ut, quæ olim de iis scripsit, nunc inter ea haberi possint, quæ corrigere, immo etiam omnino tollere e postrema editione suorum operum peroptasse videri (*k*) voluit.

(i) In calce Hist. Aug. pag. 878. edit. Amstel. an. 1709.
(k) Vid. Harduin. expostulationem cum typographo Amstel. hujusq; defensionem in calce edit. 1709.

Appianus, & Dio Cassius explicantur.

III. Ceterum operæ pretium erit Appianum & Dionem Cassium explicare, ne cui videantur memoratæ Harduini sen-

tentiæ

tentiæ favere. Appianus itaque, qui imperantibus Trajano & Hadriano floruit, teſte Photio (*a*), vitam vero ad extrema Antonini Pii tempora produxit, uti conſtat ex *anno pæne ducenteſimo* (*b*), quem ipſe poſt Cæſarem computat, ita de Auguſto ſcribit (*c*): γένος ἀφ' ἑαυτοῦ καὶ διαδοχὴν τὴν ἐπικρατοῦσαν ὁμοίως ἐπ' ἐκείνῳ κατέλιπεν: *Stirpem a ſe & ſucceſſionem eodem modo imperantem poſt ſe reliquit*: & rurſum (*d*), τὴν ἀρχὴν συστησαμένου τε ἐς ἕδραν ἀσφαλῆ καὶ γένος καὶ ὄνομα τὸ νῦν ἄρχον ἀφ' ἑαυτοῦ καταλιπόντος: *imperio in ſecura ſede conſtituto & genus & nomen nunc imperans poſt ſe reliquit*. Dio autem Caſſius, qui Hiſtoriarum libros uſque ad annum octavum Alexandri Imperatoris protulit, hæc habet: (*e*) Ἡ γὰρ δὴ τοῦ Καίσαρος, ἥ τε τοῦ Αὐγούστου πρόσρησις δύναμιν μὲν οὐδεμίαν αὐτοῖς οἰκείαν προστίθησι· δηλοῖ δ' ἄλλως, τὸ μὲν τὴν τοῦ γένους σφῶν διαδοχὴν, τὸ δὲ τὴν τοῦ ἀξιώματος λαμπρότητα. *Cæſaris & Auguſti appellatio nihil quidem Imperatoribus potentiæ adjicit; ſed prius, Cæſaris nempe, ſucceſſionem ſtirpis, alterum vero ſplendorem dignitatis ſignificat.* Quod igitur ſpectat ad Appianum, ita accipi debent ejus verba, ut *ſtirps* & *genus*, quæ poſt ſe reliquiſſe tradit Auguſtum, ad hujus conſanguineos, Neronem uſque referantur; *ſucceſſio* vero & *nomen* ad reliquos. Et ſane, quum Auctor non ſolum calleret Romanam Hiſtoriam, ut ex ejus ſcriptis liquet, verum etiam ſciret, quantis exercitibus muniretur ſuo tempore Romanum imperium, quantoſq; reditus haberet e ſingulis Provinciis, tum ſi quid ſuperimpenderet in claſſes præſidiarias, & navales ſocios, ita ut hæc omnia perſcripſerit (*f*); qui umquam fieri potuit, ut genus Imperatorum, qui tum præerant, & a quibus inter Procuratores adſcitus (*g*) is ipſe fuerat, ignoraret? Quod vero ad Dionem ſpectat, tantum abeſt, ut Imperatores omnes genus ab Auguſto ducere exiſtimarit; quin aperte ſcribat, *Neronem ultimum ex iis fuiſſe, qui ab Ænea & Auguſto genus ducebant* (*h*). Ἔσχατος (ὁ Νέρων) τῶν ἀπὸ τοῦ Αἰνείου, καὶ ἀπὸ τοῦ Αὐγούστου γεγονότων. Hinc Galbam *primum fuiſſe ſubdit, qui poſt Auguſti genus e Romanis imperavit* (*i*). Πρῶτος (ὁ Γάλβας) μετὰ τὸ Αὐγούστου γένος ἐκ τῶν ἄλλων Ῥωμαίων ἐμονάρχησε. Ubi vero Trajanum a Nerva adoptatum *Cæſaremque* deſignatum refert (*k*), animadvertit, publicam utilitatem conjunctioni ſanguinis Nervam antepoſuiſſe; neque deterritum fuiſſe, quod Trajanus homo Hiſpanus, nec Italus erat, nec Italicus, quodque ante eum nemo alterius nationis imperium Romanum obtinuerat. Reliquorum etiam Imperatorum genus

(a) Cod. LVII.
(b) In Præfat.
(c) Bell. Civ. Lib. I. p. 352. al. 604.
(d) Ejuſd. Bell. Civ. Lib. IIII. p. 598. al. 965.
(e) Libro LIII. pag. 509. A.
(f) In calce Præfat.
(g) Ibid.
(h) Lib. LXIII pag. 727. E.
(i) Lib. LVI. pag. 589. D.
(k) Lib. LXVIII. pag. 771. A.

nus dum recenset, satis indicat id ab Augusti Juliæque sororis genere alienum omnino fuisse.

Extincto genere Augusti in Nerone, mansit Cæsareum nomen.

IIII. Conveniunt itaque Auctores tum in hoc, quod Augusti genus extinctum sit in Nerone; tum etiam in eo, quod *Cæsarum* nomen successores retinuerint. Hoc autem numismata confirmant, utpote quæ perpetuo *Cæsareum* nomen præseferunt. *Progenies Cæsarum,* inquit Suetonius (*a*), *in Nerone defecit*. Extincto antea Britannico Claudii filio, Neronem inducit Tacitus (*b*) dicentem, tanto magis fovendum Patribus Populoq; seipsum, qui unus superesset e familia summum ad fastigium genita. Quumque gens Julia ab Ænea genus ducere crederetur, a Dione, ut audivimus, & ab Ausonio *ultimus Æneadum* (*c*) dicitur Nero: eoque interempto finem Cæsarum genti fuisse scribit (*d*) Victor. *Neroni* (*e*) *Galba successit nullo gradu contingens Cæsarum domum*. Supervenientibus itaque ab urbe nuntiis, ut occisum Neronem, cunctosq; in verba sua jurasse cognovit Galba (*f*), *suscepit Cæsaris appellationem*. Auctor quidem est Suetonius, Vitellium, qui tertius a Nerone imperavit, *cognomen* (*g*) *Cæsaris in perpetuum recusasse*; at ex Tacito ipse Vitellius, quum a Vespasiano, salutato jam a militibus Imperatore, premeretur, *Cæsarem* (*h*) *se dici voluit, adspernatus antea, sed tunc superstitione nominis, & quia in metu consilia prudentium, & vulgi rumor juxta audiuntur*. Hinc ex Dione Xiphilinus tunc Καίσαρα (*i*), *Cæsarem* vocat Vitellium. Fama porro *Cæsarei* nominis ita percrebuit, ut imperante Justiniano *Romanum* ipsum *Imperatorem Cæsaris nomine vocare* jam consueverint *Persæ* (*k*): Ὅτι ὁ Καῖσαρ, οὕτω γὰρ τῶν Ῥωμαίων καλοῦσι βασιλέα Πέρσαι. Et Justinianus ipse *apud omnes,* (*l*) ait, *terræ Populos nominatissimum Cæsaris nomen est, & nos præter omnes alias Imperatoriæ majestatis notas eo gloriamur*.

V. Spartianus autem triplicem distinguit Cæsarum classem. Quum enim sibi proposuisset (*m*) omnes, qui post *Cæsarem Dictatorem*, vel *Cæsares*, vel *Augusti*, vel *Principes* appellati sunt, quique in adoptionem venerunt, vel Imperatorum filii, aut Parentes *Cæsarum* nomine consecrati sunt, singulis libris exponere; „ Cejonius, *inquit* (*n*), Commodus, „ qui & Ælius Verus appellatus est, quem sibi Hadrianus, „ ævo ingravescente morbis tristioribus pressus, peragrato „ jam orbe terrarum adoptavit, nihil habet in sua vita memorabile,

(a) In princ. Vitæ Galbæ.
(b) Lib. Annal. XIII. cap. 7.
(c) In Cæsar. Ep. II.
(d) De Cæsar.
(e) Suet. in Vit. cap. 2.
(f) Id. cap. 11.
(g) In Vita c. 8.
(h) Lib. III. Hist. cap. 58.
(i) Lib. LXV. p. 743. B.
(k) Procop. Lib. II. Bell. Persf. c. 1.
(l) Præfat. Nov. XXX.
(m) In fine Vitæ Ælii Cæsaris.
(n) In princ. ejusdem Vitæ, i.e. c. 2.

„ rabile, nisi quod tantum *Cæsar* est appellatus non testamen- *Triplex Cæsarum classis ex Spartiano.*
„ to, ut antea solebat; neq; eo modo, quo Trajanus est adop-
„ tatus; sed eo prope genere, quo nostris temporibus a vestra
„ clementia, [*Diocletianum adloquitur*], Maximianus atque
„ Constantius *Cæsares* dicti sunt, quasi quidam Principum filii
„ Viri, & designati Augustæ majestatis heredes". Ubi triplicem *Cæsarum* classem distinguit Auctor, eorum nempe qui testamento appellati sunt *Cæsares*, quæ classis ab Augusto incipit, qui *C. Cæsaris (a) cognomen adsumpsit Testamento majoris avunculi.* Alteram eorum esse, [ni ego fallor], innuit, qui non tantum *Cæsares* facti sunt, sed ulterius conlegæ imperii adsciti sunt; nam Trajanus, quem huic classi præficit, *simul filius (b), simul Cæsar, mox Imperator, & consors Tribuniciæ Potestatis, & omnia pariter, & statim factus est.* Tertiam vero eorum facit, qui *Cæsares* dicti sunt, *quasi quidam Principum filii Viri, & designati Augustæ majestatis heredes*: cujus classis ordinem ex ipso ducit Ælius, utpote *qui (c) primus tantum Cæsaris nomen accepit adoptione Hadriani, familiæ Principum adscriptus.*

(a) Suet. in Vita cap. 7.

(b) Plin. in Panegyr. cap. 8.

(c) Ex eod. Spart. in Vita c. 1.

Errare tamen Spartianum de Ælio Vero dicentem, quod *primus tantum Cæsaris nomen acceperit*, scribit Inlustr. Spanhemius (*d*); hoc enim, ut subdit, Pisoni jam ante contigerat. At ego credo, Spartianum in iis habuisse Pisonem, qui more veteri & usitato ipsi Augusto, appellati sunt *Cæsares*: nam Galba tum *apud (e) frequentem militum concionem*, tum apud (*f*) Senatum, *adoptari a se Pisonem more Divi Augusti, & exemplo militari, quo vir virum legeret, pronuntiavit.* Pisonem quoque adloquens id se facere ait (*g*), *exemplo divi Augusti, qui sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem privignum in proximo sibi fastigio conlocavit.* Porro Augustus post Marcellum nepotes *Cajum (h) & Lucium adoptavit domi per assem & libram emptos a Patre Agrippa*; quumq; in duodeviginti mensium spatio amisisset ambos, *tertium (i) nepotem Agrippam simulque privignum Tiberium adoptavit in foro lege curiata.* Præterea, ut ipse etiam Spanhemius (*k*) animadvertit, Galba despectui esse non tam senectam suam, quam orbitatem ratus, *Pisonem (l) testamento in bona & nomen adscitum*, filiumque appellans adoptavit. Itaque Capitolinus de L. Vero Imperatore scribens ait (*m*): *Huic naturalis Pater fuit L. Ælius Verus, qui ab Hadriano adoptatus, primus Cæsar est dictus, & in eadem statione constitutus periit.*

Spartianus a Spanhemii censura defenditur.

(d) Diss. XII. pag. 352.

(e) Apud Tacit. Lib. I. Hist. c. 18.

(f) Paullo post.

(g) Apud eumd. ibid.

(h) Suet. in Aug. cap. 64.

(i) Id. ibid. c. 65.

(k) Diss. XI. p. 273.

(l) Suet. in Galba cap. 17.

(m) In Vita c. 1.

periit. Quod si hoc sensu accipiantur verba etiam Victoris, nullum in iis errorem inesse deprehendemus, secus ac judicat idem vir Cl. (*a*) Spanhemius. „ Trajanus morbo periit, *verba* „ *sunt ipsius Victoris* (*b*), adscito prius ad imperium Hadriano „ cive propinquoq;. Ab hinc divisa nomina Cæsarum atq; Au- „ gusti, inductumque in Rempublicam, uti duo, seu plures „ summæ potentiæ, dissimiles, cognomento ac potestate dispari „ sint. Quamquam alii Plotinæ Trajani conjugis favore im- „ perium adsecutum putent, quæ viri testamento heredem re- „ gni institutum simularat. " Quibus postremis verbis & verior de Hadriani adoptione opinio (*c*) adstruitur, & nominis *Cæsarei*, atque Augustei divisio ad Ælium Cæsarem inde differtur.

(a) Diss. XII. pag. 352.
(b) De Cæsar.
(c) Vid. Dion. Cass. in princ. Lib. LXIX.

Tres igitur, ni mea me fallit opinio, distinguit *Cæsarum* classes Spartianus, unam eorum, qui *testamento* sive hereditate *Cæsares* sunt appellati; alteram eorum, qui non tantum *Cæsares*, verum etiam facti sunt conlegæ imperii; tertiam illorum, qui *quasi quidam Principum filii viri & designati augustæ majestatis heredes* admoti sunt Reip., sed honore ac potestate minori, quam essent nedum Augusti, verum & imperii conlegæ. Quæ distinctio, si vera est, triplicem quoque honoris ac potestatis gradum importat. In iis etenim, qui testamento vel hereditate in familiam *Cæsarum* inducti sunt, honorem successionemq; significasse *Cæsareum* nomen videtur. In iis vero, qui simul *Cæsares* & imperii consortes adsciti sunt, honorem simul & imperatoriam potestatem suspicimus. Demum in tertiæ classis *Cæsaribus* aliquam credimus Reip. administrationem, quæ tamen minor esset illa, qua imperii conlegæ potiebantur. In primam classem referri possunt *Cæsares* omnes Juliorum Claudiorumque domus; *Augustus* (*d*) *in domo successorem quæsivit*, ut supra vidimus. *Sub Tiberio* (*e*), *& Cajo, & Claudio unius familiæ quasi hereditas fuimus*, inquit Galba. Sic reliqui *Cæsares*, qui parentibus vel succedere debuerant, vel reapse successerunt eo, quod natura seu adoptione erant eorum filii, ad hanc classem pertinent. Secundæ classi adsignandi sunt omnes imperii conlegæ, quippe qui simul etiam *Cæsares* fuerunt. Quibus accensendi quoque ii primæ classis *Cæsares*, qui postea adsciti sunt conlegæ imperii. Hoc modo, quum Tiberius solus e privignis Augusti fuit (*f*), *illuc cuncta vergere; filius, conlega imperii, consors Tribuniciæ Potestatis adsumitur*. Postea

(d) Tacit. Lib. I. Hist. cap. 13.
(e) Id ibid.
(f) Idem Tacit. paullo post princip. Lib. I. Annal.

Senatus

Senatus Populusq; Romanus (a) postulante Patre ejus, ut æquum ei jus in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi, decreto complexus est. Trajanus etiam, quem secundæ huic classi præficit Spartianus, *simul filius (b), simul Cæsar, mox Imperator, & consors Tribuniciæ Potestatis, & omnia pariter & statim factus est, quæ proxime Parens verus,* Vespasianus *tantum in alterum filium* Titum *contulit.* De reliquis *Cæsaribus* in consortionem imperii adscitis videri possunt, quæ in priori Animadversione (c) notavimus. In tertia classe conlocat Spartianus Ælium Verum, & Maximianum atque Constantium *Cæsares* sub Diocletiano, cui opus suum dedicat. Ælius itaque Verus ab eo dicitur (d), *qui primus tantum Cæsaris nomen accepit, adoptione Hadriani familiæ Principum adscriptus.* Subdit (e), adoptatum fuisse Ælium Verum ab Hadriano eo tempore, *quo jam parum vigebat, & de successore necessario cogitabat;* statimq; Prætorem factum, & Pannoniis Ducem ac rectorem impositum, mox Consulem creatum: &, *quia erat deputatus imperio,* iterum Consulem designatum esse. Quum per omnem orbem terrarum res turbatæ essent (f), *Diocletianus Maximianum Herculium ex Cæsare fecit Augustum, Constantium & Galerium Maximianum Cæsares.* Et (g), quoniam bellorum moles acrius urgebat, quasi partito imperio cuncta, quæ trans Alpes Galliæ sunt, Constantio commissa; Africa Italiaque Herculio; Illyriciq; ora ad usque Ponti fretum Galerio; cetera Valerius retentavit. A nutu tamen imperioque Diocletiani Constantius atque Galerius *Cæsares*, quin & Maximianus Herculius pendebant; qua de re alibi (h) disputavimus. Abeuntibus autem Diocletiano & Maximiano Herculio ab administratione Reip. Constantius & Galerius Augusti creati sunt (i), sumptis duobus Cæsaribus Severo & Maximino; quorum *prior Italiam (k), posterior, in quæ Jovius,* nempe Diocletianus *obtinuerat, destinantur.* Hinc mortuo Constantio Constantinum filium *Cæsarem (l) cum Maximino appellari* jussit Galerius. Rerum inde potitus Constantinus *Cæsares* alterius ordinis creavit, Crispum scilicet, Constantinum, Constantium atque Constantem filios, tum etiam Dalmatium fratris filium, qui omnes ad primam *Cæsarum* classem referri possunt: nam *Resp. (m) unius* Constantini *arbitrio geri cœpit, liberis Cæsarum nomina diversa retentantibus;* nisi potius & hi ad aliam classem ex iis, quæ dicenda sunt, referri velint.

(a) Vellej. Lib. II. cap. 121.
(b) Plinius in Paneg. Traj. c. 8.
(c) Num. XXVI.
(d) In princ. Vitæ.
(e) Cap. 3.
(f) Eutrop. Lib. IX. cap. 22. Oros. Lib. VII. cap. 25.
(g) Vict. de Cæs.
(h) Adimadv. I. de Imp. n. XXV. & seq.
(i) Eutrop. Lib. X. cap. 1.
(k) Vict. de Cæs. Eutr. Lib. X. c. 2.
(l) Lact. Firm. de Mort. Pers. c. 25.
(m) Vict. de Cæs.

VI. Quod

Cæsares aliis potentiæ honorisque titulis decorari solebant.

VI. Quod igitur ad hanc primam classem, seu alios Cæsares spectat, non facile inveniuntur puri puti *Cæsares*, qui nullo principatus insigni sint decorati, nisi quos mors propera abstulit, ut fuere Cajus & Lucius Augusti Nepotes, Piso a Galba, & Ælius Verus ab Hadriano *Cæsares* nuncupati. Ceterum, quoties aliquis *Cæsar*, h. e. successor destinabatur, illuc cuncta vergebant; *filius, conlega imperii, consors Tribuniciæ Potestatis* fere adsumebatur, ut de Tiberio scribit Tacitus (*a*). Præterea in partem *Pontificatus Maximi* quandoque adsciscebatur; & *Augusti* titulo decorabatur, ut suo loco (*b*) ostendimus. Hinc cum *Imperatorum* prænomine aliquot *Cæsares* in nummis & inscriptionibus videmus, & apud auctores, præsertim Græcos legimus, & de hujusmodi conlegis imperii supra (*c*) diximus. Antoninus, ubi ab Hadriano Cæsar creatus est, apud Capitolinum (*d*) legitur etiam *factus Patri & in imperio Proconsulari & in Tribunicia Potestate conlega*. A Dione autem apud Xiphilinum (*e*) dicitur Ἀυτοκράτωρ ἐγένετο, *factus Imperator*. Quo tempore Caracallam a Senatu confirmatum *Cæsarem*, *decretis* tamen *Imperatoriis insignibus*, Getam vero vix, aut ne quidem vix *Cæsarem* exhibet Spartianus (*f*); τὀς τε ὑιἐῖς ἀυτȣ̃ κοινωνȣ̀ς τῆς βασιλείας ϗ Ἀυτοκράτορας ἀποδείξας (*g*), eosdem Severi *filios participes imperii & Imperatores factos* tradit Herodianus. Hic (*h*) deinde *Cæsarem* tantum repræsentat Gordianum, qui postea dictus est Pius; Eutropius (*i*) vero ulterius vocat *Augustum*. A Victore quoque Macrini filius Diadumenianus *Cæsar* a legionibus appellatus dicitur; in ejus autem Epitoma Macrinus cum Diadumeniano filio ab exercitu *Imperatores* creati leguntur, ita etiam apud Eutropium (*k*). Philippus *Cæsar* a Philippo patre *sumptus in consortium* (*l*), seu potentiæ sociatus (*m*) occurrit, & imperium invasisse (*n*) cum Patre dicitur. Decius & filius, quem *Cæsarem* (*o*) fecerat, biennio imperasse leguntur. Mox *Imperatores* creati (*p*) dicuntur Gallus & ejus filius Volusianus, quem *Cæsarem* a Patribus decretum alibi (*q*) legimus. Carus factus Augustus Carinum & Numerianum filios *Cæsares* (*r*) fecit; at in nummis (*s*) & inscriptionibus (*t*) cum nomine *Imperatoris* & *Augusti* comparent. Ipse Maximianus Galerius, quem cum Ælio Vero, h. e. in tertia *Cæsarum* classe statuit Spartianus, occurrit (*u*) *Tribunicia Potestate* insignitus, & multiplici *Imperatoris* (*x*) ob victorias titulo decoratus. Præterea commissam ei cum Constantio

(a) Lib. I. Ann. paullo post princ.
(b) Animadv. de Pontif. Max. & Aug.
(c) Animadv. I. de Imp. n. XXV. & seq.
(d) In Ant. c. 4.
(e) Lib. LXIX. pag. 797. A.
(f) In Sev. cap. 14. & in Geta c. 5.
(g) Lib. 3. cap. 9.
(h) Lib. VII. c. 10.
(i) Lib. IX. c. 2.
(k) Libro VIII. cap. 21.
(l) Vict. de Cæs. Oros. Lib. VII. cap. 20.
(m) Alt. Vict.
(n) Eutrop. Lib. IX. cap. 3.
(o) Id. eod. Lib. cap. 4.
(p) Id. cap. 5.
(q) Vict. de Cæs.
(r) Eutrop. Lib. IX. cap. 18. Vict. de Cæsar.
(s) Apud Mediob. 420. Havercamp. in not. ad cap. 24. Lib. VII. Oros.
(t) Vid. Pagium in Crit. ad ann. Chr. 283. num. V. & seqq.
(u) Vid. Anim. de Tr. Pot. nu. XLV.
(x) Vid. Animad. de Imp. nu. XX.

ſtantio, altero Cæſare, partem non exiguam Reip. adminiſtrandam modo diximus. Conſtantini quoq; filios *Cæſares* in conſortium imperii adſcitos a patre ex hiſtoria diſcimus. *Eo tempore*, inquit Eutropius (*a*), *Res Romana ſub uno Auguſto & tribus Cæſaribus*, [*quod numquam alias*], *fuit; quum liberi Conſtantini Galliæ, Orienti, Italiæque præeſſent*. Ipſe quoque Delmatius, quem Conſtantinus Patruus Cæſarem dixerat, tum etiam Conſtantius ejus frater & Hannibalianus, ſolo *Nobiliſſimorum* titulo decorati, poſt ejus mortem συνῆρχον δ' αὐτοῖς τρόπον τινά, *imperii quodammodo participes* cum ipſius Conſtantini filiis dicuntur (*b*) a Zoſimo. Ex his aliiſque monumentis, nummis maxime & inſcriptionibus ſatis conſtat, *Cæſares* multiplicibus potentiæ honoriſq; titulis ornari conſueviſſe: nam, quum imperio deſtinati forent, eidem aſſueſcere debebant. *Cæſaris* itaque *nomen nihil quidem potentiæ honoriſque adjiciebat, ſed ſucceſſionem ſtirpis ſignificabat* (*c*), diſponebatque ad omnes imperii gradus.

(a) Lib. X. c. 6.

(b) Lib. II.

(c) Dio Lib. LIII. pag. 509. A.

Ad quos ſpectaret creare Cæſares.

VII. Quod ſi quis a me petat, ad quos ſpectaret deſignare Cæſares, ſeu a quibus illi crearentur, reſpondeo, ſæpius ab Auguſtis, qui imperium tenebant, quandoque vero etiam a Senatu, aut a militibus creatos eoſdem fuiſſe. A quibuſcumq; porro id fieret, aliorum conſenſus, ipſorum maxime Auguſtorum ac Senatus accedebat; quemadmodum etiam de Imperatoribus vidimus (*d*). Nomen *Cæſaris* ad Neronem uſq; cognomen fuit Auguſtæ domus. Cajum & Lucium Agrippa genitos *in familiam Cæſarum* (*e*) induxit Auguſtus, iiſque mortuis Tiberium; & hic coactus eſt (*f*) Germanicum fratris ſui filium & patrem Caji, qui poſt Tiberium imperavit, adoptare; unde hi omnes dicti ſunt *Cæſares*, tum etiam Claudius Germanici frater & patruus Caji, quem etiam in imperio excepit. Claudius ipſe adoptavit Neronem, cujus erat magnus patruus; etenim Nero filius fuit Agrippinæ filiæ Germanici, qui erat frater Claudii. Quo ſenſu velim benignus Lector accipiat locum illum in Commentariis (*g*), ubi Claudium pro *magno patruo* diximus *patruum* Neronis, exemplo, ſi quidem valet, Velleji (*h*) ac Suetonii (*i*), qui Jul. Cæſarem, quem prius *majorem avunculum* alterius Cæſaris, nempe Auguſti dixerant, *avunculum* tantum deinde appellant. Progenies *Cæſarum* in Nerone defecit (*k*): Neroni (*l*) Galba ſucceſſit *nullo gradu contingens Cæſarum domum*: Cæſar tamen dictus paſſim & inſcriptus (*m*) eſt. Piſonem præterea adopta-

(d) In Animadv. de Imperat. num. XXVII. & ſeq.

(e) Tacitus Lib. I. Ann. paullo poſt princ.

(f) Suet. in Tib. cap. 15.

(g) Num. I. Tab. VI.

(h) Lib. II. cap. 59.

(i) In Oct. Aug. cap. 7. & 8.

(k) Suet. in Galb. cap. 1.

(l) Idem cap. 2.

(m) In num. & inſcript.

 vit,

(a) Dio Libro LXIV. p.730. B.
(b) Tacit. Lib. I. Hist. c. 18.
(c) Dio Libro LXVI. p. 744.
(d) Plin. in Panegyr. cap. 8.
(e) Ibid. cap. 10.
(f) Dio Libro LXIX. in princ.
(g) Spartian. in Æl. Ver. c. 2.
(h) Vict. de Cæs.
(i) Capitol. in Marc. c. 6.
(k) Id. ibid. c. 7.
(l) Id. cap. 12.
(m) Lamprid. in Com. cap. 1.
(n) Capitol. in Albino c. 1.
(o) Spartian. in Sev. c. 10.
(p) Ibid. c. 14.
(q) Ibid. c. 16. & in Get. c. 5.
(r) Capitol. in Pert. c. 6.
(s) In Diad. c. 2.
(t) Lib. 5. c. 4.
(u) In Macr. c. 4.

vit, ϗ Καίσαρα ἀπέδειξεν (*a*), & *Cæsarem fecit*, in castris adoptione ipsa (*b*) nuncupata ac subinde ad Senatum relata. Utroque autem occiso, ut & Othone ac Vitellio, Vespasianus, qui a militibus Imperator fuerat designatus, *etiam a Senatu creatur Imperator* (*c*), ϗ πρὸς τῆς βȣλῆς ἀπεδείχθη, ϗ Καίσαρες, ὅ τε Τίτος ϗ ὁ Δομιτιανὸς ἀπεδείχθησαν, & ejus filii, *Titus atq; Domitianus renuntiantur Cæsares*. A Nerva vero, qui Domitiano successit, Trajanus *simul filius* (*d*), *simul Cæsar* factus est. In hac ipsa electione *Senatus Populique consensum* adfuisse, tradit Plinius (*e*). A Trajano non est adoptatus (*f*) Hadrianus; ei tamen successit ut ab ipso adoptatus. Ab Hadriano *appellatus est Cæsar* (*g*) Ælius Verus: & hoc mortuo Hadrianus *ad creandum Cæsarem* (*h*) *Patres convocat*; atque Antoninum, qui postea dictus est Pius, *adoptatum legibus Cæsarem jubet*. Hinc Pius *Marcum* (*i*) Aurelium *Cæsaris appellatione donavit*. Marcus autem L. Verum, Ælii ab Hadriano adoptati filium, *Cæsarem* (*k*) *atque Augustum dixit*. Petiit vero postea Lucius, *ut filii Marci* (*l*) *Cæsares appellarentur*. Commodus itaq; *appellatus est Cæsar* (*m*) *puer cum fratre suo Vero*. Ipse Commodus, quum filios non haberet, litteras aliquando dedit ad Albinum, quibus jussit (*n*), *ut Cæsar esset*. At vero Albinus honorem recusavit, quem postea a Severo rursus delatum admisit. Discordia deinde inter hos mota, quum iret contra Albinum Severus, in itinere apud Viminacium filium suum majorem Bassianum, adposito Aurelii Antonini nomine (*o*), *Cæsarem appellavit*. Interempto Albino Romam est reversus Severus, *Cæsarem* (*p*) *deinde Bassianum filium suum Antoninum a Senatu appellari jussit*, id est confirmari. Parthico posthac suscepto bello, Parthiamque ingressus, Ctesiphontem pulso Rege pervenit & cepit; ob hoc *Getam quoque* (*q*) *minorem filium Cæsarem dixerunt* milites. Post Commodum & ante Severum imperavit Pertinax: *filium ejus* (*r*) *Senatus Cæsarem appellavit*; sed Pertinax dixit: *quum meruerit*. De Diadumeniano Cæsare filio Macrini, qui Caracallam seu Bassianum in imperio excepit, hæc apud Lampridium leguntur (*s*): *Herodianus Græcus Scriptor Diadumenum tantum Cæsarem dicit puerum a militibus nuncupatum & cum patre occisum*. At apud ipsum Herodianum exhibetur occisus (*t*) *Macrinus cum filio Diadumeniano*, ὃν ἦν ποιήσας Καίσαρα, *quem jam Cæsarem fecerat*. Macrino adhuc vivo Imperatorem dixerunt milites Elagabalum. Auctor autem est Capitolinus (*u*),

contra

contra Macrinum exclamatum *in Senatu* a multis, quando nuntiatum, factum esse Elagabalum Imperatorem, *quum jam Cæsarem Alexandrum Senatus dixisset*. A Lampridio (*a*) Alexander fertur *Cæsar a Senatu appellatus*, mortuo Macrino. At tardius id factum memorat laudatus Herodianus ejus temporis scriptor, diciturque (*b*) ab eo adoptatus, & ἀποδείκνυται δὲ Καῖσαρ ὁ Ἀλέξανδρος, *Cæsar declaratus* ab Elagabalo *Alexander*, & Consul cum ipso designatus, Senatu decernente, quod Imperator voluerat. Maximinum, qui vivo Alexandro potentiam cepit suffragiis legionum, *Patres*, dum periculosum existimant inermes armato resistere (*c*), *approbaverunt*; *filiusque ejus pari nomine Cæsar factus est*. Hunc & pater *Cæsarem* (*d*) *appellaverat*. Balbino & Pupieno contra Maximinum creatis a Senatu Imperatoribus, *populus & milites Gordianum parvulum* (*e*) *petiverunt, ut Cæsar appellaretur; raptusque ad Senatum*, atq; inde in concione positus, indumento imperatorio tectus, *Cæsar est appellatus*. Philippus Gordiani successor, τὸν παιδὸν ἔτυχε τῇ τȣ̃ Καίσαρος ἀξίᾳ τιμήσας (*f*), *filium* suum Philippum *Cæsaris dignitate cohonestavit*. Ita etiam Decius *filium suum* (*g*) *Cæsarem fecit*. Qui quum cecidissent, *Patres* (*h*) Gallo Hostilianoque Augusta imperia, Volusianum Gallo editum *Cæsarem decernunt*. Hinc Licinius Valerianus ab exercitu Imperator & mox Augustus est factus; *Gallienus quoque* ejus filius *Romæ a Senatu* (*i*) *Cæsar est appellatus*. Post Probum Carus est factus Augustus; qui confestim Carinum & Numerianum filios *Cæsares fecit*. Successor Diocletianus primum *Cæsarem* (*k*) fecit Maximianum Herculium, deinde Constantium Chlorum & Maximianum Galerium; postea abeuntibus ab administratione Reip. Diocletiano & Herculio, ac succedentibus Chloro & Galerio facti sunt Cæsares Severus & Maximinus, deinde Constantinus, qui postea dictus est Magnus, Chlori filius. Ab hoc filii, Crispus & Constantinus, & Licinius adolescens, Licinii Augusti filius, Constantini autem ex sorore nepos (*l*) *Cæsares sunt creati*; tum etiam Constantius ac Constans alii filii ejusdem Constantini Magni; qui rursum *tricennalibus suis Delmatium* (*m*) *Cæsarem legit*. Subsecuto tempore Decentius a Magnentio, Julianusque a Constantio renuntiati sunt Cæsares. De quibus omnibus videri possunt Augustæ historiæ Scriptores, quæque ex iis nos delibavimus, & in Commentariis ad Numismata Pisana descripsimus.

(a) In princ. Vit. Alex.
(b) Lib. V. c. 7.
(c) Vict. de Cæs.
(d) Capitol. in Maxim. c. 22.
(e) Id. in Gordd. cap. 22.
(f) Zosim. Lib. I. cap. 22.
(g) Eutrop. Lib. IX. c. 4. & Vict. de Cæsar.
(h) Id. Vict.
(i) Eutrop. Lib. IX. cap. 18.
(k) Id. eod. Lib. cap. 22. & Oros. Lib. VII. cap. 25.
(l) Oros. Lib. VII. cap. 28.
(m) Id. ibid.

De titulo Nobilissimi.

VIII. Restat, ut de titulo *Nobilissimi* agamus, quem cognomini *Cæsaris* additum, receptumque in Cæsarianis nummis a Philippi junioris temporibus in Pisanis numismatibus videmus. Occurrit ille antea in quadam Commodi jam tum Augusti inscriptione (*a*). Dicitur porro in ea Commodus & quidem merito, *Nobilissimus Princeps*, utpote *M. Antonini filius, Pii Nepos, Hadriani Pronepos, Trajani Abnepos, Nervæ Adnepos*: hinc ab Herodiano (*b*) βασιλεὺς εὐγενέςατος, *Imperator Nobilissimus* appellatur; & in ejus nummis inscribitur (*c*) NOBILITAS AVG*usti*. Quum autem Sept. Severus, qui paullo post imperavit, se Marci filium (*d*) & Commodi fratrem nuncupasset, eorumque majores sibi (*e*) adscivisset, in nummis filii Getæ Cæsaris NOBILITAS legitur, & ipse NOBILISSIMUS CAESAR dicitur in inscriptione apud Gruterum (*f*); & in Actis Passionis SS. Perpetuæ ac Felicitatis mentio ejusdem *Getæ nobilissimi Cæsaris* habetur. Ubi vero imperium occiso Alexandro Sept. Severi, ut fama (*g*) ferebat, nepote, arripuit Maximinus, (*h*) de vico Thraciæ vicino, *barbaro etiam Patre & Matre genitus*, quum vereretur, (*i*) *ne propter humilitatem generis barbarici a nobilitate contemneretur, ignobilitatis* (*k*) *tegendæ caussa omnes conscios generis sui interemit*: ejusque filius C. IVLIVS VERVS MAX*imus* NOBILISSIMVS CAESAR (*l*) dictus est. Post Maximinum Gordianus Pius, adolescens (*m*) adeptus est imperium, quumque imperasset annos (*n*) sex, jussum (*o*) est a militibus, ut quasi tutor ejus Philippus, Præfectus (*p*) Prætorii, *Arabs humili genere natus, sed superbus*, cum eodem Gordiano pariter imperaret. Suscepto (*q*) igitur imperio, quum & Philippus se contra Gordianum superbissime ageret, *& ille se Imperatorem, atq; Imperatorum prolem, & virum nobilissimæ familiæ recognosceret, nec ferre posset improbitatem hominis ignobilis*, apud Duces & milites conquestus Gordianus, factione tamen Philippi minor apud omnes fuit: eumque clamantem e conspectu duci jussit Philippus, ac spoliari, & occidi. Ita (*r*) Philippus impie, non jure obtinuit imperium; quumque *humillimo ortus loco esset, Patre*, si Victori juniori credimus, *nobilissimo latronum ductore*, ignobilitatis tegendæ caussa *Cæsarem nobilissimum* pronuntiavit, & ab aliis appellari passus est Philippum filium. Qui titulus *Nobilissimi* tum in nummis tum in aliis monumentis exinde increbuit.

(a) Apud Grut. p. CCLII. 4.
(b) Lib. I. cap ult.
(c) Apud Mediob. & Vaill.
(d) Dio Cass. apud Xiphilin. Libro LXXV. p. 853. B.
(e) Apud Gruter. pag. CCLXIII. 8. pag. CCLXIIII. 2. & seq. 5. Item p. CL. 5.
(f) Pag. XIV. 13.
(g) Herod. Lib. V. cap. 7.
(h) Capitol. in Vita cap. 1.
(i) Id. ibid. c. 8.
(k) Cap. 9.
(l) Apud. Grut. pag. CLI. 5. & CLVIII. nu. 6.
(m) Capitol. in Vita trium Gord. cap. 22.
(n) Vict. jun.
(o) Capitol. ibid. cap. c. 29.
(p) Ibid. paullo ante.
(q) Cap. 30.
(r) Cap. 31.

ANIMAD.

ANIMADVERSIO III.

DE

PONTIFICE MAXIMO.

I. Xplicaturo mihi frequentem illam obviamque in nummis Romanorum Imperatorum *Pontificis Maximi* appellationem, quamvis occurrant externa multa, quæ lucem ei adferre possent, ne tamen longius vagari contingat, eam, quam apud Romanos ipsos habuit, originem in præsens ostendere satis, superq; erit. Regno itaque post Romulum potitus Numa (*a*), quum omnium circa finitimorum societate ac fœderibus junxisset animos, positis externorum periculorum curis, ne luxuriarent otio animi, quos metus hostium disciplinaque militaris continuerat, omnium primum rem ad multitudinem imperitam & illis sæculis rudem, efficacissimam, Deorum metum injiciendum ratus est. Qui, quum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset, simulat sibi cum Dea Ægeria congressus nocturnos esse; ejus se monitu, quæ acceptissima Diis essent, sacra instituere, Sacerdotes suos cuiq; Deorum præficere. Itaque Sacerdotibus creandis animum adjecit, quamquam ipse plurima sacra obibat, ea maxime, quæ postea ad Dialem Flaminem pertinuerunt. Sed, quia in civitate bellicosa plures Romuli, quam Numæ similes Reges putabat fore, iturosque ipsos ad bella, ne sacra regiæ vicis desererentur, Flaminem Jovi adsiduum Sacerdotem creavit, insignique eum veste & curuli regia sella adornavit. Huic duos Flamines adjecit, Marti unum, alterum Quirino, virginesq; Vestæ legit. Salios item duodecim Marti Gradivo. PONTIFICEM *deinde Numa Marcium Marci filium ex Patribus legit; eique sacra omnia exscripta exsignataque adtribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent; atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. Cetera quoque omnia publica, privataque sacra* PONTIFICIS *scitis subjecit, ut esset, quo consultum Plebs veniret: ne quid divini juris negligendo patrios ritus, peregrinosque adsciscendo turbaretur. Nec cœlestes modo cæremonias, sed justa quoque funebria placandosque Manes, ut idem*

Pontificatus Maximi apud Romanos origo.

(a) Livius Libro I. cap. 20.

Sacrorum Sacerdotumque institutio ex Livio.

PON-

PONTIFEX *edoceret: quæque prodigia fulminibus, aliove quo viso missa susciperentur, atque curarentur: ad ea elicienda ex mentibus divinis Jovi Elicio aram in Aventino dicavit, Deumque consuluit auguriis, quæ suscipienda essent.* Hæc Livius. Ex Dionysio autem Halicarnassensi (*a*) Numa omnia, quæ ad religiones ac cæremonias pertinebant, octo libris juxta totidem sacrorum classes complexus est. Porro ultima seu octava (*b*) sacrorum ordinum a Numa institutorum classis fuit maximi apud Romanos sacerdotii, atq; hujus potestas fuit amplissima. Hi ab uno suorum operum reficiendo, scilicet ponte Sublicio, ipsorum lingua vocati sunt *Pontifices*, summa auctoritate præditi, nam omnes lites sacras judicabant, inter privatos pariter & Magistratus ac sacrorum ministros; leges etiam ferebant de sacris, quæ nondum scriptis mandata, nec usu recepta erant, si digna viderentur, quæ legibus, & consuetudinibus sancirentur; in omnes item Magistratus, quibus sacrificia & Deorum cultus erat commissus, & in omnes Sacerdotes inquirebant; Ministros quoque sacrorum in officio continebant, ne quid contra sacras leges delinquerent; rudi etiam vulgo Deorum ac Geniorum cultum præmonstrabant & interpretabantur; quod si quem animadvertissent præscripta sua contemnere, eum mulctabant, pro delicti magnitudine; ipsi a judiciis & mulcta erant immunes, nec tenebantur vel Senatui vel Populo rationem reddere. Horum autem si quis e vita excedebat, in defuncti locum alius subrogabatur, non populi suffragiis; sed, qui conlegio maxime videretur idoneus, ex omni civium numero eligebatur; qui tum demum Sacerdotium adibat, si conlegii judicium felici augurio comprobaretur. Ita Dionysius. Præerat porro his omnibus honore & auctoritate *Pontifex Maximus, judex atq; arbiter rerum divinarum atq; humanarum* (*c*): eratq; hic Magistratus perpetuus, & sacerdotium nullus deponebat (*d*), nisi quum vitæ munia derelinquebat. Electio autem Pontificis Maximi aliquando ad Pontifices, diu vero postea ad Populum spectavit: hinc comitia *Pontifici Maximo* creando habita legimus apud Livium (*e*); & Cn. Domitius *Pontifex Maximus* (*f*) Populi suffragio creatus est. Ipsum *Pontificatum Maximum petiit* C. Julius Cæsar *non* (*g*) *sine profusissima largitione*; atque ita potentissimos duos competitores, multumque ætate ac dignitate antecedentes superavit, ut plura ipse in eorum tribubus suffragia, quam uterque in omnibus tulerit. Ubi

(a) Lib. II. Ant. Rom. p. 93.

(b) Pag. 99.

Classis suprema Sacerdotum.

Summus Pontifex.

(c) Videatur Cicero Lib. III. de Oratore cap. 33.

(d) Cassiod. Lib. VI. Var. c. 2.

(e) Lib. XXV. c. 5

(f) Epit. Liv. Lib. LXVII. 5.

(g) Suet. in Vit. cap. 13.

Ubi vero ſupremum Reipublicæ imperium adeptus eſt, inter ceteros, qui ei tributi ſunt, honores, illud etiam decretum, ut (*a*), ſi quem filium Cæſar vel procrearet, vel adoptaret, is *Summus Pontifex* conſtitueretur. At eo occiſo, quum (*b*) Lepidus multum potentia valeret, eumque Antonius magnopere metueret, filiam ſuam Lepidi filio nuptum dedit, ipſumq; Lepidum *Pontificem Maximum*, ne in ipſius actiones inquireret, conſtituit. Quod ut facilius efficeret, *Pontificis Maximi* electionem a Populo ad Pontifices iterum tranſtulit, per eoſq; Lepidum omnibus fere majorum inſtitutis neglectis initiavit; quum ipſe id ſacerdotium obtinere potuiſſet. Ex quibus intelligimus, *Pontificis Maximi* electionem primum Pontificibus conceſſam fuiſſe, inde ad Populum translatam, ac demum Pontificibus reſtitutam; quamvis neque apud hos manſit, mox enim cum imperio *Pontificatus Maximus* in Auguſto conjunctus ad omnes imperii Succeſſores, eoſque ſolos exinde pertinuit. Porro, quum (*c*) *populus* Pontificatum Max. a Lepido ad Auguſtum transferre vellet, nemini vivo more majorum adimi ſolitum, ipſum *Pontificatum* (*d*) *Maximum Auguſtus numquam vivo Lepido auferre ſuſtinuit, ſed mortuo demum ſuſcepit*.

(a) Dio Caſſ. Lib. XLIIII. pag. 243. A.
(b) Id. eod. Lib. p. 268. E. & ſeq. A.
(c) Appian. Lib. V. Bell. Civil. p. 746. nunc 1178.
(d) Suet. in Aug. cap. 31.

Pontificatum Max. Auguſtus indeq; ſucceſſores cum imperio conjunxerunt.

II. Quod quidem munus ſacrumque Magiſtratum Auguſtus ita geſſit tenuitque, ut hereditarium fecerit, ſucceſſoribuſque cum imperio reliquerit (*e*). Ἐκ τε τοῦ ἐν πάσαις ταῖς ἱερωσύναις ἱερῶσθαι, καὶ προσέτι καὶ τοῖς ἄλλοις τὰς πλείους σφῶν διδόναι, Ἀρχιερέων τε τινὰ αὐτῶν, κἂν δύο, κἂν τρεῖς ἅμα ἄρχωσιν, εἶναι, πάντων αὐτοὶ καὶ τῶν ὁσίων καὶ τῶν ἱερῶν κυριεύουσιν. *Omnibus porro Sacerdotiis inaugurati erant* Imperatores, *ac pleroſque in ea conlegia cooptabant; & unus eorum, ſiquidem duo vel tres ſimul Imperatores erant, Pontificatum maximum gerebat; indeq; factum, ut ſacra omnia in ſua haberent manu*. Simul igitur atque ſummum imperium quiſq; conſequebatur, Pontificatus quoque Maximus ei deferebatur.

(e) Dio Caſs. Lib. LIII. p. 508. C.

Utrum unus an plures eſſent Pontifices Max. quum plures eſſent ſimul Imperatores.

III. Mos itaque obtinuit, ut imperium *Pontificatus Maximus* ſequeretur. At vero quæritur, quomodo res haberet, quum plures ſimul eſſent Imperatores, utrum ſc. omnes, an unus tantum eſſet *Pontifex Max*. Quæſtionem hanc plures Viri Cl. jam tum examinarunt, ſed non conveniunt. Prodiit demum ſuper hac re viri eruditione ac dignitate Cl. Buherii judicium (*f*), cujus hæc ſumma. Notat in primis eruditiſſimus auctor, Roſinum (*g*), Panvinium (*h*), ac Bulengerum

(f) 1733. Tom. IX a pag. 115. Hiſt. Accadem. Reg. Inſcript. & Human. litter.
(g) Ant. Roman. III. 22.
(h) De Civ. Rom. Lib. II. de Pont.

rum (*a*) docere, Imperatores omnes eo ipſo, quod ad imperium acciti erant, *Pontifices Maximos* evaſiſſe: e contra vero Gutherium (*b*) contendere, quod, quum plures ſimul eſſent Imperatores, numquam niſi unus fuerit *Pontifex Maximus*. Quam ſententiam limitat Seldenus (*c*), quippe qui tradit, reſervatum fuiſſe *Pontificatum Maximum* uni Imperatori uſq; ad Conſtantinum Magnum. Hinc ſubdit Buherius, communiorem receptioremque virorum doct. ſequioris temporis opinionem eam eſſe, quæ docet, titulum *Pontificis Max.* a pluribus Imperatoribus ſimul, ſumi non cœpiſſe ante Balbinum & Pupienum. Ac ita ſenſiſſe tradit Boſium (*d*), Spanhemium (*e*), Noriſium (*f*), Pagium (*g*) atque Tillemontium (*h*). At nulla ex his opinionibus Buherio placet, contraq; omnes ſtat. Itaque animadvertit, Titum imperii ſocium adſcitum fuiſſe a Patre Veſpaſiano, menſe Majo anni Chriſti LXXI. teſte Pagio (*i*): hinc ſupereſſe ſubdit, citatque tredecim nummos ſequentibus annis, & quidem vivo adhuc patre cuſos, qui Titum ipſum exhibent *Pontificem Max.* Lucii Veri, qui cum Marco imperavit, tres inſcriptiones notat, titulo PONTIFICIS MAXIMI inſignitas, indeq; de iis erudite diſputat. Commodum ſociatum imperio ſubdit anno Chriſti CLXXV. Reperiuntur vero apud Mediobarbum quinq; nummi, vivo adhuc patre Marco cuſi, unus ſc. anno CLXXVII., alii CLXXIX., qui præferunt titulos AVG. GERM. P. M. Tillemontius (*k*) quidem corrigit, mutatque P. M. in PONT. at plures, non unum eſſe hujuſmodi nummos docet Buherius. Habentur plures etiam nummi Albini cum titulo *Pontificis Maximi*, quo tempore erat Severi in imperio conlega: at heic minime contradicit Buherius Tillemontio, qui notat (*l*) cudi potuiſſe hos nummos, quum Albinus ſolus videri vellet Imperator. Caracalla anno Chriſti CCVII. vivo patre Severo inſcribitur in nummis *Pontifex Maximus*, ita etiam Geta anno CCX. Quod autem ſpectat ad Dionem a nobis etiam ſuperius (*m*) laudatum, verba Ἀρχιερέων τε τινὰ αὐτῶν, ita explicat Buherius, ut poſt Auguſtum Imperatores *Pontificis Maximi* dignitatem a ſe ipſis minime alienarint, &, quum plures ſimul eſſent, ſaltem unus eamdem gereret. Ac reſpexiſſe ei videtur Dio exemplum Tiberii, qui nonniſi poſt mortem Auguſti, & quidem anno ſequenti die IX. Martii creatus eſt *Pontifex Maximus*, ut conſtat ex inſcriptione Florentina apud Gruterum (*n*), quæ integra habetur

(a) De Imp. Rom. Lib. XIII.
(b) De jure Pont. Lib. XV.
(c) De Synedr. cap. 10.
(d) De Pont. M. cap. 2.
(e) De Præſt. Num. Tom. II. p. 422.
(f) Cenot. Piſ. Diſs. II. cap. 7.
(g) In Crit. ad an. Chr. 161. nu. VI.
(h) Hiſt. Imper. Tom. III. p. 536.
(i) Ad hunc an. nu. III. & ſeq.
(k) Tom. III. pag. 596. 597. id eſt Not. XI. in Sept. Sev.
(l) Ibid.
(m) Libro LIII. pag. 508. vid. ſupra nu. II.
(n) Pag. CCXIIX. num. 2.

habetur apud Montfoconium (*a*), & Gorium (*b*); idq; factum credit ab Augusto, qui morem veterem antiquare noluit, & a Tiberio, quum hanc dignitatem ipse sibi adrogare videri nollet, certus, quod cum imperio illam demum accepturus erat. Ut ut sit, male accipi subdit vir Cl. locum Dionis a Tillemontio (*c*), quum hoc sensu redditur: *ut, si quidem plures Augusti simul essent, adhuc tamen nonnisi unus eorum Pontificis Maximi titulum sumeret.* Hoc enim modo ei videtur, propositionem, quæ adfirmativa est, facere negativam, adeoque eam non bene interpretari. Unum porro exemplum sufficere potuisse tradit Buherius, ut ita scriberet Dio, ac fieri etiam potuisse, ut plura fuerint exempla: nec enim certi sumus, an Titus, L. Verus, Commodus, Caracalla & Geta fuerint *Pontifices Max.*, statim atq; ad imperium acciti sunt: atque adeo fieri potuit, ut spatium aliquod temporis intercesserit, quod comprobandæ Dionis sententiæ satis esset.

(a) Diar. Italic. pag. 382.
(b) Inscript. Flor. Pag. 316.
(c) Citato loco.

Quum autem adnotassent Bosius (*d*) atque Norisius (*e*), occurrere aliquot ex laudatis Principibus cum solo titulo *Pontificis* etiam, postquam acciti sunt ad imperium, ac juxta Buherium titulum *Pontificis Max.* obtinuerunt, respondet ipse Buherius, locum heic habere illam quæstionem, quam primus instituit Spanhemius (*f*), qui & ostendit, titulum *Pontificis* sæpe adhibitum apud Romanos loco *Pontificis Maximi*. Idipsum agnovit postea Pagius (*g*) ac M. Cuperus, quorum hic novis rationibus id comprobavit, docuitq; hac de caussa Getam modo *Pontificem Maximum*, modo solum *Pontificem* in nummis appellari. Hoc porro dici debere etiam de aliis, concludendumque cum Buherio, ex titulo *Pontificis*, quum sit dubius, nihil inde certi erui posse in hac re, tradit vir alter eruditiss. qui nempe Buherii sententiam describit. Quique subdit, fieri etiam potuisse, ut Principibus in societatem imperii adscitis daretur solum titulus *Pontificis*; quum, etiamsi forent *Pontifices Maximi*, tales essent honoris tantum caussa, ac tota muneris officiique auctoritas maneret apud eum, qui eosdem acciverat. Neq; tamen inde concludi vult omnes illos, qui consortes facti sunt imperii, *Pontificatus* quoq; *Maximi* dignitate auctos esse, prout contendunt primæ opinionis auctores; unicum quippe Tiberii exemplum ad eam destruendam sufficere posse docet. Id itaque tantum de majori Principum numero defendit, initio facto a Tito usque ad Balbinum & Pupienum, hoc etiam

(d) Ibid. nu. 16.
(e) Loco citat.
(f) De Præstant. Num. Tom. II. pag. 84.
(g) Diss. Hyp. Part. I. cap. 1. nu. VI.

addito, quod hac ipſa dignitate minime quidem pleno jure uſi ſint, ſed juxta voluntatem ejus, cui unum aut plures in imperii conſortium adſciſcere conlegas placuerit. Hujuſmodi porro ſyſtemate explicari omnes difficultates ei videntur. Ita vir eruditiſſimus atque Cl. ex eruditiſſimo Clariſſimoque Buherio.

Non nemini tamen hæc ſententia cum ea convenire videri poteſt, quæ vult Imperatores omnes eo ipſo, quod ad imperium acciti erant, evaſiſſe *Pontifices Maximos*. Nam Tiberius, in quo ſolo eſt differentia, vivo Auguſto non fuit ejuſdem in urbe, ubi *Pontificatus Max.* fulgebat, ſed in provinciis tantum imperii
(a) In Tib. c. 21. particeps, *Lege*, ut inquit Suetonius (*a*), *per Conſules lata, ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret*; & ex Vel-
(b) Lib. II. c. 121. lejo (*b*), *Senatus Populuſque Romanus, poſtulante Patre ejus, ut æquum ei jus in omnibus Provinciis exercitibuſque eſſet, quam erat ipſi, decreto complexus* eſt. Neque ulterius aucta Tiberio poteſtas. At vero Titus, L. Verus, Commodus, Caracalla & Geta facti creduntur imperii participes etiam in urbe; unde prænomen *Imperatoris* & cognomen *Auguſti* in ipſa urbe tulerunt, quod Tiberio, vivo Auguſto, non contigit.

Præterea, quamvis *Pontificis* nomen, loco *Pontificis Maximi* aliquando poſitum reperiatur, id quidem factum conſtat a Scriptoribus, non tamen factum & in nummis certi ſumus. Quin, quum obſervetur, eos, qui procul dubio *Pontifices Max.* fuere, in nummis *Pontifices* tantum inſcribi non ſolere, remanet dubitandi locus, utrum ſolum *Pontificis* nomen, quod in nummis eorum occurrit, quos fuiſſe *Pontifices Maximos*, certi non ſumus, pro *Pontificis Maximi* nomine ſumi queat. Unus tamen, ut verum fatear, occurrit Domitiani jam *Pontificis Maximi*
(c) Muſ. Theup. pag. 153. nummus, in quo legitur (*c*): IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. PONT.)(P. P. COS. VII. DES. VIII.

Demum, etiamſi locus Dionis, ubi agitur de *Pontificatu Maximo* Imperatorum, non ita reddatur, prout redditur a Tillemontio, ſed preſſius verba hiſtorici, cum Xylandro & Leunclavio Interpretibus reddantur: *unus eorum, ſiquidem duo vel tres ſimul Imperatores ſunt, ſummum Pontificatum gerit*; in primis hæc interpretatio illi Tillemontii æquivalere videri poteſt; ſecundo, ſi non æquivalet, id ſane elici inde poteſt, Dionem, qui imperante Sev. Alexandro floruit, unum *Pontificem Maximum*, ſiquidem duo aut tres ſimul fuerint Imperatores, ad ſua uſque tempora notaſſe. Hæc laudatos viros perſpicaciſ-

ſimos

ſimos minime latuiſſe credimus; hinc ſubditur fieri potuiſſe, ut Principibus in ſocietatem imperii adſcitis titulus tantum *Pontificis* tribueretur, quum, etſi forent *Pontifices Maximi*, tales eſſent honoris ſolummodo cauſſa, ac præcipua dignitatis munerisque auctoritas penes eum reſideret, qui eoſdem ad imperium acciverat.

IV. Ut autem & nos noſtram, quæcumque illa ſit, proferamus opinionem, veroſimile credimus, Principes eodem modo, quo in ſocietatem imperii acciti ſunt, participes quoque *Pontificatus Maximi* factos fuiſſe. Admiſſos itaq; dicimus hujuſmodi conſortes imperii ad obeunda etiam *Pontificatus Maximi* munera, demandatamque eis nonnullarum aut etiam plurimarum, quæ ad ipſius *Pontificatus* officium pertinebant, rerum curam, indeq; *Pontificum* quoq; *Maximorum* titulo quandoq; aut etiam ſæpe decoratos fuiſſe; ita tamen ut ipſius *Pontificatus* apex ac præcipua officii poteſtas penes eum maneret, qui & imperium eis communicaverat. Hujuſmodi fuere Titus, Commodus, Caracalla & Geta, ut de illis loquamur, qui Balbinum & Pupienum præceſſerunt: ii quippe, ut alibi (*a*) probare conati ſumus, minime adſciti ſunt in imperium cum omni poteſtate, ſed cum diminutione aliqua, ſaltem quantum ad uſum majeſtatis imperatoriæ, facti ſunt ſocii. Hæc autem diminutio tangebat etiam *Pontificatum Max.*, adeo ut participes hujuſmodi majeſtatis imperatoriæ ipſum quoq; Pontificatum cum diminutione aliqua honoris ac poteſtatis participarent. Supereminebant itaque imperii conſortes ceteros Pontifices, participabatque eorum Pontificatus *Pontificatum Maximum*; at minime æquabat. Hinc hujuſmodi Principes modo *Pontifices* tantum, quandoque vero *Pontifices Maximi* ſunt vocati; cujus rei teſtes ſunt nummi & inſcriptiones. Inde etiam intelligitur, cur Dio ad ſua uſque tempora, ſiquidem duo aut tres ſimul fuerint Imperatores, unum tamen exſtitiſſe *Pontificem Maximum* tradat: quippe *Pontificatum Maximum* abſque diminutione aliqua ſummi honoris ſummæq; poteſtatis reſpexit hiſtoricus. Satis etiam hoc modo indicare videtur, nec ipſum L. Verum fuiſſe ex integro *Pontificem Maximum*. Hinc multiplex *Pontificatus Maximus* idemque perfectus, nonniſi ad Balbinum atque Pupienum tuto, ſi quid ego judico, refertur. Hi enim decretis non ſolum (*b*) *omnibus imperatoriis honoribus atque inſignibus, percepta Tribunicia Poteſtate, jure Proconſulari*, verum

Eodem modo, quo quis imperii, ita & Pontificatus Maximi conſors fiebat.

(a) In Animadv. de Imperat. num. XXV. & ſeq.

(b) Capitol. in Vit. cap. 8.

etiam *Pontificatu Maximo*, *Patris etiam Patriæ nomine meruerunt imperium*; quod nummis conſtanter certoque firmatur. Primum hoc exemplum, quo ſicut imperium, ita *Pontificatus Maximus* duobus ex æquo decretus ac traditus eſt, propius ſecuti videntur ſequentes Imperatores, quum ſocios ſibi adſciſcerent imperii: quippe ſequiores hujuſmodi ſocii magis conſtanter, quam ſuperiores inveniuntur dicti in nummis & inſcriptionibus *Pontifices Maximi*. Adhuc tamen factum id cum diminutione aliqua honoris muneriſque Pontificii crediderim, quemadmodum de imperii quoque conſortio jam tradidi (*a*). Quis enim credat, Imperatorem Philippum, *ſumpto* (*b*) *in conſortium Philippo filio*, imperium aut *Pontificatum Maximum* tum ei, ſeptem aut octo annorum puero (*c*), credere ex integro voluiſſe aut potuiſſe? Occurrit porro ipſe Philippus filius iiſdem imperatoriis honoribus atq; nominibus, tum etiam *Pontificatus Maximi*, quibus Pater decorabatur, inſignitus in hac apud Sponium (*d*) inſcriptione

(a) Animadv. de Imp. num. XXV. & XXVI.
(b) Vict. de Cæſ.
(c) Confer. Vict. epitom.
(d) Pag. 244. Sect. 7. Miſcell.

IMP. CAESAR. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FELIX. AVG
PONTIF. MAX. TRIB. POT. IIII. COS. III. DES. P. P. PROC. ET
IMP. CAES. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FELIX. AVG
PONT. MAX. TR. POT. IIII. COS. II. DESIGNAT. P. P
IIS. QVI. MILITANTES. &C.

Qua inſcriptione ſtabiliuntur ipſi Philippo juniori ea numiſmata, in quorum parte poſtica legitur (*e*) P. M. TR. P. IIII. COS. P. P., vel PONTIFEX. MAX. TR. P. IIII. COS. II. Hunc nummum ex ære maximo deſcribit e Cimelio Mediceo Harduinus (*f*), ſed ſuſpectus ab eo dicitur viris eruditis: *tituli certe* PONTIFICIS MAXIMI *ceteriq;* inquit eruditiſſimus ipſe Harduinus, *ad Philippum filium non pertinent*: *nec capite nudo*, cujuſmodi eſt in hoc nummo illud Philippi, *pingi Auguſtum hoc ævo mos fuit, ſi ſolus aream nummi occuparet.* Hinc deſcribit (*g*) alium ejuſdem Philippi, nudo pariter capite, nummum inſcriptum PONTIFEX MAX. TR. P. V. COS. III. ex ære maximo ſimilem ei, *quem ad annum ſuperiorem diximus*, inquit, *eſſe valde ac merito ſuſpectum falſitatis*. Vir namque Cl. ante Balbinum & Pupienum plures ſimul *Pontifices Maximos* non admiſerat. Tempore autem Balbini & Pupieni ne dum eoſdem, ſed & Gordianum Africanum Patrem, & etiam Maximinum *Pontifices Maximos* ſimul omnes

(e) Apud Mediob. pag. 350.
(f) Hiſt. Auguſt. ad an. U.C. 1000. pag. 834. col. 2.
(g) Anno U.C. 1001. pag. 836. col. 2.

nes facit, ita ut illis Senatus, quemadmodum imperium, ſic etiam *Pontificatum Maximum* in diverſis regionibus partitus ſit: quod tamen eſt contra hiſtoricorum fidem. Trebonianum Gallum & Voluſianum creatos ſimul *Pontifices Maximos* adſerit (*a*), negatque Voluſianum eſſe Treboniani filium, contra quod habent uterque Victor & Eutropius (*b*): ſi enim Voluſianum filium fuiſſe Treboniani conceſſiſſet, nummos ejuſdem Voluſiani cum titulo (*c*) *Pontificis Maximi* ſibi obſtare videbat; quippe qui nullum filium cum Patre *Pontificem Max.* admittit. Hinc omittit duos illos apud Mediobarbum (*d*) nummos, in quorum altero legitur: IMP. CAES. C. VIB. VOLVSIANO AVG.) (PONTIF. COS. PRINC. IVVENT.; in altero IMP. C. C. VIB. VOLVSIANVS AVG.) (PONTIF. TR. P. COS.; ne, ut opinor, cogeretur ſolum *Pontificem* dicere Voluſianum, quem jam imperii initio *Pontificem Maximum* fecerat. Nos vero ex duobus hiſce nummis in ea firmamur opinione, qua credimus, eos, qui in conſortionem imperii adſciſcebantur, non abſque diminutione aliqua majeſtatis Imperatoriæ ac Pontificiæ conſortes adſumptos fuiſſe; hinc factum, ut modo *Pontifex Max.*, modo ſolum *Pontifex* Voluſianus inſcriberetur. Gallienum quoque, quem Valeriani filium Rom. hiſtoriæ Scriptores exhibent omneſque credunt, fratrem ejus patruelem facit (*e*) Harduinus; quippe eumdem initio imperii tum aliis auguſtæ majeſtatis titulis, tum illo *Pontificis Maximi* decoratum obſervat. *Gallienum,* (*f*) *quum adoleſcens factus eſſet Auguſtus*, obſequentem potius patri Valeriano etiam in iis, quæ erant *Pontificatus Maximi*, quam cum eo imperantem aut exercentem Pontificatum Maximum nos credimus. At vero Diocletianus, quia *Maximianum* (*g*) *Herculium ex Cæſare fecit Auguſtum*, ita ut partem ei magnam Reip. adminiſtrandam commiſerit, magna etiam ex parte *Pontificatum Maximum* ei communicaſſe videtur. *His* (*h*) vero *abeuntibus ab adminiſtratione Reip. Conſtantius & Galerius Auguſti creati ſunt, diviſuſque inter eos Romanus orbis*: ac propterea *Pontificatum Maximum* uterque apud eas gentes, quæ ſibi contigerant, obtinuiſſe credi poteſt. De Conſtantino autem & reliquis Chriſtianis Imperatoribus alia eſt quæſtio, utrum ſc. titulum *Pontificis Max.* admiſerint necne, qua de re inferius. Quod ſi admiſerunt, ſociiſq; imperii communicarunt; id ita factum credimus, ut ejus tituli apex apud principalem Auguſtum eſſet.

(a) Ad ann. U. C. 1004.
(b) In Brev. Lib. IX. cap. 5.
(c) Apud Mediob. pag. 362., ipſum Harduin. & Auct.
(d) Pag. 362. ad an. U. C. 1005.
(e) Ad an. U. C. 1006. p. 844. col. 2.
(f) Eutrop. Lib. IX Brev. c. 8.
(g) Id. eod. Lib. c. 22.
(h) Id. in princ. Lib. X.

Utque

Utque rem hanc suis concludam terminis, mea fert opinio, eo modo de *Pontificatu Maximo* sentiendum esse, quo de imperio statuitur. Quia vero ita nos de imperio credimus, ut a nullis imperii sociis, pari honoris ac potestatis gradu cum iis, a quibus facti sunt socii, administratum illud fuisse sentiamus; etiam *Pontificatum Maximum* a nullo socio, præter Balbinum & Pupienum, absq; ulla honoris ac potestatis diminutione receptum exercitumq; opinamur: hanc autem diminutionem juxta imperii diminutionem metimur.

Munia Pontificatus Max. Imperatores ipsi exercuerunt, aut per Vicarium explevere.

V. Neque vero nomen tantum *Pontificis Maximi* gestarunt Imperatores, sed etiam munia exercuerunt. Augustus itaque, qui auctor imperii successoribus simul & *Pontificatus Maximi* exstitit, quum *peregrinarum cæremoniarum veteres ac receptas reverentissime coluisse* (a) dicatur, multo magis patriis adhæsisse, adeoq; ipsius *Pontificatus Maximi* munia obiisse credi potest. Sane *Sacerdotum* (b) *& numerum & dignitatem, sed & commoda auxit, præcipue Vestalium Virginum*; nonnulla etiam ex antiquis cæremoniis paullatim abolita restituit. Tiberius autem, etsi *circa* (c) *Deos ac religiones negligentior*, illam de jure Flaminis Dialis sententiam, de qua Tacitus (d), tamquam *Pontifex Maximus* pronuntiavit. Claudius vero non solum quædam circa cæremonias correxit, aut exoleta revocavit, aut etiam nova instituit; verum *in* (e) *cooptandis per conlegia Sacerdotibus neminem nisi juratus nominavit*; observavitque sedulo, ut quoties terra in orbe movisset, ferias advocata concione Prætor indiceret, utq; ob dira aut in urbe aut in Capitolio visa obsecratio haberetur; *eamque ipse jure Maximi Pontificis, commonito pro rostris populo, præiret*. Teste autem Tacito (f), apud civitatem cuncta interpretantem funesti ominis loco acceptum est, *quod Maximum Pontificatum adeptus Vitellius* de cæremoniis publicis XV. Kal. Aug. edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensiq; cladibus. Titus Vespasiani filius *Pontificatum* (g) *Maximum* ideo se professus est accipere, ut puras servaret manus; fidemq; præstitit: nec auctor posthac cujusquam necis nec conscius, quamvis interdum ulciscendi caussa non deesset, periturum se potius, quam perditurum adjurans. Domitianus vero imperium ac *Pontificatum Maximum* adeptus, *incesta* (h) *Vestalium Virginum, a patre suo quoque & fratre neglecta varie ac severe coercuit, priora capitali supplicio, posteriora more veteri*. Nam cum Ocellatis sororibus, item

(a) Suet. in Vita cap. 93.
(b) Id. cap. 31.
(c) Idem in Tib. cap. 69.
(d) Lib. III. Ann. cap. 59. & 71.
(e) Suet. in Vita cap. 22.
(f) Lib. II. Hist. cap. 91.
(g) Suet. in Vita cap. 9.
(h) Idem in Vita Dom. cap. 8.

Varonillæ

Varonillæ liberum mortis permiſiſſet arbitrium, corruptoreſque earum relegaſſet, mox Corneliam *Virginem Maximam* abſolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam, defodi imperavit, ſtupratoreſque virgis in comitio ad necem cædi. Quod tamen *Pontificis Maximi jure, ſeu potius immanitate Tyranni, licentia Domini* factum ſcribit Plinius (*a*): qui & de Corneliæ ipſius crimine dubitat; & alibi aliaque de cauſſa (*b*) ad Trajanum ita ſcribit, *quia ſciebam, in urbe noſtra ex ejuſmodi cauſſis Conlegium Pontificum adiri ſolere, te, Domine, Maximum Pontificem conſulendum putavi, quid obſervare me velis*. Hadrianus autem, ut teſtis eſt Spartianus in vita (*c*), *Sacra Romana diligentiſſime curavit, peregrina contempſit, Pontificis Maximi officium peregit*. Quem locum conſiderans eruditiſs. Cauſabonus notat (*d*), priores Imperatores titulo *Pontificis Maximi* contentos, rem neglexiſſe; interdum tamen officio P. M. functos ſubdit, adducto Domitiani & Alexandri exemplo. Sed munia etiam, & frequentius quidem, quam exiſtimaſſe videtur Cauſabonus, peregiſſe Imperatores ex antiquis Auctoribus ſat conſtare etiamnum poſſe, poſtremo docet Inluſtriſs. Spanhemius (*e*). Sane ex antiquis Auctoribus, quos jam adduximus, quoſve adducturi ſumus, aut adducere poſſemus, conſtat, munia quædam, quæ erant *Pontificis Maximi*, Imperatores obiiſſe; non tamen conſtat officium *Pontificis Maximi* ex integro illos peregiſſe, ut de Hadriano tradere videtur Spartianus: nam per *Vicarium* ſæpe muneri ſuo ſatisfeciſſe Imperatores, hæc, quæ de Antonino Pio ſubdit Capitolinus (*f*), indicant: *nec ullum*, ait, *ſacrificium per* VICARIUM *fecit, niſi quum æger fuit*. Porro, quum majoribus adſiduiſque imperii curis diſtinerentur Imperatores, utriq; muneri ſatisfacere non poterant, aut nolebant; ſæpe etiam extra urbem in Provinciis aut caſtris degebant, adeoq; Vicarium *Pontificis Maximi* munus, quod ceſſare fas non putabant, alicui demandatum eſſe oportebat. Occurrunt in Inſcriptionibus nonnulli, qui *vice ſacra* Imperatorum judicia publica exercuerunt, ea nempe, quæ ad ipſos Imperatores, jure etiam, ut credi poteſt, *Pontificatus Maximi* pertinebant. Vidimus vero, jam tum a principio Numam, quia in civitate bellicoſa plures Romuli, quam ſui ſimiles Reges putabat fore, ituroſque ipſos ad bella, ne ſacra regiæ vicis desererentur, Flaminem Jovi adſiduum Sacerdotem creaſſe. Antoninus autem Pius comparatur a Capitolino (*g*) *Numæ, utpote cujus felicitatem,*

Imperatorum in Pontificatu Max. Vicarii.

(a) Epiſt. 11. Lib. IIII.
(b) Ep. 72. Lib. X.
(c) Cap. 22.
(d) Ad hunc loc.
(e) Diſs. XII. p. 422.
(f) In Vita. c. 11.
(g) In calce Vitæ.

tem pietatemque & securitatem, cæremoniasq; semper obtinuit. Et, quamvis nullas expeditiones obierit, ad agros tamen suos profectum esse & ad Campaniam, tradit ipse Capitolinus; ac tum saltem *Pontificis Maximi* vices alicui demandasse credi potest. Commodus vero, *& habitu (a) victimarii victimas immolavit; & sacra (b) Isidis coluit, ut & caput raderet, & Anubin portaret*; at *sacra Mithriaca homicidio vero polluit*, quum illic aliquid ad speciem timoris vel dici, vel fingi soleret. De Pertinace autem rursum Capitolinus (c), *eadem die*, inquit, qua confossus est, *immolante Pertinace negatur in hostia cor repertum*; &, quum id vellet procurare, caput exstorum non deprehendit. Quo interfecto, quum imperium a Prætorianis pecunia comparasset Julianus, Populus (d) in rostris atque ante Curiam ingentibus eum conviciis lacessebat, sperans deponi ab eo posse imperium, quod milites dederant: lapidationem quoque fecere; descendenti cum militibus & Senatu in Curiam diris imprecati sunt; *rem divinam facienti, ne litaret, optarunt.* Visas etiam derepente circa solem fuisse tres stellas, *quum ante Curiam* Julianus *sacra faceret*, testis oculatus Dio (e) narrat. Elagabalus autem *sacra (f) populi Romani sublatis penetralibus profanavit*: nec Romanas tantum extinguere voluit religiones, sed per orbem terræ unum studens, ut Elagabalus Deus unus ubique coleretur; & in penum Vestæ, quod solæ Virgines, solique Pontifices adibant, irrupit pollutus ipse omni contagione morum cum iis, qui se polluerant. Et penetrale sacrum est auferre conatus; signum etiam, quod Palladium esse credebat, abstulit, & auro fictum in sui Dei templo locavit. Matris (g) etiam Deûm sacra accepit, & tauroboliatus est, ut typum eriperet, & alia sacra, quæ penitus habebantur condita. Omnes sane Deos sui Dei ministros esse ajebat; quum alios ejus cubicularios appellaret, alios servos, alios diversarum rerum ministros. Cædit (h) & humanas hostias, lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam patrimis & matrimis. Omne denique magorum genus aderat illi, *operabaturq; quotidie*, hortante illo, & gratias Diis agente, quod amicos eorum invenisset, quum inspiceret exsta puerilia, & excuteret hostias ad ritum gentilem suum. Præterea Aquiliam Severam duxit uxorem aperte contra jus fasque, eam enim stupro polluit impiissimo, quum esset Virgo Vestalis, *idque se fecisse ausus est dicere, ut ex ipso Pontifice Maximo, & ea Vestalium Maxima liberi*

divini

(a) Lampr. in Vita c. 5.
(b) Id. cap. 9.
(c) In Vita c. 11.
(d) Spart. in Vita cap. 4.
(e) Apud Xiphil. Libro LXXIII. pag. 837. C.
(f) Lamprid. in Vita cap. 6.
(g) Cap. 7.
(h) Cap. 8.

divini nascerentur (*a*). Ἐτόλμησε δὲ καὶ εἰπεῖν ὅτι, ἵνα δὴ καὶ θεοπρεπεῖς παῖδες ἔκ τε ἐμοῦ τοῦ Ἀρχιερέως, ἔκ τε ταύτης τῆς Ἀρχιερείας γεννῶνται, τοῦτ' ἐποίησα. Hæc, & similia gessit in suo *Pontificatu Maximo* Elagabalus; at eodem interfecto, quum ad Alexandrum imperium ac *Pontificatus Maximus* pervenisset, primo (*b*) Deorum simulacra, quæ Elagabalus propriis sedibus extulerat, suis quæque templis, delubris, fanisque restituta sunt, cultusque iis redditus. Ipse autem Alexander dicitur (*c*) *accepisse prætextam, quum sacra faceret, sed loco Pontificis Maximi, non Imperatoris.*

(a) Dio Caff. Lib. LXXIX. pag. 84. postr. ed. Roman. veteris vero pag. 911. D.

(b) Herod. Libro VI. cap. 1.

(c) Apud Lampr. in Vita c. 40.

VI. Illud autem incompertum mihi, utrum Pontificia Imperatorum potestas urbe contineretur, an vero ad omnes imperii Provincias pertingeret. Occurrunt quidem extremis temporibus duo Imperatores, qui jure Pontificio eoque Maximo in subditas Provincias usi sunt: at novo id more factum suspicor. Certe Maximinus Daza, qui primus occurrit, dicitur a Lactantio (*d*), *novo more Sacerdotes Maximos per singulas civitates, singulos ex primoribus fecisse; qui & sacrificia per omnes Deos suos quotidie facerent, & veterum sacerdotum ministerio subnixi darent operam,* [*ut*] *Christiani neque fabricarent, neque publice, aut privatim colerent, sed comprehensos suo jure ad sacrificia cogerent, vel Judicibus offerrent. Parumque hoc fuit*, subdit Lactantius, *nisi etiam Provinciis ex altiore dignitatis gradu singulos quasi Pontifices superponeret, & eos utrosq; candidis chlamydibus ornatos jussit incedere.* Eusebius quoq; scribit (*e*), Maximinum templa Deorum in singulis civitatibus erigi, & delubra temporis longinquitate vastata renovari præcepisse, idolorumque in omni loco & civitate constituisse sacerdotes, & his in singulis Provinciis Pontificem unum, qui in omni munere egregie obeundo, & luculenter ceteris in Repub. viris præstare videretur, cohorte & satellitio stipatum præfecisse. Suspicari porro licet, Maximinum primum fuisse, qui Pontificiam auctoritatem ad omnes Provincias extenderet. Neque vero id a Maximini ingenio abhorret: Nam *& hoc primus invenerat*, teste eodem Lactantio (*f*), *ut animalia omnia, quibus vescebatur, non a coquis, sed a Sacerdotibus ad aras immolarentur, nihilq; prorsus mensæ adponeretur, nisi aut delibatum, aut sacrificatum, aut perfusum mero, ut quisquis ad cœnam vocatus esset, inquinatus atq; impurus exiret.* Exemplum autem Maximini simul & impietatem secutus Julianus apostata, ita ad Theodorum *Pontificem* Ἀρχιερέα Asiæ scribit (*g*). Τί ποτ' οὖν ἐστιν, ὃ φημί σοι νῦν ἐπιτρέπειν;

Utrum Pontificia Imperatorum potestas ad omnes imperii Provincias pertingeret.

(d) De Mort. Perf. cap. 36.

(e) Libro VIII. Hist. Eccl. cap. 14. alias 27.

(f) Cap. 37. ejusd. Lib.

(g) Epist. LXIII. pag. 452.

ἀρχεῖν τῶν περὶ τὴν Ἀσίαν ἱερῶν ἁπάντων, ἀρχώμενος τῆς χώρας καὶ τῶν πολέων ἱερέων καὶ ἀπονέμων τι τὸ πρέπον ἑκάστῳ. Quid ergo illud est, quod dico, me velle nunc tibi committere? ut omnibus Asiæ sacris præsis, regionis ac urbium Sacerdotibus imperes, ac injugas unicuique id, quod ei convenit. Quod si aliquod aliud hujus generis exemplum in superioribus Imperatoribus occurreret, dicere possemus ad omnes imperii Provincias se extendisse Romani Pontificis auctoritatem: nisi potius hæc ipsa, non quidem *Pontificis Maximi* auctoritate, sed Imperatoris arbitrio Maximinum & Julianum fecisse, quis credat.

Utrum Christiani Imperat. a Constantino Magno ad Gratianum Pontificis Max. titulum admiserint.

VII. Occurrit nunc ea quæstio, inter eruditos agitata, utrum Imperatores a Constantino Magno ad Gratianum usq; *Pontificis Maximi* titulum admiserint; an vero rejecerint. Rejecisse primum sensit Baronius (*a*), postea admisisse scripsit (*b*); quam postremam opinionem amplexi sunt etiam viri Cl. Bandurius (*c*), Van Dale (*d*), & Gravina (*e*), quin & Spanhemius (*f*) in eam inclinare videtur. Priorem vero Baronii opinionem pluribus propugnat Jacobus Gothofredus in Epistola *de interdicta Christianorum cum Gentilibus communione* ad Andream Rivetum scripta, teste Pagio, qui Gothofredi vestigiis insistens (*g*) constare sentit Imperatores Christianos *Pontificis Maximi* titulum non retinuisse. Plura argumenta Baronius & alii congerunt, ut probent Imperatores *Pontificis Maximi* titulum retinere potuisse, variasque hujus facti caussas edisserunt; quæ tamen omnia heic a me prætereunda, utpote qui Antiquarium hac in re agam, non Theologum. Jus itaque, &, quæ huc spectant, Theologis discutienda relinquens, quæstionem facti instituam, monumenta vero utriusque opinionis adducam, & expendam, ac demum, quo meus inclinat animus, indicabo. Ut autem ab iis monumentis incipiam, quæ probare videntur, Imperatores Christianos *Pontificis Maximi* titulum admisisse; occurrunt primo ipsius Constantini Magni numismata, quæ, quum in parte antica inscribantur (*h*) CONSTANTINVS P. F. AVG., in postica hanc præseferunt epigraphen P. M. TRIB. P. COS. IIII. P. P. PROCOS. i. e. *Pontifex Maximus, Tribunicia Potestate, Consul quartum, Pater Patriæ, Proconsul*: in alio hinc legitur (*i*) IMP. CONSTANTINVS MAX. AVG. inde P. M. TRIB. P. COS. VI. P. P. PROCOS. Consulatum quartum gessit Constantinus cum Licinio anno V. C. MLXVIII. Christi

CCCXV.

(a) In not, ad Martyr, Rom, ad diem XXII. Aug.
(b) In Annal. ad an. Chr. CCCXII. num, 12.
(c) In not, ad nu. infer. Imp. Tom. II. pag. 247, & alibi.
(d) Diss, II. Antiq. cap. I.
(e) De Imp. Rom. num. VII,
(f) Diss. XII. de Pr. & Us. num. Ant.
(g) Vid, ad ann. Christi 312. num. XVI, & seqq.
(h) Apud Bandur. Tom, II. nu. Imp. pag. 246, 248.
(i) Apud eumd. ibid. p, 246, 247.

cccxv., ſextum vero cum Conſtantino filio, anno U. C. mlxxiii., Chriſti cccxx. quo tempore invehendo, promovendoque Chriſtianiſmo, & extenuandæ tollendæque Gentilium ſuperſtitioni totus incumbebat. Quin & ſeptennio poſt dedicata ei legitur hæc inſcriptio *(a)*:

(a) Apud Grut. p. CCLXXXIII. num. 3.

D. N. IMP. CAESARI
FL. CONSTANTINO MAXIM
PI. F. VICTORI. AVG
PON. MAX. TR. P. XXIII
IMP. XXII. CONS. VII.
PP. PROCONS
HVMANARVM . RERVM
OPTIMO . PRINCIPI
DIVI . CONSTANTI . FILIO
BONO R P. NATO

Neque vero de ea dubitare nos ſinit alia conſimilis, quæ pariter habetur apud Gruterum pag. clix. 6., & refertur etiam a Cl. Urſato fol. 322. Eſt etiam inſcriptio Valentiniani, Valentis, & Gratiani; quæ ſimul eoſdem facit *Pontifices Maximos*, eſtque hujuſmodi *(b)*:

(b) Apud ipſum Grut. pag. CLX. num. 4. licet alia linearum forma.

DOMINI NOSTRI IMPERATORES CAESARES
FL. VALENTINIANVS . PIVS . FELIX . MAXIMVS . VICTOR . AC . TRIVMF.
SEMPER . AVG. PONTIF. MAXIMVS
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX.
TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P. ET
FL. VALENS . PIVS . FELIX . MAX . VICTOR . AC . TRIVMF.
SEMPER . AVG. PONTIF. MAXIMVS
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX.
TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P. ET
FL. GRATIANVS . PIVS . FELIX . MAX. VICTOR . AC . TRIVMF.
SEMPER . AVG. PONTIF. MAXIMVS
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX.
TRIB. POT. III. IMP. II. CONS. PRIMVM. P. P. P.
PONTEM . FELICIS. NOMINIS. GRATIANI. IN. VSVM. SENATVS.
AC. POPVLI. ROM. CONSTITVI. DEDICARIQVE. IVSSERVNT

Cui inſcriptioni unam adhuc & alteram addunt Gratiani, quarum prima ita habet *(c)*:

(c) Apud eumd. Grut. pag. CLIX. num. 7.

IMP. CAES. GRATIANVS
PIVS . FELIX . MAX. VICT
AC . TRIVMPH. SEMPER . AVG
PONT. MAX. GERM. MAX
ALAMANVS . MAX. FRANC
MAX. GOTH. M. TR. P. III
IMP. II. COS. PRIM. P. P. P
RESTITVIT
C. XI

Secunda vero ita legitur (*a*):

FL. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS. VICTOR. AC. TRIVMPH. SEMPER. AVG. PONT. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMAN. MAX. FRANC. MAX. GOTHICVS. MAX. TRIB. POT. VI. IMP II. COS. PRIMVM. P. P. P.

Nummis & inſcriptionibus adjunguntur Hiſtorici, in primis Euſebius (*b*), ubi nempe Galerii Maximiani Imperatoris edictum de Chriſtianorum perſecutione tollenda, illudque ſub trium tum in orbe Auguſtorum, ipſius Maximiani, Conſtantini, ac Licinii nominibus refert, pro edictorum id genus & Conſtitutionum, quæ ab uno ex iis ferebantur, more, & quo major inde iis auctoritas accederet, inquit Spanhemius (*c*). In eo enim videas illum *Pontificis Maximi* titulum aperte non Galerio ſolum ac Licinio, ſed ipſi etiam Conſtantino tribui, quippe dicitur Σέβαςος Α᾽ρχιερεὺς Μέγιςος, *Auguſtus Pontifex Maximus* &c. Auſonius quoque in gratiarum actione (*d*) pro Conſulatu, quo tribus annis ante Gratiani necem ab ipſo honoratus fuit, ita loquitur. *Unus in ore omnium Gratianus, poteſtate Imperator, virtute Victor, Auguſtus ſanctitate, Pontifex religione, indulgentia pater, ætate filius, pietate utrumque ſuperat.* Poſtea: *Comitia Conſulatus mei armatus exerces. -- An, (ut quondam) Pontificalia vocabuntur ſine arbitrio multitudinis, ſacerdotum tractata Conlegio? ſic potius, ſic vocentur, quæ tu* PONTIFEX MAXIMUS *Deo participatus habuiſti.* Demum Zoſimus ſcribit, Gratianum oblatam ſibi a ſacerdotibus Gentilium de more ſtolam Pontificalem averſatum eſſe, eamque remiſiſſe, quam

(a) Ibidem pag. MLXXXII. num. 13.

(b) Hiſt. Eccleſ. Lib. VIII. cap. 17. alias 29.

(c) Diſs. XII. p. 415.

(d) Apud Anton. Van Dale p. 187.

quam tamen Constantinus, & qui post illum ordine secuti sunt, acceperant. Hæc ejus verba sunt (a). Ἅμα γὰρ τῷ παραλαβεῖν ἕκαστον τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν, ἡ ἱερατικὴ στολὴ παρὰ τῶν Ποντιφίκων αὐτῷ προσεφέρετο· καὶ παραχρῆμα Ποντίφεξ Μάξιμος ἀνεγράφετο, ὅπερ ἐστὶν Ἀρχιερεὺς Μέγιστος. οἱ μὲν οὖν ἄλλοι πάντες Αὐτοκράτορες ἀσμενέστατα φαίνονται δεξάμενοι τὴν τιμὴν, καὶ τῇ ἐπιγραφῇ χρησάμενοι ταύτῃ, καὶ δὲ καὶ Κωνσταντῖνος. ἐπειδὴ εἰς αὐτὸν ἦλθεν ἡ βασιλεία καὶ ταῦτα τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ τῆς περὶ τὰ θεῖα τραπεὶς καὶ τὴν Χριστιανῶν ἑλόμενος πίστιν· καὶ μετ' ἐκεῖνον ἑξῆς οἱ ἄλλοι καὶ Οὐαλεντινιανός τε καὶ Οὐάλης. τῶν οὖν Ποντιφίκων, κατὰ τὸ συνήθες προσαγαγόντων Γρατιανῷ τὴν στολὴν, ἀπεσείσατο τὴν αἴτησιν ἀθέμιτον εἶναι Χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας· τοῖς τε ἱερεῦσιν τῆς στολῆς ἀναδοθείσης, φασὶ τὸν πρῶτον ἐν αὐτοῖς τεταγμένον εἰπεῖν, εἰ μὴ βούλεται Ποντίφεξ ὁ Βασιλεὺς ὀνομάζεσθαι, τάχιστα γενήσεται Ποντίφεξ Μάξιμος. Quæ Zosimi græca verba latine ita reddi possunt. *Simul atque summum imperium quisque consequebatur, amictus ei sacerdotalis offerebatur a Pontificibus; & continuo Pontificis Maximi titulus ei tribuebatur. At ceteri quidem Principes universi lubentissimis animis hunc honorem accepisse, & hoc usi titulo videntur, adeoque Constantinus etiam potitus imperio; licet is a recta sacris in rebus via deflexerit,* (Gentilis erat Zosimus, qui ita scribebat), *& fidem Christianorum amplexus sit. Itemque post illum reliqui ordine secuti & Valentinianus, & Valens. Quum igitur Pontifices ex more talem Gratiano amictum detulissent, aversatus est, id quod petebant, ratus non esse fas ejusmodi habitu Christianum uti. Quumque stola Flaminibus reddita fuisset, ajunt eum, qui dignitate Princeps inter eos erat, dixisse: Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodum brevi Pontifex Maximus fiet*, Maximus nempe (b), qui in armis erat contra Gratianum, Augustiq; nomen adsumpserat. Quo dicterio sperasse videntur Gentilium *Pontifices*, *Maximum*, si imperium consequeretur, stolam illam minime recusaturum, seque apud ipsum majori in gratia fore, majoribusq; emolumentis fruituros, majoriq; auctoritate ac libertate gavisuros: quum jam undecumq; Ethnicismus in interitum rueret, illiq; inde Imperatores adulatorie demereri vellent. Quo Zosimi testimonio monumenta reliqua confirmari videntur, quæ indicant Christianos Imperatores a Constantino ad Gratianum *Pontificis Maximi* titulum non recusasse.

(a) Lib. IV. cap. 36

(b) Van Dale pag. 185. Diss. II. de Pont. Max.

VIII. Quamvis autem monumenta hæc tanta ac talia sint, quæ adsensum non modo postulare, sed omnino flagitare videantur, non adhuc tamen cedunt, consentiuntque illis, qui sibi persuaserunt, Imperatores Christianos non potuisse absque

Imperatores Christianos non prætulisse titul. Pont. Max., auctores sunt Gothofredus & Pagius.

absque probro Christianæ ipsiusmet religionis, nec voluisse pro ea, qua in Deum erant pietate, *Pontificis Maximi* titulum gestare. Pagius itaque, quem Gothofredi vestigiis insistere diximus, scribit (*a*), Sozomenum lib. V. cap. 1. satis ostendere *Constantinum Magnum* ad fidem Christianam conversum, & filios *Pontificis Maximi* nomen non usurpasse, quum *de Juliano* Augusteam dignitatem, dum adhuc Constantius viveret, sibi adtribuente scribens, quod se *Pontificem Maximum* dixerit, tanquam rem novam observet. *Quumque*, inquit, *antea Christianus fuisse videretur repente mutata religione, semet ipse Pontificem Maximum appellavit; & Gentilium templa ingrediens, Diis sacrificavit, & subditis suadere cœpit, ut eo ritu Deos colerent.* Addit Julianum ipsum in fragmento quodam primæ partis suorum operum pag. 546. Ἀρχιερέα μέγιςον, id est *Pontificem Maximum*, ut passim etiam in veteribus inscriptionibus vocatur, sese appellare. Hinc (*b*) stylum contra Zosimum convertens, eumque, Gothofredo junctus impetens, ipsius in Gratianum ac reliquos Christianos odium, malam mentem, ac præterea in historicis narrationibus mendacia prodit, adeo ut, postquam ei fidem detraxit, falsam esse concludat ejusdem Zosimi narrationem de Christianis Principibus, qui *Pontificis Maximi* titulum gesserint. Quod vero ad Ausonium spectat, ubi in gratiarum actione pro suo Consulatu videtur appellare *Gratianum Augustum Pontificem Maximum*, id per adlusionem ab eo factum satis inde apparere vult (*c*), quod dicat: *Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgentia Pater, ætate filius, pietate utrumque superat.* Sic inferius, quum agit de sui Consulatus auspiciis, non Gentilium, sed Christianorum more captatis, Deum tantummodo habuisse consultorem ait, adludensque ad pristina sacra atque comitia: *Quæ*, inquit, *tu Pontifex Maximus Deo participatus habuisti*: sicut & inferius, dum ait: *Operto conclavis tui non sanctior ara Vestalis, non Pontificis cubile castius* &c. Postremo scribit (*d*), minime urgere testimonium, quod petitur ex veteribus inscriptionibus, in quibus Imperatorum Christianorum titulis, *Pontificis* quoque *Maximi* titulus additus legitur; neque enim, ut notat etiam Gothofredus, Imperatores ipsi hunc sibi titulum in illis vindicant, verum a Gentilibus tributus ibi exhibetur. De nummis autem nihil dicit, quia nullos esse credidit, adeoq; ex iis ad hujus difficultatis solutionem nihil deduci posse scribit (*e*): quum post Philippum seniorem

(a) Ad ann. Chr. 312. num. XVIII.

(b) Num. XIX. & XX.

(c) Num. XXI.

(d) Num. XXII.

(e) Num. XVIII.

rem

rem Imperatores, nec quidem ipſemet Julianus Apoſtata, *Pontifices Maximi* in iis non nuncupentur, ut antea in uſu erat. Hæc nempe ſcripſit vir doctus, antequam nummi illi, quos retulimus, ederentur in lucem, aut ei occurrerent; in indice enim Mediobarbi, quem præ manibus habebat, minime recenſentur. At quid humani paſſus videtur, quum ſcripſit, poſt Philippum ſeniorem Imperatores *Pontifices Maximos* in nummis non nuncupari; alibi namque animadvertit (*a*), *ubi Balbinus & Pupienus ad imperium evecti ſunt, Pontificis Maximi nomen utrique conceſſum, quemadmodum poſtea Gallo & Voluſiano, tum Valeriano & Gallieno; ac denique Diocletiano & Herculio*, *ut videre eſt*, inquit, *in eorum nummis*. Atq; hæc fere ſunt, quæ Pagius poſt Gothofredum reſpondet. Quibus ſi animadverſiones nos quoque noſtras addimus, ne Lector, quæſumus, gravetur.

(a) Ad ann. Chr. 161. num. VI.

Auctoris opinio de titulo Pontif. Max Christianis Impp. attributo.

IX. Ut vero ordinem, quem in proponendis monumentis jam inſtituimus, in iiſdem etiam expendendis teneamus, primo dicimus, nummos illos, qui Conſtantinum M. *Pontificem Maximum* nobis repræſentant, nequaquam evincere, titulum ipſum *Pontificis Maximi* ab eo admiſſum fuiſſe: nam ſunt etiam alii ejuſdem Imperatoris nummi (*b*), & quidem non pauci, quin & aliqui ipſius filiorum, Conſtantini atque Criſpi, quorum altera pars inſcripta legitur: IOVI CONSERVATORI, & MARTI PATRI CONSERVATORI; quibus certe ſi ea fides haberetur, quæ *Pontificis Maximi* titulo inſcriptis exigitur, a Chriſtiana religione ad Ethniciſmum amandare ipſos Imperatores cogeremur. Quemadmodum itaque cuſos hoſce dicimus a Gentilibus, ita hoc modo illos interpretari facile quis poterit. Pari quoque ratione explicari poterunt eæ inſcriptiones, quæ *Pontificis Max.* titulum Conſtantino, Valentiniano, Valenti, ac Gratiano adtribuunt, ut nempe dicantur a Gentilibus poſitæ, maxime quum videamus in ipſo arcu, quem Conſtantino in Decennalibus imperii Senatus Populuſque Romanus dedicavit Romæ, ſacrificia exhiberi Gentilium more, ibique legi, quod INSTINCTU DIVINITATIS juſtis Remp. ultus ſit armis, phraſi Gentilium propria. Valenti vero, ſimulque *Herculi* conſecratam legimus Inſcriptionem (*c*).

(b) Apud Mediob. & Bandur.

(c) Apud Grut. p. CCLXXXVI. 2. ex Gudio.

Maximiano autem accerrimo Chriſtianorum hoſti ac perſecutori, ubi ſe & Conſtantinum vocat *Pontificem Max.*, quantum ſit deferendum, quiſque mox videt. Quod vero ad Auſonium

ſonium

ſonium pertinet, ſi Gentilis religione is fuit, ut contendunt aliqui, minus ea, quæ dixit, mirari liceret; ſi vero Chriſtianus exſtitit, ut perſuadere poſſent, ſi ejus certo forent, quæ ſub ejuſdem nomine circumferuntur, *Precatio matutina ad Omnipotentem Deum*, & *Verſus Paſchales*, ſuadet vero ipſa, de qua non dubitatur, quod ejus ſit, ad Gratianum Imperatorem, quin & Diſcipulum gratiarum actio pro Conſulatu, cujus verba expendimus, nimium certe in hac luſit, adnuitque ſuperſtitioſis, quæ adhuc vigebant, Gentilium moribus. At, ſi hæc ipſa per adluſionem dicta cum Baronio interpretemur, uti par eſt, ne crimen inferamus Oratori, parum adtendenda erunt.

Examinatur Zoſimus, & arguitur.

Reſtat igitur Zoſimus, quem, quanto magis aliqui faciunt, tanto minus ego æſtimo. Ut autem melius ipſum expendamus, aliquanto altius repetendus eſt, nam & ipſe altius narrationem ſuam ita exorditur (*a*). „ Fuerit pretium operæ „ quiddam memoriæ proditum non omitti, quod a narratione „ [de cæde Gratiani] non ſit alienum. In conlegiis ſacerdo„ tum Romæ Pontifices primas tenebant; quos, ſi vox iſthæc „ Græcam in linguam transferatur, Γεφυραίϛ a pontibus dice„ re liceat. Hanc autem appellationem hujuſmodi quadam ex „ cauſſa nacti ſunt. Quum nec dum homines cultum, qui per „ imagines exhibetur, intelligerent; prima in Theſſalia Deûm „ ſimulacra facta ſunt. Quumque ne ſacraria quidem adhuc „ eſſent, nam & illorum incognitus erat uſus, effigies divi„ nas in Penei fluminis ponte ſtatuebant, indito illis vocabulo, „ qui Deûm præfecti ſacris eſſent, ut a prima ſimulacrorum „ conlocatione Γεφυραῖοι, [quaſi ſi *Pontanos* dicas], nuncuparen„ tur. Hoc a Græcis accepto Romani eos, qui Sacerdotum „ in conlegiis apud ipſos locum principem obtinerent, *Ponti*„ *fices* appellarunt; ſimulque ſanxerunt, ut eorum in numero „ Reges etiam propter dignitatis excellentiam cenſerentur. „ Primus quidem Numa Pompilius hunc honorem adeptus „ eſt; omneſque deinceps, qui Reges appellati ſunt, ac poſt „ illos Octavianus ipſe, quique poſt eum Romano in imperio „ ſucceſſerunt. Simul enim atque ſummum imperium quiſq; „ conſequebatur, amictus ei ſacerdotalis offerebatur a Pontifi„ cibus, & continuo *Pontificis Maximi* titulus ei tribuebatur. „ Ac ceteri quidem univerſi Principes lubentiſſimis animis „ hunc honorem accepiſſe, & hoc uſi titulo videntur, adeoq; „ Conſtantinus etiam potitus imperio; licet is a recta ſacris in

„ rebus

(a) Lib. IIII. c. 36.

„ rebus via deflexerit, & fidem Chriſtianorum amplexus ſit, „ itemque poſt illum reliqui ordine ſecuti, & Valentinianus, „ & Valens. Quum ergo Pontifices ex more talem Gratiano „ amictum adtuliſſent, averſatus eſt id, quod petebant, ratus „ non eſſe fas illiuſmodi habitu Chriſtianum uti. Quumque „ ſtola Flaminibus reddita fuiſſet, ajunt eum, qui dignitate „ Princeps inter eos erat, dixiſſe: *ſi Princeps non vult appellari* „ *Pontifex, admodum brevi Pontifex Maximus fiet.* " Hæc Zoſimus, quæ quantam fidem mereantur, mox judicare Lector poterit. In primis itaque errat Zoſimus, quum *Pontificum* nomen a Græcis Romanos accepiſſe ſcribit; hoc enim nomen nedum a Græcis minime inventum, ſed neque uſurpatum aliquando. At mox prodit errorem ſuum, ubi nomen ipſum *Pontificum* in Græcam linguam transferre conatur, & Γεφυραίυς, *Gephyræos* reddere, quo nomine numquam apud Græcos deſignati ſunt Sacerdotes. Unde Dionyſius Halicarnaſſenſis, qui optime noverat *Pontificum* nomen non a Græcis petitum, ſed apud Romanos ortum eſſe, illud græce exprimere volens, ſeu potius Romanos Pontifices cum Græcis comparare, inquit (*a*): Περὶ ὧν τῶν ἱερέων τῶνδε, εἴτε βȣ́λεταί τις αὐτȣ̀ς ἱεροδιδασκάλους καλεῖν, εἴτε ἱερονόμȣς, εἴτε ἱεροφύλακας, εἴτε, ὡς ἡμεῖς ἀξιȣ̃μεν, ἱεροφάντας, ȣ̓χ ἁμαρτήσεται τȣ̃ ἀληθȣ̃ς. *Id genus ſacerdotes, ſive* ἱεροδιδασκάλȣς *aliquis appellare voluerit, ſive* ἱερονόμȣς, *ſive* ἱεροφύλακας; *ſive, ut nos cenſemus,* ἱεροφάντας, [i. e. *ſacrorum Doctores, adminiſtratores, cuſtodes, interpretes*], *a vero non aberraverit.* Hinc credat, qui velit, eidem Zoſimo, referenti Deum effigies primum in Theſſalia factas, exhibitaſque hominum cultui in Penei fluminis ponte: nam nos aliter credimus, at heic confutare non vacat. *Pontifices, ut Q. Scævola Pontifex Maximus dicebat, a poſſe & facere. Pontifices ego,* ſubdit Varro (*b*), *a Ponte arbitror; nam ab iis Sublicius Pons eſt factus primum & reſtitutus ſæpe, quum ideo ſacra & uls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant.* Quamvis autem verum ſit, quod Zoſimus ſubdit, in Sacerdotum nempe ſeu Pontificum numero Reges etiam cenſendos, ſanxiſſe Romanos, ac primum Numam hujuſmodi honorem adeptum eſſe, omneſque deinceps, qui Reges appellati ſunt; falſum tamen eſt Octavium ſequioreſque Imperatores Numæ in ſacerdotio ſucceſſiſſe, quum ſucceſſerint Marcio Marci filio, quem *Pontificem Maximum* Numa ipſe ex patribus legit, cuique ſacra omnia exſcripta exſignataque adtribuit, ac cetera omnia publica

(a) Lib. II. Ant. Rom. pag. 99.

(b) De LL. Lib. IIII. Dionyſ. Gothofred. notat vocem hanc uls male ſcriptam, & corrigit ultis, ut in l. 2. paragraf. 3. ff. de Orig. jur. At priorem communemq; lect. ea confirmant, quæ habet Gellius Lib. XII. noct. Att. cap. 13.

privataque ſacra ejus ſcitis ſubjecit, uti ex Livio retulimus. *Plurima* quidem *ſacra obibat Numa, ea maxime, quæ poſtea ad Dialem Flaminem pertinuere*, eodem Livio teſte: ſed quia in civitate bellicoſa plures Romuli, quam Numæ ſimiles Reges putabat fore, ituroſque ipſos ad bella, ne ſacra regiæ vicis deſererentur, Flaminem Jovi adſiduum ſacerdotem creavit. Regibus vero exactis, & parta libertate, *quia (a) quædam publica ſacra per ipſos Reges factitata erant; necubi ibi Regum deſiderium eſſet, Regem ſacrificulum creant. Id ſacerdotium* PONTIFICI *ſubjecere, ne additus nomini honos aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret.* At vero Imperatores nemini in ſacris ſuberant, quin reliqui ſacrorum miniſtri ipſis ſubdebantur; neque enim Regem ſacrificulum, aut Dialem Flaminem agebant Imperatores, ſed *Pontificem Maximum*. Reliqua videamus.

(a) Id. Liv. Lib. II. cap. 2.

Scribit itaque Zoſimus, ſimul atque ſummum imperium quiſq; conſequebatur, amictum ei ſacerdotalem a Pontificibus offerri conſueviſſe, moxq; *Pontificem Max.* appellatum eſſe, Gratianum vero hujuſmodi habitum averſatum fuiſſe, quum jam Maximus contra ipſum moviſſet, uti verba indicant alterius e Pontificibus, quibus reddita ſtola eſt: *Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodum brevi Pontifex* MAXIMVS *fiet.* Qua in narratione ſibi contradicit Zoſimus; nam, ut ipſe (*b*) narrat, non ſub initium, ſed ſub finem Principatus Gratiani rebus novis ſtuduit Maximus, imperiumq; arripuit; non itaque ſimul atque imperium conſecutus eſt Gratianus, amictus ei ſacerdotalis de more oblatus eſt. Præfuerat Reipublicæ cum Patre Patruoque Gratianus per decem & amplius annos, imperiumque poſt utriuſque mortem ultra quadriennium adminiſtraverat, quum rebellavit Maximus, a quo etiam paullo poſt interfectus eſt; cur igitur in hoc tempus amictum ei ſacerdotalem offerre diſtulerunt Pontifices, ſi ſtatim atque ſummum imperium quiſque conſequebatur, offerri hujuſmodi habitus conſueverat? Præterea ante defectionem Maximi *Pontificem Maximum* vocarat Gratianum Auſonius in gratiarum actione pro Conſulatu, quem quinquennio ante accepit, geſſitq; anno U. C. MCXXXII. Chriſti CCCLXXIX: multo etiam ante dictus fuerat Gratianus in inſcriptionibus, ut vidimus, *Pontifex Maximus*, & ſimul quidem cum Valentiniano Patre Patruoque Valente, quos *Pontificis* titulum ſtolamq; non recuſaſſe vult Zoſimus. Cum hiſtoria igitur non concordat Zoſimus, quin & ſibi

(b) Lib. IIII. c. 35.

& sibi contradicit, nam scribit (*a*), Gratianum a Patre Valentiniano Imperatorem Principatusque consortem dictum fuisse juvenem adhuc, nec plenos pubertatis annos ingressum: post mortem vero Patris in divisione (*b*) imperii Gratiano ipsi Celticas nationes & Hispaniam totam cum Britannia adtributas; mortuoque Patruo Valente delectum (*c*) a Gratiano imperii consortem Theodosium. Ubi vero plura, quae subsecutis annis acciderunt, descripsisset, Maximi defectionem, necemque Gratiani subdit, ac tum narrationem oblatae rejectaeq; ab ipso Gratiano stolae Pontificalis subnectit, adligatque extremis ejusdem diebus, dicterio illo cujusdam e Sacerdotibus: *Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodum brevi Pontifex* MAXIMVS *fiet*. Principium itaque & finem imperii Gratiani confundit Zosimus; nam & de more, h. e. statim atque imperium consecutus est Gratianus, & postquam rebellavit Maximus, h. e. sub exitum vitae ejusdem Gratiani, oblatam ei rejectamque stolam Pontificalem refert.

(a) Lib.IIII.c.13.

(b) Cap. 19.

(c) Cap. 24.

Van Dale & Spanhemius.

Antonius quidem Van Dale (*d*), qui Gratianum cum superioribus Augustis re vera *Pontificem Maximum* fuisse, mordicus tueri conatur, quum animadvertisset adlatam Gratiano stolam Pontificalem, quo tempore contra ipsum erat in armis Maximus, *videmus*, inquit, *ex verbis Zosimi Gratianum Aug. renuisse stolam Pontificalem; at non videmus ipsum renuisse titulum, aut munus Pontificatus*. Videre tamen & hoc poterat vir Cl., nam Zosimus scribit, simul atque summum imperium quisque consequebatur, amictum ei sacerdotalem offerri a Pontificibus consuevisse, eoque recepto *Pontificis Maximi* titulum continuo ei tributum; Pontifices vero de more talem Gratiano amictum detulisse; quem quum rejecerit, titulum multo magis & munus Pontificatus rejecisse dicendus est. Spanhemius vero (*e*) docet, Ausonium, ubi in gratiarum actione pro Consulatu *Pontificem Maximum* vocat Gratianum, ab ipso Zosimo aperte refelli, qui tradit eumdem Gratianum, ubi Imperator esset nuncupatus, oblatum sibi more veteri Pontificalem amictum, una cum *Pontificis Maximi* titulo fuisse aversatum *tamquam habitum, quo uti fas haud esset Christiano*. At Virum Inlustr. fefellit Zosimus. Ut vero Zosimi error magis adhuc detegatur, animadvertendum est, Gratianum ab eo tempore, quo dictus est Augustus, ab Ethnicis habitum vocatumque *Pontificem Maximum*, ut probant, quas supra retulimus inscriptiones; nam

(d) Diss. de Pont. Max. cap. 1. pag. 184.

(e) Diss. XII. pag. 414.

 cum

Reſp. oppoſitioni ex Conſecratione.

At nos credimus, Chriſtianos Imperatores nec Pontificiam Chriſtianorum auctoritatem uſurpaſſe, nec illam Gentilium retinuiſſe. Ex quo enim Conſtantinus M. fidem religionemq; ſuſcepit Chriſtianorum, vana & ſuperſtitioſa hujuſmodi Conſecratio ab iis Principibus, qui eidem in imperio ac religione ſucceſſerunt, prorſus exulavit. Narrat Euſebius (*a*) ſacrum Chriſtianumque ritum, qui in humando eodem Conſtantino M. adhibitus eſt. Propterea teſtatur, ducendo huic funeri adfuiſſe Dei veri Sacerdotes, circumfuſos turba ac univerſo pietatis ſtudioſo populo, a quibus divinus per preces cultus adhibitus eſt: itaque populus ipſe frequens una cum Sacerdotibus, non ſine lacrimis & ſane magno cum gemitu τὰς εὐχὰς ὑπὲρ τῆς βασιλέως ψυχῆς ἀπεδίδοσαν τῷ Θεῷ, *preces pro anima Imperatoris Deo fundebant*. Hinc diſtinguit idem Euſebius (*b*) omninoque diſterminat ſacrum ſalutaremque hujus funeris ritum ab eo, quem ceteri Gentiles apud Græcos, aut barbaros, aut Romanos umquam conſecuti erant. Tradit etiam (*c*), quod, quum cœli effigiem in tabella propriis coloribus expreſſiſſent, depinxerint eum ſuper cœleſtes orbes in æthereo cœtu requieſcentem. Subditque (*d*) nummos exſculptos, qui una parte beatum Imperatorem velato capite repræſentabant, altera parte in quadrigis inſtar aurigæ, demiſſa illi cœlitus manu dextra exceptum. Anterioris horum nummorum partis typus habetur in Muſeo Piſano Tabula LXXXI. primo loco, quo in deſcribendo typo (*e*) caput *laureatum* pro *velato* obrepſit, qua de re Lectorem monemus. Alios honores Conſtantino poſt mortem a Chriſtianis exhibitos legere eſt apud ipſum Euſebium alioſque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores. Id vero præcipue notandum eſt, ipſum Conſtantinum inter Chriſtianos Imperatores *Apoſtolum* (*f*) habitum, ob propagatam nempe Chriſti fidem. Hinc & ἰσαπόστολος, *par Apoſtolis* in Menæis Græcorum appellatur: & in eorum Kalendario e regione diei XXI. Maji habetur memoria *Sanctorum & magnorum Imperatorum, & parium Apoſtolis, Conſtantini & Helenæ*. Quibus de rebus aliiſque ad ſanctitatem Conſtantini ſpectantibus, videndus Papebrochius ad diem XXII. Maji in Vita S. Conſtantini Magni. Hæc quum ita ſint, diverſo ſenſu longeque remoto ab eo, qui invaluerat ſub gentilibus Imperatoribus, titulum *Divi* meruit ac conſecutus eſt Conſtantinus. Non negamus tamen, & priori ſenſu apud Ethnicos eumdem titulum obtinuiſſe: at in hoc

(a) Lib. IV. Vitæ cap. 71.

(b) Cap. ult. ejuſdem Lib.

(c) Cap. 69.

(d) Cap. 73.

(e) Nempe in Comm. ad hunc num.

(f) Vid. Euſ. eod. Lib. IV. cap. 71. & Lib. Synod. ad Synod. Nicen.

hoc nullam ſibi partem vindicarunt ejus filii Imperatores; quemadmodum nec ipſi fuerunt, qui ſacros, de quibus dictum eſt, honores Patri exhibuerunt. Conſtans porro, quum *omni* (*a*) *ſuperſtitioni penitus eruendæ* incubuerit, cultumq; veri Dei promovere ſtuduerit, magnum ſibi honorem apud Chriſtianos peperit. Quin Sanctus Athanaſius (*b*) Martyribus eumdem a Magnentio occiſum inſeruit. Piis fratris legibus hanc ſuam Conſtantius contra Paganos addidit (*c*): *Placuit omnibus locis atque urbibus univerſis, claudi prorſus Templum, acceſſu vetitis omnibus, licentiam delinquendi perditis abnegare. Volumus etiam cunctos ſacrificiis abſtinere.* In aliis etiam bene de Rep. Chriſtiana meritus eſt, laudeſque ac felicia (*d*) inde promeruit. Quod ſi quis dicat, nec Conſtanti, qui ſe vitiis (*e*) dedit, nec Conſtantio, qui Arianus fuit (*f*), Catholicamque Eccleſiam perſecutus eſt, ullatenus *Divi* titulum convenire, velim, in primis conſideret, idem *Divi* nomen jam tum evaſiſſe titulum honoris, ita ut non tantum meritis, ſed etiam immeritis daretur. Hinc Plinius de ſuperioribus *Divis* Principibus, *dicavit*, inquit (*g*) *cœlo Tiberius Auguſtum, ſed ut majeſtatis crimen* [ſive *numen*] *induceret;* [hoc eſt, ut venerationem Imperatoribus conciliaret, metumque pœnarum lædentibus incuteret]; *Claudium Nero, ſed ut irrideret; Veſpaſianum Titus, Domitianus Titum; ſed ille, ut Dei filius, hic, ut frater videretur.* Subdit, Trajanum, quem adloquebatur, ſideribus Nervam intuliſſe, *non ad metum civium, non in contumeliam numinum, non in honorem* ſuum, *ſed quia Deum* credebat: quæ non minus adulantium more dicta, quam ea, quæ arguit, facta. Antoninus Pius *repugnantibus* (*h*) *cunctis, inter Divos Hadrianum retulit.* Lampridius, poſtquam Commodi Imp. vitia ejuſque necem deſcripſit, *hunc tamen*, inquit (*i*), *Severus Imperator*, ---- *odio, ut videtur, Senatus inter Deos retulit.* Spartianus quoque, quum multos inluſtres Viros, quos Severus interfecit, nominaſſet, admirans de ipſo Severo ſubdit (*k*), *ab Afris, ut Deus habetur.* Caracalla ejuſdem Severi filius, quum fratrem occidiſſet, ac vereretur tyrannicam ex parricidio notam, audiretque poſſe mitigari facinus, ſi *Divum* fratrem appellaret, dixiſſe fertur (*l*): *Sit Divus, dum non ſit vivus,* — *eumq; inter Divos retulit.* Nomen itaque *Divi* evaſerat titulus honoris & adulationis, ac jam meritis, [ſi qui tamen eſſe poterant], immeritiſque dabatur. Quare nihil mirum, ſi poſtea idem *Divi* titulus

(a) In Reſcripto ad Catulinum.
(b) In Apolog.
(c) Cod. Theod. L. IV. de Pagan. tit. 6. 263.
(d) Jul. Firmic.
(e) Oroſ. Lib. VII. cap. 29.
(f) Id. ibid.
(g) In Panegyr. Traj. cap. 11.
(h) Capitol. in Ant. cap. 5.
(i) In Vit. cap. 17.
(k) In Vit. c. 13.
(l) Apud Spart. in Vit. Getæ c. 2.

titulus Conſtanti atque Conſtantio, licet immeritis, maxime ſi ab Ethnicis datus eſt, provenit. Qui titulus ſemel utriq; conceſſus, uſurpari potuit in iis nominandis etiam a ſubſecutis Imperatoribus, ut factum videmus a Gratiano, qui *Divum* appellavit Conſtantium; ita quippe nominari ſolebant, ut olim appellati erant. Hoc modo *Divi fratres* dicuntur in legibus etiam ſub Chriſtianis Imperatoribus M. Aurelius & L. Verus; quemadmodum & occurrunt *Divi* Severus & Antoninus Caracalla, tum alii, quorum leges deſcribuntur. Quare adeo ſpoliatus fuerat ſuo ſenſu atque honore titulus ille *Divi*, ex quo nempe probroſis ipſis Imperatoribus conceſſus eſt, ut eumdem a Chriſtianis ipſis uſurpari, religioni habendum non videretur. Quum itaq; ſanctitatis notam haud adferret nedum apud Chriſtianos, ſed nec apud Gentiles idem D*ivi* titulus, abſtinuiſſe quidem, ſed non omni ex parte ab eo abhorruiſſe videntur Chriſtiani. Notavimus ſupra *(a)*, Gentiles ipſos Imperatores priorum temporum a titulo *Domini* ſæpius abſtinuiſſe, eumque ſuperiorem Imperatoria dignitate reputaſſe, ac potius Diis reſervaſſe, adeo ut, qui illum admitterent, arrogantiæ ac ſuperbiæ accuſati ſint. Quare etiam Sev. Alexander *Dominum (b) ſe appellari vetuit*. Nec tamen multo poſt idem D*omini* titulus ita cœpit uſurpari, ut brevi increbuerit, & ne dum Gentilibus Principibus ſed etiam Chriſtianis datus paſſim ſit, quin ſub his vulgaris Imperatorum titulus evaſerit. Vidimus *(c)* quoque *ſacrum* habitum appellatumq; fuiſſe Romanum Senatum ſub gentilibus Imperatoribus, nec vero hunc ei titulum denegaſſe Chriſtianos. Simili modo *Sacratiſſimi* dicti occurrunt iidem Imperatores. Sæpe enim uſurpabant Chriſtiani ea nomina, quæ erant in ore omnium, tamquam dignitatum aut magiſtratuum titulos; neque in hoc ſe peccare credebant, maxime, quia malum omnem ſenſum, ſi quis in hujuſmodi titulis ineſſe poterat, ab iiſdem removebant. Inter ipſos Chriſtianos *Sancti* ac *Sanctitatis* titulus non ſolum Cœlitibus, ſed etiam in vita degentibus, ac iis quandoque, qui minus illum ex moribus merebant, dabatur, nempe tamquam gradus ac dignitatis titulus. Quæ quum ita ſint, mirum non eſt, ſi titulus D*ivorum* Chriſtianis Principibus datus ab Ethnicis, a Chriſtianis etiam Principibus uſurpabatur. Quin nec mirum videri deberet, ſi ſciremus, eumdem D*ivorum* titulum Chriſtianis Principibus datum fuiſſe primum a Chriſtianis; hoc enim factum credi poſſet eo modo

(a) Num. XIII. Animadv. de Imperat.

(b) Lamprid. in Vit. cap. 4.

(c) In Comm. ad num. I. Tab. III.

modo eaque ratione, de quibus dictum est. Mirum potius videtur, nostris temporibus non satis adhuc exolevisse hunc titulum, adeo ut a privatis quibusdam datus quandoque legatur Principibus Viris non tantum vita functis, sed etiam vivis, quod postremum est contra veterem ipsum morem. Ceterum, quod ad filios Constantini M. adtinet, Constans, si *Martyris* titulum apud aliquos Christianos meruit, multo magis illum *Divi*, qui communis erat ipsis Gentilibus Imperatoribus, meruisse dicendus est. Quod vero ad Constantium spectat, a Juliano Apostata, qui eidem successit, aut ab Arianis, quibus Constantius ipse faverat, *Divi* titulum obtinuisse credi potest.

Ut ut res fuerit, nullus credo, Imperatores Christianos in tribuendo *Divi* titulo aut Pontificiam Gentilium auctoritatem retinuisse, aut illam Christianorum usurpasse. A divina etenim eademque Christiana, quam profitebantur, fide alienum erat, inter fictitios falsosq; Deos defunctorum animas referre, honoribusque superstitiosis decorare. Sed neq; ullam veri speciem habet, Imperatores ipsos Christianos licentiam sibi sumpsisse comites Dei Opt. Max. designandi, Cœlitibusque inserendi, quos vellent aut cuperent. Ex quo enim nomen Christo dederunt Imperatores, quæ quidem erant Cæsarum, retinuerunt, at quæ erant Dei, Deo juxta ipsius Christi præceptum (*a*) reddiderunt. (a) Matth. XXII. 21.

De Servorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione apud Christianos perlegendum est Opus illud amplissimum, & doctrina omnigenaque eruditione præstantissimum Eminentissimi Cardinalis Prosperi Lambertini, nunc DEI OPT. MAXIMI *munere* Summi Pontificis BENEDICTI XIV. Pietate, Sapientia, Justitia, ceterisque Virtutibus vere Summi, vere Maximi; quem bono Reipublicæ natum, & ad *summa* atque *maxima* destinatum, Deus ipse sospitem quam diutissime servet, & Christiano quin toti humano generi prosperet. Hujusmodi porro sunt Christiani *Pontifices Maximi*, plurimum a *Maximis* Romanorum, de quibus egimus, tum etiam aliarum gentium *Pontificibus* diversi, omnimodisq; præstantiores: quos *sine aliquo (b) commento*, sed DEI voluntate DEUS & ipse simulq; Homo, ac *Summus Pontifex* CHRISTUS suos in terris *Vicarios* constituit, & *omnia publica privataque sacra* eorum *scitis subjecit*; quin eis *dedit (c) claves Regni Cœlorum*; adeo ut multo satius ac verius, quam de suis pronuntiavit Cicero (*d*), *ad eos de omnibus Divinis atque humanis referatur*. (b) Vid. supra num. I. (c) Matth. XVI. 19. (d) Lib. III. de Orat. cap. 33.

A quibus Pontificatus Max. deferri solitus.

XI. Ego interim occasionem sumam, quam Zosimus ipse præbet, inquirendi, utrum Imperatores a Sacerdotibus *Pontifices Maximi* designarentur, an vero ab aliis; quum enim scribat, simul atque summum imperium quisque consequebatur, amictum ei sacerdotalem obtulisse Pontifices, indeque *Pontificem Maximum* esse cognominatum, innuere videtur, *Pontificis Maximi* titulum ab ipsis Pontificibus suscipere Imperatores consuevisse. At primo quidem institutum est, ut a Sacerdotibus crearetur *Pontifex Maximus*; ad Populum id postea transiit, diuq; apud eum mansit; donec Marcus Antonius *Pontificis Maximi* (*a*) electionem a Populo ad Pontifices iterum transtulit. An vero & ipsi Imperatores a Pontificibus designarentur, minime constat. Quin potius videtur, ita cum imperio summum Sacerdotium conjunctum fuisse, ut uno eodemque tempore Imperator simul & *Pontifex Maximus* quisque fieret. A Senatu itaque, quum demandaretur alicui, aut confirmaretur imperium, profectus videtur etiam *Pontificis Maximi* titulus. Sane quidquid expressi habetur in hac re idipsum suadet; nam & Nero dicitur in nummis SACERD*os* COOPT*atus* IN OMN*ia* CONL*egia* SVPRA NVMERVM EX S. C. & Marcum Pius *in Conlegia Sacerdotum jubente Senatu recepit* (*b*), Capitolino teste: (*c*) Opelium Macrinum Senatus *Pontificem Maximum appellavit*: Alexandrum quoque legimus (*d*) gratias egisse Senatui *de Pontificatu Maximo* sibi ab eodem Senatu conlato: & Balbinus ac Pupienus (*e*) decretis a Senatu omnibus Imperatoriis honoribus, atque insignibus, percepta Tribunicia Potestate, jure Proconsulari, *Pontificatu Maximo*, Patris etiam Patriæ nomine, meruerunt imperium. Probo quoque decretum legimus votis omnium, qui in Senatu erant, concinentibus *Pontificatum Maximum* (*f*). Julianum vero semet Ἀρχιερέα *Pontificem Maximum* appellasse, ubi a militibus dictus est Augustus, tradit Sozomenus (*g*).

(a) Dio Cass. Lib. XLIV. in fine pag. 269. A.

(b) Capitol. in Marci Vita c. 6.

(c) In Vita Macr. cap. 7.

(d) Apud Lampr. in Vit. cap. 8.

(e) In eorum Vita cap. 8.

(f) Apud Flav. Vopisc. in Vita Probi c. 12.

(g) Lib. V. c. 1.



DE

In Nummis Cæsarum.

DE titulo quoque *Pontificis*, qui in nummis Cæsarum occurrit, ordo postulat, ut aliquid dicamus; proxime enim sequitur illum *Pontificis Maximi*, ejusdemque dignitatem, quum ab eo proficiscatur, ac pendeat, eo magis inlustrat. Jure itaque *Pontificatus Maximi*, quo fungebantur Imperatores, alios in Conlegia (*a*) Sacerdotum cooptabant, & filios præsertim imperiique heredes adsciscebant, ut quos in proximo imperii fastigio conlocarant, in sacris etiam socios haberent, & utrique muneri adsuefacerent. Hinc Augustus (*b*) *Claudium Marcellum sororis filium admodum adolescentem Pontificatu extulit*; & Cajum ac Lucium Agrippæ filios a se adoptatos destinatosque successores, illum (*c*) *Pontificem*, hunc (*d*) Augurem fecit. Quibus extinctis TI*berius* CAESAR AVGVSTI Filius est dictus, & PONTIFEX cum TRIBVNICIA POTESTATE comparet in nummis (*e*). Similiter Tiberii filius Drusus PONTIF*ex* (*f*) cum TRIBVN*icia* POTEST*ate* occurrit: Germanicum vero, quem Tiberius coactus est adoptare, *Auguratu* (*g*) præditum novimus. Nero autem *Cæsar*, ac *Princeps juventutis* renuntiatus, SACERD*os* (*h*) COOPT*atus* est IN OMN*ia* CONL*egia* SVPRA NVMERVM. Titum quoq; PONT*ificem* fuisse, Domitianum vero AVGVR*em*, simul & PONT*ificem* eorum numismata (*i*) testantur. Subsecutis temporibus, quum Consulem secum Pius Marcum designasset, & Cæsaris appellatione donasset, *in* (*k*) *conlegia Sacerdotum jubente Senatu recepit*. Ab ipso autem Marco Commodus *filius adsumptus* (*l*) *est in omnia conlegia Sacerdotalia Sacerdos* XIII. *Kalendas Invictas Pisone & Juliano Coss.* anno U. C. DCCCCXXVIII., ejusdem Commodi XIIII. (*m*) *ætatis anno*. Imperatores enim, quum jam Augusto (*n*) decretum fuisset, ut Sacerdotes, quotcumq; vellet, etiam ultra numerum constitueret, Sacerdotum numerum auxerunt *in infinitum*, ut Dionis (*o*) phrasi ἐς ἀόριςον utar, & proprios filios in plura aut omnia conlegia, gratia quoque ætatis facta, adsciverunt. Libera Republica, non solebant adolescentibus sacerdotia mandari, aut in plura sacra conlegia aliqui cooptari, adeo ut rarius quis in duo adsisceretur: unde, quum in (*p*) *M. Pomponii*

(a) Dio Cass. Lib. LIII. pag. 508. C.
(b) Tacit. Lib. I. Annal. cap. 3.
(c) Apud Grut. CCXXXIIII. 4.
(d) Ibid. num. 6.
(e) Apud Mediobarb.
(f) Apud eumd. pag. 72.
(g) Tacit. Lib. I. Annal. cap. 62.
(h) Num. apud Mediob. Hardu. & Vaill.
(i) Apud Mediob.
(k) Capitol. in M. cap. 6.
(l) Lamprid. in Com. cap. 12.
(m) Id. cap. 1. An. Chr. 175.
(n) Dio Cass. Lib. LI. p. 457. D.
(o) Ibid.
(p) Liv. Libro XXIX. cap. 38.

ponii Mathonis Auguris & Decemviri locum creati fuissent *Decemvir M. Aurelius Cotta, Augur Tib. Sempronius Gracchus admodum adolescens, id tunc perrarum in mandandis Sacerdotiis* notat Livius. At postquam ad Augustum cum Pontificatu Maximo devenit imperium, eiq; multo major, quam reliqui *Pontifices* eo usque obtinuerant, decreta est potestas, & ad successores transiit, plura contra morem invecta sunt, indeque adolescentioribus demandari cœperunt sacerdotia, & in plura, quandoq; etiam in omnia conlegia iidem cooptari. Post Caracallam ac Getam, qui adhuc *Pontifices* dicuntur in nummis (a), reliqui Cæsares, loco tituli *Pontificis* fere habent instrumenta Pontificalia, Vas nempe, Aspergillum, Lituum, Secespitam, Pateram, & alia hujusmodi cum epigraphe PIETAS; utpote quæ in sacris ministeriis necessaria credebatur ab ipsis Gentilibus.

(a) Apud Mediob.



ANIMAD-

ANIMADVERSIO IIII.

DE

AUGUSTO.

I. Omanæ Reipublicæ tum maxime florentis longe lateque patens imperium, quod devicto apud Actium Antonio, sibi aquisierat, plurimisque partis victoriis firmaverat, auxeratque Octavius Cæsar, quum hereditarium fecisset, ac destinatis heredibus successoribusque parasset, *Augustæ* quoque, quam meruerat, appellationis iis, qui ipsum in imperio exceperunt, atque secuti sunt, auctor exstitit. Adeptus itaque imperium Cæsar, quum esset in oculis omnium, ac laudibus adficeretur, ad ostendendam novam magnanimitatem, quo magis suus honor augeretur, & ad ipsum imperium in Rep. sui unius, volentibus civibus, ne coacti videri possent, stabiliendum, animum adjecit. Igitur *(a)* ἕβδομον ὑπατεύων, *(b)* *septimum Consulatum* gerens, quum ad id studiosissimum sui quemq; Senatorum sibi comparasset, in Senatum venit, atq; eam de scripto orationem recitavit, qua velle se dixit, ut *(c)*, quum pacem illis sinceram concordiamque tranquillam jam restituisset, reciperent libertatem, & pristinam Reip. formam, acciperent arma, gentesque subditas, ipsamque Remp. more suo gererent. Illi vero *(d)*, quum frequenter etiam dicenti adhuc occlamassent, ubi peroravit, multis omnes eum verbis precati sunt, ut solus imperii summam gereret, omnibusque, quibus id ei persuaderent, adductis argumentis, tandem eo compulerunt, ut Principatum solus obtineret. Quum autem hoc modo tam a Senatu, quam a Populo confirmatum sibi haberet imperium, ac nihilominus popularis esse, videri vellet Cæsar, recepit hoc quidem in se, ut sollicite publicis negotiis præesset, quod ea cura diligentis indigerent, sed nolle se Provinciis omnibus imperare, dixit, aut quas regendas sumpsisset, in perpetuum gubernare. Infirmiores itaque Provincias, nimirum quia essent pacatiores, Senatui restituit; potentiores, ut quæ plus periculi ostenderent, ac vel hostes accolas haberent, vel novos per se ipsæ motus aliquos ciere possent, sibi retinuit. Quove *(e)* longius Romanos a suspicione

Qua occasione Cæsar dictus est Augustus.

(a) Dio Cass. Lib. LIII. pag. 497. D.
(b) An. U.C. 727.
(c) Id. ibid. pag. 499. A.
(d) Pag. 503.
(e) Pag. 504.

cione regiæ potestatis sibi propositæ abduceret; imperium in suas Provincias Decennale suscepit; intra quod tempus eas se redacturum in ordinem promittebat, hoc quoque jactantia quadam juvenili addito. At re ipsa Cæsar unus in omnibus rebus plenum erat imperium habiturus, adeoque ei, quum primum Decennium exivisset, aliud Quinquennium, atque eo circumacto, rursum aliud quinquennium, post Decennium (*a*), eoque finito aliud iterum decretum est, & quinquies quidem, ita ut continuatis Decenniis per totam vitam imperii summam obtinuerit. Quam ob caussam posteriores quoque Imperatores, & si non ad certum tempus, sed per omne vitæ spatium iis imperium deferatur, tamen singulis decenniis festum pro ejus renovatione agunt. Cæsari itaque, quum orationem de ejurando imperio ac dividendis Provinciis habuisset, multi fuerunt honores delati, nempe ut ante ipsius domum in Palatio lauri ponerentur, ac super eas coronæ quernæ suspenderentur, nimirum quod perpetuus hostium victor, ac Civium esset servator; ac deinde οὕτω δὴ καὶ τὸ τοῦ Αὐγούστου ὄνομα καὶ παρὰ τῆς βουλῆς καὶ παρὰ τοῦ δήμου ἐπέθετο (*b*), *Augustus a Senatu Populoque appellatus est*. Itaque AUGUSTI (*c*) *cognomen adsumpsit, Munatii Planci sententia, quum quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem urbis, prævaluisset, ut* AUGUSTUS *potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine, quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur,* AUGUSTA *dicantur, ab auctu, vel ab avium gestu, gustuve; sicut etiam Ennius docet scribens*:

AUGUSTO *augurio postquam inclyta condita Roma est.*

Et Ovidius (*d*) Augusto ipsi coævus canit:

Sancta vocant AUGUSTA *Patres*; AUGUSTA *vocantur*
Templa Sacerdotum rite dicata manu.
Hujus & Augurium dependet origine verbi:
Et quodcumque sua Juppiter auget ope.

Græci vero (*e*) ΣΕΒΑΣΤΟΝ, *quasi venerandum dicas*, ἀπὸ τοῦ σεβάζεσθαι *Augustum* interpretati sunt, moxque nummos cum hoc ΣΕΒΑΣΤΟΥ, sicut & Latini cum AVGVSTI cognomine percusserunt. Postea ipsi etiam Græci ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ vocem admiserunt, eaque usi sunt aliquando in nummis.

De anno & mense, quibus Cæsar dictus est Augustus.

II. Augustæ Cæsaris appellationis plures meminere; at vero de tempore, quo contigit, non conveniunt. Scribit hæc Orosius (*f*): *anno ab* U. C. DCCXXV. *ipso Imperatore Cæsare*

Augusto

(a) Pag. 507.
(b) Dio ut supra pag. 507. C.
(c) Suet. in Aug. cap. 7.
(d) Lib. I. Fast. v. 609.
(e) Dio Cass. ut supra pag. 507. D.
(f) Lib. VI. c. 20.

Auguſto quinquies, & L. (a) Apulejo Conſulibus, Cæſar victor (a) Sextum Apul. alii Faſti habent.
ab Oriente rediens, octavo Idus Januarias urbem triplici triumpho ingreſſus eſt: ac tum primum ipſe Jani portas, ſopitis finitiſque omnibus bellis civilibus clauſit. Hoc die primum AUGUSTUS *conſalutatus eſt. Quod nomen cunctis antea inviolatum, & uſque ad nunc ceteris inauſum Dominis, tantum orbis licite uſurpatum, apicem declarat imperii: atq; ex eodem die ſumma rerum ac poteſtatum penes unum eſſe cœpit, & manſit, quod Græci Monarchiam vocant.* Hæc ille; quibus tamen quo minus adhæreamus, auctoritas majoris in hac re notæ Scriptorum obſtat. Quum enim ex Suetonio (*b*) *Conſulatum* V. *in Inſula Samo* Cæſar *inierit*, certe (b) In Vita c. 26.
fieri non potuit, ut quinq; dierum ſpatio in Italiam tranſmiſerit, urbemque VIII. Idus Januarias ingreſſus ſit. Et ſane Dio ſcribit (*c*), *per eam æſtatem in Græcia fuiſſe atque hinc in Italiam* (c) Lib. LI. p. 458. C.
Cæſarem tranſmiſiſſe: τοῦ δ᾽ ἤδη θέρους ἔς τε τὴν Ἑλλάδα, καὶ ἐς τὴν Ἰταλίαν ὁ Καῖσαρ ἐπεραιώθη: eoque urbem intrante, rem ſacram inter alios feciſſe Conſulem Valerium Potitum, qui Apulejo jam ſucceſſerat, Kalendis nempe Julii: ac tum triplicem triumphum egiſſe, ſubdit (*d*). Quæ omnia confirmantur eo Sena- (d) Ibid. pag. 459.
tuſconſulto, cujus verba Macrobius (*e*), ubi agit de menſe (e) Lib. I. Sat. c. 12.
Auguſto, qui ſextilis antea vocabatur, donec honori Auguſti datus eſt, ita ſubjicit. *Quum Imperator Cæſar Auguſtus menſe ſextili, & primum Conſulatum inierit, & triumphos tres intulerit in urbem*, &c. Aut igitur octavo Idus Januarias Cæſar primum *Auguſtus* non eſt conſalutatus; aut, quod vero ſimilius eſt, id anno ab U. C. DCCXXV. non contigit: & quidem Dio, ut vidimus, in *ſeptimum* Cæſaris *Conſulatum*, i. e. in annum ab U.C. DCCXXVII. hoc refert; quod diſerte tradit etiam Cenſorinus his verbis (*f*), *in ante diem* XVI. *Kal. Feb. Imperator Cæſar, Divi* (f) De die Natali cap. 8. edit. Aldi.
Filius, Auguſtus ſententia Munatii Planci, a Senatu ceteriſq; civibus appellatus eſt, ſe VII. *& M. Vipſanio Agrippa* III. *Coſs.* At vero inter Cenſorinum, & coævum notumque Cæſari Scriptorem Ovidium de die non convenit: hic enim Germanicum Cæſaris Nepotem adloquens, ita de menſe Januario cecinit (*g*): (g) Lib. I. Faſt. a verſ. 587.

IDIBUS *in magni caſtus Jovis æde Sacerdos*
Semimaris flammis viſcera libat ovis.
Redditaque eſt omnis Populo Provincia noſtro:
Et tuus AUGUSTO *nomine dictus Avus.*

Ubi ad *Idus* retrahit, quod *in ante diem* XVI. *Kal. Feb.* nempe Januarii XVII. Cenſorinus refert. Inſcriptio autem celeberrima

berrima Narbonensis (*a*), quæ posita est anno U.C. DCCLXIIII. *T. Statilio Tauro L. Cassio Longino Coss.* X. K. *Octob.*, quæque continet *Numini Augusti votum susceptum a Plebe Narbonensium in perpetuom*, utrique obstare videtur, ubi hæc habet: VII. QVOQVE IDVS IANVAR. QVA DIE PRIMVM IMPERIVM ORBIS TERRARVM AVSPICATVS EST. At hæc omnia conciliari posse crediderim, si VII. *Idus Januarias* imperium orbis terrarum Cæsar auspicatus dicatur, *Idibus* redditæ Populo Provinciæ, *die* vero XVII. appellatus *Augustus*; ita ut postrema hæc duo non tempore, sed caussa ab Ovidio conjuncta sint. Hinc etiam Dio (*b*) delatum primo imperium, secundo divisas provincias, ac postea appellatum *Augustum* refert.

(a) Apud Grut. Pag. CCXXIX.

(b) Lib. LIII. pag. 497. D. 499. A. 503. 504. & 507.

III. Cæsar itaque, ex quo dictus est *Augustus*, ita perpetuo exinde audivit, & quemadmodum in aliis monumentis, sic etiam in nummis (*c*) *Augustus* inscriptus est. Quos vero adoptavit, & in familiam Cæsarum induxit, *Cajus* ac *Lucius*, Agrippa geniti, inde *Tiberius* privignus, dicti sunt (*d*) AVGusti *Filii*. Urbes etiam non paucæ *Augustum* sibi cognomen adsciverunt; eæ scilicet, quæ præ ceteris ab eo cumulatæ sunt beneficiis, uti de *Colonia Patrensi* constat; qua de re nos alibi (*e*). Oppidum vero in Hispania Tarraconensi, quod antea vocabatur *Salduba*, antiquato hoc nomine, dici cœpit *Cæsar-Augusta*, uti nummum tertium Tabulæ tertiæ Pisani hujus Musei interpretati sumus. *In tantum igitur vir ille cultus est, ut nomen ejus fieret appellatio dignitatis* (*f*): καὶ τοσοῦτον ἐτιμήθη ὁ ἀνὴρ, ὡς καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ γενέσθαι προσηγορίαν τοῦ ἀξιώματος: & ad omnes, quotquot ei in imperio successerunt, tamquam *honorum* (*g*) *vertex* pervaderet. *Quamvis* itaque *nihil peculiaris potentiæ iis adjiceret, splendorem tamen dignitatis significabat* (*h*). Ἡ γὰρ δὴ τοῦ Αὐγούστου πρόσρησις δύναμιν μὲν οὐδεμίαν αὐτοῖς οἰκείαν προστίθησι, δηλοῖ δὲ τὴν τοῦ ἀξιώματος λαμπρότητα. Hinc Tiberius, statim atq; *Augusto* successit, *Augustus* audivit, uti ex nummis (*i*) & lapidibus constat. Hac tamen ipse modestia usus est, ut *Augusti* (*k*) *nomen quamquam hereditarium nullis, nisi ad Reges ac Dynastas epistolis addiderit*. Cajus etiam, qui Tiberium excepit, cum imperio nomen *Augusti* adeptus est, uti abunde monumenta testantur; quin & juvenem *Augustum* aliquando dictum legimus (*l*); quod tamen ægerrime tulit, quia non fortunam suam laudari, quod juvenis id imperium obtineret, sed

(c) Apud Mediob. Vaill. Hard. & al.

(d) Apud eosdem vid. num. 3. Tab. IIII.

Augusti nomen a Cæsare Octavio & reliquis Impp. usurpatum.

(e) Com. in Num. I. Tab. IIII.

(f) Auct. Homil. in illud exiit edict. a Cæs. Aug. inter spuria D. Jo. Chrys. Tom. II. p. 800. edit. Paris. 1718.

(g) Ammia. Marcell. Lib. XXVI. cap. 2.

(h) Dio Cass. Lib. LIII. p. 509. A.

(i) Vid. Tab. V. num. I.

(k) Suet. in Vita cap. 26.

(l) Apud Dion. Cass. Lib. LIX. p. 650. A.

ſed reprehendi ſe, qui ea ætate tantum Principatum gereret, exiſtimavit. Cajo ſucceſſit Claudius, Claudioque Nero, uterque autem cognomen *Auguſti* tulit. Quum vero progenies Cæſarum in Nerone defeciſſet, manſit tamen nomen *Auguſti*, & qui primus inde ad imperium accitus eſt, Galba illud occepit; ipſoq; Galba ſublato nomen *Auguſti* delatum eſt Othoni. Vitellius autem, qui paullo poſt Imperator eſt conſalutatus, *cognomen* (*a*) *Auguſti* primo *diſtulit*. At mox recepiſſe produnt numiſmata: quæ reliquos etiam Imperatores cognomen ipſum *Auguſti* geſſiſſe, fidem faciunt. Hinc Sev. Alexander in Senatu ait (*b*); *Auguſtus primus, primus eſt auctor imperii, & in ejus nomen omnes velut quadam adoptione, aut jure hereditario ſuccedimus*.

(a) Suet. in Vita cap. 8.

(b) Apud Lampr. in Vita c. 10.

De iis, qui ſimul Auguſti fuerunt.

IIII. Poſt exceſſum Pii M. Aurelius a Senatu coactus regimen publicum capere, fratrem ſibi participem in imperio deſignavit L. Verum, *Cæſaremque* (*c*) *atque Auguſtum dixit, atque ex eo pariter cœperunt Remp. regere: tuncque primum Romanum imperium duos Auguſtos habere cœpit*. Poſt mortem Lucii Commodum adſumpſit Marcus imperii conſortem; plures quoque alii Imperatores aliis imperium communicarunt, & *Auguſtos* dixerunt. Senatus etiam duos ſimul quandoque *Auguſtos* renuntiavit. *Gordianos Auguſtos appellamus* (*d*), inquit; quo tempore Maximinum hoſtem judicavit: iiſq; mortuis *Maximum* (*e*) *& Balbinum Auguſtos* ſuffecit. Poſtea *Gallo* (*f*) *Hoſtilianoque Auguſta imperia* decrevit. Qua in re eadem nos tenet opinio, quam de imperii conlegis tradidimus (*g*); adeo ut eos, qui cognomen *Auguſti* aliis communicarunt, primas tum honoris tum poteſtatis partes retinuiſſe credamus; eos autem, qui ſimul *Auguſti* facti ſunt a Senatu, eodem honoris ac poteſtatis gradu potitos opinemur.

(c) Capitol. in Marco cap. 7.

(d) Id. in Gordd. cap. 11.

(e) Id. in Max. & Balb. cap. 2.

(f) Vict. de Cæſ.

(g) Num. XXIV. & ſeqq. de Imp.

Aliqui dicti ſunt perpetuo, vel ſemper Auguſti.

V. Conſtantius Conſtantini M. filius, PERP*etuo* AVG*uſtus* in quibuſdam nummis (*h*) eſt appellatus, exemplo ducto a J. Cæſare, qui DICT*ator* PERPETVO (*i*) dictus eſt, ſive a Trajano, qui IMPERATOR PERPETVVS, (*k*), & AVG*uſtus* PERP*etuo* (*l*) eſt nuncupatus. Quumque ſubeunti imperium Alexandro acclamatum eſſet (*m*), *Dii te perpetuent, Dii immortales Alexandro vitam, vincas, valeas, multis annis imperes*; cuſa etiam ſunt numiſmata (*n*) PERPETVITATI AVG*uſti* dicata, quin & IMP*erator* PATER PERPETVVS (*o*) alicubi eſt inſcriptus. Huic autem

(h) Apud Mediob. a pag. 490. & apud Bandur T. II.

(i) Apud Mediobarb. pag. 6. 7.

(k) Apud eumd. pag. 148.

(l) Pag. 149.

(m) Apud Lampr. in Vita c. 6. & 10.

(n) Apud Mediob. p. 318. 321. 322.

(o) Apud eumd. pag. 318.

tem *Perpetui* titulo adfinis eſt illa inſcriptio SEMP. AVG. *Semper Auguſtus*, quæ Conſtantinianis temporibus invaluit. At hæc adtigiſſe ſit ſatis.

Cæſares conjunctim cum Auguſtis dicti ſunt Auguſti.

VI. Ipſum potius *Auguſti* titulum, ubi Cæſaribus tributus legitur, animadvertamus, neceſſe eſt. Sæpe igitur in parte poſtica nummorum, qui Cæſaribus cuſi ſunt, titulus AVG-G*uſtorum* occurrit, qui, etſi ad parentes *Auguſtos* præcipue debeat referri, tangat tamen & Cæſares, quorum ſunt nummi, oportet. Id conſtare nobis videtur ex nummis & inſcriptionibus Maximi, Philippi junioris, Herennii, & Hoſtiliani, Voluſiani, Carini, & Numeriani Cæſarum. Hinc doctiſſimus Pagius docet (*a*), *Cæſares conjunctim cum Auguſtis in nummis memoratos, Auguſtorum etiam nomine deſignatos eſſe*; eamque loquendi formulam in nummis uſurpari ſolitam fuiſſe, Maximino Auguſto imperante, ſubdit.

(a) In Crit. ad an. Chr. 245. nu. III. vid. etiam ad an. 203. num. IV. & 283. num. VII.

Cæſares ſeparatim etiam ab Auguſtis dicti Auguſti.

VII. Quin ſeparatim etiam ab *Auguſtis* Imperatoribus Cæſares quandoque dictos *Auguſtos* credimus. Quoties itaq; titulus *Auguſti* in parte nummorum Cæſareorum, [qui tamen pauci ſunt], poſteriore comparet, non quidem ad *Auguſtos* Imperatores, ſed ad ipſos Cæſares, quorum ſunt nummi, ſpectare arbitramur. Neque enim intelligimus, quomodo pars nummi poſterior ab anteriore avelli poſſit, cum qua nempe ita conjungitur, ut hujus pars illa ſit, & in poſteriore habeantur inſignia ejuſdem ipſius, qui repræſentatur in parte anteriore. Præterea Inſcriptio ipſa, quæ in priori parte incipit, continuata dignoſcitur in parte altera. Brevi, quum reliqua omnia utriuſque partis ad unam eamdemque perſonam pertinere paſſim dignoſcantur; nullus ego video, cur ſolus *Auguſti* titulus ad eam non pertineat. Multo etiam minus intelligo, quomodo ad aliam perſonam, cujus nullum ſignum ac nulla mentio in toto nummo habetur, ſpectare poſſit. Demum, quum in partem imperii majeſtatiſve Cæſares ab Auguſtis adſciti fere ſint (*b*), conſortes etiam *Auguſti* nominis facti videntur.

(b) Vid. num. VI. Animadverſ. de Cæſar.

Id, quod modo diximus, inde firmatur, quod Feminis quoque domus Imperatoriæ, & quidem non tantum Imperatorum uxoribus, *Auguſtarum* cognomen datum eſt, verum etiam aliis; nam Aviæ, Matres, Sorores, Filiæ, Nepteſque *Auguſtæ* dicuntur in nummis & Inſcriptionibus.

ANIMAD.

ANIMADVERSIO V.

DE

PRINCIPE JUVENTUTIS.

Principis Juventutis nomen designatis imperii heredibus tributum

I. *Rincipis Juventutis* nomen, quum Imperatorum filiis designatisque imperii heredibus, non secus atque illud *Cæsaris* tribuatur in nummis, symbolum fuisse & ipsum futuræ in imperium successionis, facile quisque dignoscit. Occurrit illud primum in nummis Caji & Lucii, ab Augusto in familiam *Cæsarum* spemque imperii adscitorum; & continuatur in illis Drusi, Germanici, ac Neronis ex eadem Cæsarum familia, eodemque jure imperii heredum. Ubi vero progenies Cæsarum in Nerone defecit, imperiumque Vespasiano Gentis Flaviæ delatum est, mox Titus & Domitianus filii, Cæsares ac *Principes Juventutis* renuntiati sunt. Inde Commodus Marci filius, Antoninus & Geta Severi, Diadumenianus Macrini pluresque alii, quos infra nominabimus, postquam Augustæ Majestatis heredes designati sunt, *Principes Juventutis* audierunt; adeo ut imperii candidatos hoc cognomine decoratos esse constet. Quid tamen sibi velit hic titulus, nondum satis liquet. Eminentiss. quippe Norisio videtur idem (*a*) esse *Principem Juventutis* ac Principem Equitum, eumq; titulum in gratiam Caji Cæsaris, Augusti nepotis, ab Equestri ordine primum (*b*) inventum fuisse, quo secundus ab Augusto in Romano orbe Princeps designaretur. Erudit.mus vero Harduinus scribit (*c*) *Principem Juventutis* semper fuisse Ducem primarium turmarum pedestrium, eamque ob caussam etiam in nummis ubique stantem occurrere, hastam gerentem, vel certe inter duo signa militaria pedestria. Ad nummum tamen, in quo Commodus dextra equum freno retinet, læva virgam tenet, *symbolum*, inquit, (*d*) *istud est Principis Juventutis vel Magistri equitum*. Spanhemius autem Vir & ipse eruditissimus, quum animadvertat, non Equitum (*e*) solum vel Equestrium Decursionum aut transvectionum simulacra occurrere in signatis *Principum* id genus *Juventutis* nummis; sed subinde & frequentius quidem exhiberi stantes eosdem ac paludatos, ac interdum togatos, cum

De Principis Juvent. significatione Norisii sententia.

(a) In Cenotaph. Pis. Diss. II. cap. 3.

(b) Ibid.

Harduini senten.

(c) Oper. Select. p. 647. col. 2. p. 738. col. 1. item pag. 466. 477.

(d) Pag. 786. col. 2.

Spanhem. sentent.

(e) Diss. XII. p. 364.

uno aut duobus in utraque manu ſignis Legionis; aut vero cum Aquila, vel ſola vel inter duo ſigna militaria, immo etiam cum tropæo; adde cum Clypeo interdum, vel Scipione, Haſta pura, vel Pilo, aut Globo, & ad pedes Captivo; cujuſmodi plura utique ſymbola Philippi Junioris, illiuſque PRINCIPIS JVVENTVTIS, nummi in Gaza Gallorum Regia & in aliis Cimeliarchiis proferunt; quum hæc, inquam, animadvertat Vir eruditiſſimus, ſubdit, ea pedeſtris potius, quam Equeſtris Ordinis vel militiæ Ducem aut Magiſtrum videri omnino evincere. Et adductis nummis Commodi, Philippi, Valeriani præterea, & Conſtantini denique cum ſignis Legionis, ac PRINCIPIS JVVENTVTIS appellatione, liquere rurſum ait (*a*), pedeſtris etiam militiæ Duces extitiſſe, qui eo titulo deſignantur, ſeu utriuſque militiæ exercitiis adſuetos, quod jam vidiſſe Dodwellum (*b*) notat, eo titulo adfectos Auguſtorum liberos ac deſtinatos in imperio ſucceſſores. Vaillantius vero vir Cl. ita ſuam ſententiam promit (*c*) ad nummum Philippi Junioris PRINCIPI JVVENTVTIS inſcriptum. Philippus Philippi & Octaciliæ filius, ſeptennis a Patre Imperatore Cæſar factus, mox *Princeps Juventutis* Romæ a Senatu renuntiatus eſt, quod futuræ ſucceſſionis ſymbolum fuit; unde nummorum cudendorum mos cum Cæſarum imaginibus, ob facti illius rationem, quæ eorum erat prærogativa. Trojæ ludi in memoriam Aſcanii, qui primus omnium in Italia eos celebraverat, a pueris majoribus & minoribus edebantur: illis vero, qui præſidebat, *Princeps Juventutis* appellabatur; quo deinde titulo uſus eſt Auguſtus, ut Cajum & Lucium Agrippæ generi filios a ſe adoptatos cum Cæſarum appellatione pro deſignatis imperio heredibus adſereret; quod in reliquis dein Cæſaribus & in Philippo factum docent numiſmata. Tenet ſignum militare, adſunt & alia cum milite ſtante ad denotandum, Philippum Juniorem non ſolum a patre, ſed ab omni etiam exercitu *Principem Juventutis* declaratum eſſe. Laudatus quoq; (*d*) Spanhemius ſcribit, *Principes Juventutis* habitos velut Equeſtris Ordinis Ductores, uti præter alia, in Circenſibus dein, ſeu Decurſionibus Equeſtribus, quæ in Caji & Lucii aliorumq; id genus *Principum Juventutis* nummis conſignantur, & in ſolemni in primis ac notiſſimo, [quiq; a patriciis & nobiliſſimis pueris, uti a (*e*) Suetonio ac (*f*) Dione iidem appellantur, peragi conſueverat], Trojæ ludo.

Quomodo

(a) Pag. 365.
(b) Prælect. Cambden. pag. 576.
(c) In Select. de Camps pag. 99.
Vaillantii Sententia.
(d) Diſs. XII. pag. 363.
(e) In I. Cæſ. c 39.
(f) Lib. LI. pag. 460.

Quomodo alias, sed & antequam Nero, *maturata*, ut alibi dein a Tacito *(a)* dicitur, *virili toga* foret, ut paullo post contigit, *Princeps Juventutis* appellatus, de eo ac Britannico biennio adhuc juniore traditur *(b)*, *Circensibus ludis, quum* PUERI NOBILES *equis ludicrum Trojæ inirent*, INTERQUE EOS BRITANNICUS *Imperatore genitus, & Lucius Domitius adoptione mox in imperium, & cognomentum* NERONIS *adscitus*. Inter alios proinde nobiles pueros, seu, ut de illo puerili Trojæ ludo Suetonius *(c)*, *turma duplici majorum minorumq; puerorum*, decurrisse animadvertit vir Cl. Neronem necdum adoptatum, ac *Principem Juventutis* dictum, ac Britannicum; etsi ille Principis tum imperantis privignus, hic naturalis filius foret. Idem autem Nero post Claudii adoptionem, de qua sequenti libro *(d)* Tacitus, ac delatum mox *Principis Juventutis* titulum, *ludicro Circensium, triumphalium veste*, Britannicus vero, cui eadem illa *(e)* *Principis Juventutis* appellatio haud concessa legitur, in prætexta transvecti sunt. Hæc autem egregie inlustrari tradit ab adducto jam ab eximio Patino Getæ nummo, in quo cernuntur tres equestres figuræ decurrentes; in alio etiam juxta celebrem Antiquarium *(f)* quinque, e quibus una Ductoris vice fungitur, cum inscriptione PRINC. JVVENT. COS. Quo autem typo equestrem illum, & qui puerorum festum etiam dicitur, Trojæ ludum designari censuit; & qualis etiam inter Severi nummos, quemque alibi dein idem Patinus profert, conspicitur. Atque hujusmodi sunt celebriores Antiquariorum sententiæ. Nostra vero opinio ita se habet.

(a) Annal. XII. cap. 41.
(b) Tacit. Annal. XI. cap. 11.
(c) In Jul. Cæs. cap. 39.
(d) Annal. XII. cap. 25.
(e) Ibid. cap. 41.
(f) Vaill. Præst. num. p. 41. P. II.

Principes, Primores, ac Primi eadem fere nomina; ut & illud Juventutis cum illo militiæ.

II. In primis itaque animadvertimus, nomen *Principis* apud Romanos, integra præsertim Republica, quando nomen ipsum *Principis Juventutis* increbuit, pro *Primore* seu *Primo* usurpari sæpe consuevisse: quod ita constat, ut nonnisi apud hospites in Romana Historia probatione indigeat. Secundo adnotamus, *Juventutis* nomine eos designatos fuisse, qui in armis erant, nempe milites; quod hodieque fit. Hinc observamus, *Primores* Juvenes, præsertim equites, qui militabant, dictos olim multoque tempore *Principes Juventutis*. Quod, antequam progrediamur, exemplis comprobandum est.

Servium Tullium fuisse conditorem omnis in Civitate discriminis ordinumq; quibus inter gradus dignitatis fortunæq; aliquid interluxit, posteri fama tulerunt *(g)*. Censum enim instituit, rem saluberrimam tanto futuro imperio; ex quo belli

(g) Liv. Libro I. cap. 42.

pacisque

Servius Rex censum instituit, & Classes ordinat, distinctas in Seniores atq; Juniores.

pacisque munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent: tum Classes Centuriasque & ordinem ex censu descripsit, vel paci decorum vel bello. Sex igitur Classes peditum juxta ordinem census descripsit, divisitque in *Seniores* ad urbis custodiam, & in *Juniores*, ut foris bella gererent. Inde *Equitum ex* Primoribus *civitatis* XII. *scripsit centurias: sex item alias centurias tribus ab Romulo institutis sub iisdem, quibus inauguratæ erant, nominibus fecit*. Deinde est honos additus, gradusque facti in ferendis suffragiis, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, *& vis omnis penes* Primores *civitatis esset. Equites enim vocabantur primi*: LXXX. inde primæ classis centuriæ primum peditum vocabantur. Ibi si variaret, quod raro incidebat, ut secundæ classis vocarentur; nec fere umquam infra ita descenderent, ut ad infimos pervenirent, Livio horum omnium teste (*a*). Cui adstipulatur Dionysius Halicarnassensis, qui descriptis eisdem peditum classibus, subdit (*b*): τὸ δὲ τῶν Ἱππέων πλῆθος ἐπέλεξεν ἐκ τῶν ἐχόντων τὸ μέγιστον τίμημα καὶ κατὰ γένος ἐπιφανῶν, *Equites delectos fuisse e maximi census civibus & genere inlustribus*, hoc est, ex civitatis *Primoribus* seu *Principibus* genere & pecunia.

Equitum centurias ex Primoribus scribit.

(a) Eod. Lib. c. 43.

(b) Lib. 4. Ant. Rom. pag. 222. al. 165.

Paullo post Tullium Regem, altero videlicet post exactos Reges anno (*c*), quum urbem obsedisset Porsena (*d*) Clusinus Rex, sedendoque expugnaturum se illam, spem haberet, C. Mucius adolescens nobilis Romanus ad castra Porsenæ proficiscitur, & Scribam cum Rege sedentem pari fere ornatu, pro Rege obtruncat. Comprehensus, Romanus sum, inquit, civis, C. Mucium vocant: hostis hostem occidere volui: nec unus in te ego hos animos gessi; longus post me ordo est, idem petentium decus. Hoc tibi *Juventus Romana* indicimus bellum; nullam aciem, nullum prælium timueris; uni tibi & cum singulis res erit. *Trecenti conjuravimus Principes Juventutis Romanæ, ut in te hac via grassaremur*. Rem enarrat Livius, apud quem trecentos hosce *Principes Juventutis* nonnisi trecentos *Primores* Juvenes civitatis intelligere, parva admodum adhuc Repub. Romana, certe possumus. Hinc de bello contra Latinos mox idem Livius agens (*e*), tradit animum recepisse pedestrem Romanorum aciem, postquam *Juventutis Proceres*, Equites nempe, æquato genere pugnæ, descenderant enim ex equis, secum partem periculi sustinentes vidit. Et paullo post bellum describens contra Volscos *erat*, inquit (*f*),

(c) An. U.C. 247.

(d) Liv. Lib. II. cap. 12.

(e) Eodem Lib. II. cap. 21.

(f) Eod. Lib. II. cap. 33.

tunc

tunc in castris Romanorum inter Primores Juvenum *C. Marcius adolescens*, &c. Hinc etiam Curtius Alexandrum M. *(a)* de Philota, Romano more ita loquentem inducit: *Equitatui, optimæ exercitus parti, Principibus nobilissimæ Juventutis unum præfeci*. Perseus vero, Rex Macedonum postremus, milites suos contra ipsos Romanos adhortans ait *(b)*: *Meliorem partem hostium, Equitatum Romanum, quo invictos esse gloriabantur, fudistis: Equites enim illis Principes Juventutis, Equites Seminarium Senatus; inde lectos in Patrum numerum, Consules, inde Imperatores creant*. Scipio, postquam in Siciliam transmisit, *ex totius Siciliæ (c) Juniorum numero, Principes genere & fortuna, trecentos Equites, qui secum in Africam trajicerent, legit*.

(a) Lib. VI. cap. 9.

(b) Apud Liv. Lib. XLII. cap. 61.

(c) Apud eumd. Lib. XXXIX. in princip.

III. Aucta plurimum Repub. auctoque imperio, Equitum turmas ex solis *Primoribus* exstitisse, credi non potest. Nam, quum numerus Equitum simulque peditum pro ratione imperii plurimum crevisset, totus equitatus generis opumque prærogativas retinuisse non videtur. Quapropter Equites ex solis *Primoribus* conscriptos tunc minime fuisse, pronum est credere. Mansit tamen *Principum Juventutis* nomen, aliquibus iisque Primoribus reservatum. Extremis itaque Reip. temporibus Cicero Brutum vocat *(d) Principem jampridem Juventutis*; & de nobili Juvene, vel adolescente C. Torquato inquit *(e)*: *Quum Princeps, quum auctor, quum Signifer esset Juventutis*. Ad Atticum etiam hæc scribit *(f)*: *equitatus ille, quem ego in Clivo Capitolino te Signifero ac Principe conlocaram, Senatum deseruit*. Quæ tamen Ciceronis loca ita accipit Spanhemius *(g)*, *ut Signiferi*, ac *Principis Juventutis*, & Equestris quidem Ordinis, promiscua veluti sit appellatio. At, quum Torquatum & Atticum non tantum *Principes Juventutis*, verum etiam *Signiferos* vocet laudetq; Cicero, unum ab alio gradum distinguere videtur. De Curione quoq; Curionis filio *Principe Juventutis* mentionem injicit in Vatiniana, quam habuit anno U. C. DCXCVII, quo tempore junior Curio nullum adhuc Magistratum adtigerat; quippe qui Quæstor Clodii in Asia fuit anno demum U. C. DCC. Quæstura autem primus erat Magistratus, quem petere atque adire solebant. Paullo inde post Augustus *liberis Senatorum (h)*, quo celerius Reip. adsuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, & Curiæ interesse permisit; *militiamque auspicantibus, non Tribunatum modo Legionum, sed & Præfecturam alarum dedit*:

Aucta Rep. auctisq; exercitibus Equites ex solis Primoribus conscripti non videntur. Mansit tamen Principum Juventutis nomen.

(d) Ep. ad Famil. III. 11.

(e) Orat. pro Sulla cap. 12.

(f) Lib. II. ad Attic. ep. 1.

(g) Diss. XII. p. 364.

(h) Sueton. in Vit. cap. 38.

dit: ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque Laticlavios præposuit singulis alis. Non igitur puros putos milites, sed Præfectos tunc agebant inlustriores juvenes.

Mos institutumq; adolescentum nobilium Romanorum castra petendi, antequam Magistratus adirent.

IIII. Hoc itaque jam tum a primis Reipublicæ temporibus in more fuit apud Romanos, ut ipsi adolescentes genere atq; opibus inlustres, quum primum sumerent virilem togam, quod circa annum ætatis XVII. fere contingebat, in Equestrem Ordinem adscriberentur, & ad bellum sæpius emitterentur, etiam illi, quibus animus non erat ad militiæ dignitates enitendi. Ubi vero aliquot annos in castris egissent, domum ex militia regressi, quibus animus non erat illam persequendi, petendis Magistratibus sedabant: & a Quæstura, cujus ætas erat XXVIII. annorum, ad summum Magistratum Consulatus procedente tempore contendebant: indeq; ad Provincias administrandas, regendosq; exercitus mittebantur. Hinc laudatus Cicero Brutum appellat *Principem jampridem Juventutis, celeriter, ut sperat, Civitatis*, ad summos nempe Magistratus evehendum. Atque morem hunc respexit Perseus, quum de Romanis, ut monuimus, dixit (*a*): *Equites illis Principes Juventutis; Equites Seminarium Senatus; inde lectos in Patrum numerum, Consules, inde Imperatores creant.* Erant & Munia Equestris Ordinis in Republica; atq; in eo censebantur ipsi Patriicii liberique Senatorum, quousque in Senatum legerentur. Hinc Pompejum patricio licet ac Consulari patre natum, nondum tamen in Senatum adlectum, Cicero (*b*) *Equitem Romanum* vocat. Quia vero nec omnibus satis erat Senatus, nec omnes aut hunc adpetebant, aut Senatui satis erant, plures in Equestri Ordine consenuisse scimus. Atticus ille summorum Virorum, Ciceronis præsertim amicitia litterisque celebris, contentus (*c*) ordine Equestri, quo ortus erat, vixit, obiitque. Legimus (*d*) quoque Mæcenatem, quum apud Augustum plurimum posset, adeo ut ab eo multis honores Magistratusque impetraverit, tamen animo minime elatum *in Equestri statu vitam exegisse*, ἀλλὰ τῷ τῶν ἱππέων τέλει κατεβίω. Ipse (*e*) Augustus *nihil amplius quam equestri familia ortum se scripsit, vetere ac locuplete; & in qua primus Senator Pater suus fuerit.* Constabat itaque Equester Ordo ex Senioribus, *Junioribusque*, quorum illi plura civilia Reipublicæ obibant munia; *Juvenes* quoque sua habebant officia, & Tribunatus, aliasque Præfecturas militares in castris gerebant.

(a) Apud Livium Lib. XLII. cap. 61

(b) Orat. pro L. Man. cap. 21.

(c) Corn. Nep. in Vita cap. 19.

(d) Apud Dion. Cass. Libro LV. pag. 553. A.

(e) Suet. in Vita cap. 2.

Classes

Classes itaq; omnes, quas ex censu ordinaverat, in *Seniores* ac *Juniores* distinxit Servius (*a*), ita ut omnis populus in *Seniores Junioresque* distributus esset. Pars *Seniorum* potior, opibus nempe ac genere inlustrior fuit Senatus, atque in eo erat unus, qui *Princeps* vocabatur, is scilicet, *qui* (*b*) *a Censoribus Princeps*, id est primus *in Senatum lectus fuerat*. Hic primus rogabatur sententiam, quando designati Consules non aderant; καὶ προέφερε τῶν ἄλλων τῷ ἀξιώματι, οὐ μὴν καὶ δυνάμει ἐχρῆτο τινί: (*c*) *omnibusq; dignitate, non tamen potentia præstabat*. Hujusmodi Principum indicem usque ad postrema cadentis Reip. tempora contexuit eruditiss. nec sine laude nominandus Panvinius. Demum Augustus *cuncta* (*d*) *discordiis civilibus fessa, nomine Principis, sub imperium accepit*. Anno autem U. C. DCCXXVI. quo Consul VI. fuit, censum peregit, & in eo Πρόκριτος τῆς Γερουσίας ἐπεκλήθη, ὅπερ ἐν τῇ ἀκριβεῖ δημοκρατίᾳ ἐνενόμιστο (*e*), *Princeps Senatus dictus est, pro eo more, qui integro etiamnum populi in Repub. statu erat receptus*. Tiberius vero Πρόκριτός τε τῆς Γερουσίας, κατὰ τὸ ἀρχαῖον, καὶ ὑφ' ἑαυτοῦ ὠνομάζετο (*f*), *Principem Senatus more antiquo se ipsum vocabat, sæpius dicens, Dominum se servorum, Imperatorem militum*, τῶν δὲ δὴ λοιπῶν Πρόκριτος εἰμί, *Principem ceterorum esse*. Cajus Tiberii successor, Senatui aliquando iratus edixit (*g*), *se neque civem, neque Principem Senatus amplius fore*. Ceteri Imperatores, quoties modestiores apparere voluerunt, invidiamq; aliorum nominum, quæ cum imperio obtinebant, minuere conati sunt, *Principis* nomen antiquitus receptum sibi tribuerunt; idque nomen passim Imperatoribus datum legimus a Scriptoribus. *Principis* itaque nomen, quod in Senatu primæ sententiæ viro, Censorum decreto, stante Repub. dabatur, sublata ipsa Rep. Imperatorum evasit proprium, ita tamen ut majorem inde auctoritatem ac venerationem nomen ipsum adquireret.

Principis nomen evadit proprium Imperatorum.

(a) Liv. ac Dion. citat.

(b) Aul. Gell. Noct. Att. Libro IV. cap. 10. & Lib. XIV. c. 7.

(c) Zonar. Annal. Lib. VII. cap. 19.

(d) Tacit. Lib. I. Annal. in princ.

(e) Dio Cass. in princ. Lib. LIII pag. 496. C.

(f) Id. Lib. LVII. pag. 607 A.

(g) Suet. in Vit. cap. 49.

V. Idem fere accidit *Principis Juventutis* nomini. Quocumque tempore inlustrior *Juventutis* pars Ordo fuit Equestris, adeo ut ab initio Equites, quod notavimus, *Principes Juventutis* nuncuparentur. At plurimum aucta Rep. auctisque tum ceteris militibus, tum etiam Equitibus, omnes, qui equo militabant, *Principes Juventutis* audivisse, non videri probabile, subjunximus; sed aliquibus tantum, iisque opibus & genere clarioribus reservatum hujusmodi nomen, verosimilius arbitrati sumus. Hinc apud Plautum, qui *P. Claudio, L. Porcio*

Principis Juventutis nomen evadit proprium filiorum Imperatorum.

(a) Cicer. de Clar. Orat. cap. 15.
(b) In Amph.
(c) Cap. 2.
(d) Cum Lipsio in Not. ad hunc loc.
(e) Cum Salmas. ibid.
(f) Juxta Spanhem. Diss. XII. pag. 362.
(g) Apud Zonar. Lib. VII. Annal. cap. 19.
(h) Marm. Ancyr.

cio (*a*) *Coſs. mortuus eſt*, anno ſcilicet U. C. DLXX., legimus (*b*): *Amphitruo delegit viros primorum Principes: eos legat Telebois Principes Juventutis*. Ubi non tantum viros *Primos* ſeu *Principes*, ut legerentur *Principes Juventutis*, ſed *Primorum Principes* delegiſſe Amphitruo dicitur, pro eo more, ut videtur, qui apud Romanos tum vigebat; etenim Romæ ſcribebat Plautus. Multo etiam magis poſt hunc Poetam crevit Reſp. & cum ea crevere exercitus, adeo ut ex ſolis primoribus conſtaſſe turmas equeſtres, non ſit vero ſimile. Itaque poſtremis maxime Reip. temporibus aliquid ſpecioſius & inluſtrius, quam purum Equitem importaſſe nomen *Principis Juventutis* nobis videtur. At hoc ipſum ſtatuere nobis non licet; quippe monumentis & rationibus, quæ conſenſum poſcant, deſtituimur. Nec etiam definire nos audemus, utrum unus tantum aut plures fuerint extremis hiſce Reipub. temporibus *Principes Juventutis*. Si nullus eſſet dubitandi locus de his apud Lampridium verbis in vita Commodi (*c*), *Cooptatus inter tres ſolos Principes Juventutis, quum togam ſumpſit*; non unum ſed plures, aliquot ſaltem, adhuc tunc temporis fuiſſe *Principes Juventutis*, argui poſſet; & plures etiam, quam tres ſuperioribus temporibus exſtitiſſe, ex eiſdem verbis deduci poſſet, etiamſi legeretur (*d*) *inter Troſſulos Principes Juventutis*. At ſunt, qui (*e*) reſtituendum ac legendum docent, *cooptatus inter Troſſulos Princeps Juventutis*. Notum eſt, Equites olim dictos fuiſſe *Troſſulos* ab oppido *Troſſulo*, quod ſine peditum opera ſoli expugnaverant. Hinc Iſidori Gloſſæ: *Troſſuli, Equites*; *Troſſulus, Equeſter adoleſcens*. Sed neque mihi conſtat, *Principem Juventutis* eum fuiſſe, qui primus in Equeſtri Ordine legeretur (*f*) a Cenſoribus; quamvis legerim (*g*) conſueviſſe a principio Cenſores in Tribus, in Equeſtrem Ordinem, & in Senatum referre, quos dignos exiſtimabant. Quippe Cajum & Lucium Auguſti Nepotes, non Cenſores ſed *Equites Romani univerſi Principes Juventutis* (*h*) *appellaverunt*. Id tamen mihi conſtat, nomen *Principis Juventutis* ſublata Rep. conferri ſolitum fuiſſe Imperatorum filiis ac deſtinatis imperii heredibus ab ipſis Imperatoribus, quandoque a Senatu, ac forte etiam ab Equeſtri Ordine; idque nomen in his ſignificaſſe ſpem imperii ſucceſſionemque, non vero Ducem primarium Equeſtris ſeu pedeſtris aut utriuſq; ſimul exercitus: quod ex iis, quæ adducturi ſumus, ſatis conſtare poſſe, credimus.

Quum

Cajus & Lucius Augusti Nepotes appellantur Principes juventutis.

Quum igitur Rempublicam discordiis civilibus fessam *nomine Principis* sub imperium accepisset Augustus, subsidia dominationi successoresq; quærens, filiis enim ipse carebat, *genitos* (*a*) *Agrippa Cajum ac Lucium in familiam Cæsarum induxit*; & *nec dum posita puerili prætexta*, PRINCIPES JUVENTUTIS *appellari, destinare Consules, specie recusantis flagrantissime cupivit*. Senatus itaque Populusque Romanus & Equester ordo morem gerentes Augusto, in Cajum & Lucium, quos imperii heredes suspiciebant, honores hujusmodi conferre non distulerunt. *Honoris mei causa*, [scripsit sculptumque (*b*) reliquit ipse Augustus], *Senatus Populusque Romanus annum quintum & decimum agentis Consulis designavit, ut eum Magistratum inirent post quinquennium, & ex eo die, quo deducti sunt in forum, ut interessent consiliis publicis decrevit Senatus*: EQVITES AVTEM ROMANI VNIVERSI PRINCIPEM IVVENTVTIS *utrumq*; PARM*is* ET HASTIS ARGENTEIS DONATVM APPELLAVERVNT. Sic enim suppleri potest ad historiæ nummorumque fidem lacuna, quæ inest in hoc monumento; nam ibi agitur de utroq; Principe Cajo & Lucio, qui & simul occurrunt in nummis togati cum parmis & hastis, quibus Equites universi eos donarunt, & cum epigraghe (*c*) C. L. CAESARES AVGVSTI F. COS. DESIG. PRINC. IVVEN. i.e. *Cajus & Lucius Cæsares, Augusti filii, Consules designati, Principes Juventutis*; & legimus iis defunctis, *parmas & hastas, quas avreas* (*d*) *ab Equitibus, quum virilem togam sumerent, acceperant, in Curia fuisse suspensas* (*e*) : καὶ αἱ πέλται τάτε δόρατα, ἃ παρὰ τῶν ἱππέων ἐς τὰς ἐφήβους ἐσιόντες χρυσᾶ εἰλήφεσαν, ἐς τὸ βουλευτήριον ἀνετέθη.

(a) Tacit. Lib. I. Annal. c. 3.

(b) Marm. Ancyr. ex Busbequio p. 49. Mem. Cosson. & ex Cossonio p. 60. ibid. & Gronov. p. 130. Item ex Spanhem. Diss. XII. pag. 362.

(c) Apud Mediob. pag. 57.

(d) Argenteas ex Marm. Ancyr.

(e) Apud Dion. Cass. Lib. LV. p. 556. B.

In eo autem positum fuisse singularem illum, & quidem, ut de eo Augustus in marmore Ancyrano, HONORIS CAVSA delatum duobus adolescentulis ejus filiis, seu, ut in eodem marmore legitur, ANNVM QVINTVM ET DECIMVM AGENTIBVS, titulum PRINCIPIS JVVENTVTIS liceat quidem Spanhemio (*f*) statuere; quod, quum recepto hactenus in Republica more, unus, qui a Censoribus primus in Equestri Ordine legebatur, *Princeps Juventutis* diceretur, tum primum duo, & quasi omnium illius *adolescentulorum ordinis*, ut de illo Q. Cicero, *nobilissimi*, & quidem ab ipso *universo Equestri Ordine* sint eo nomine appellati. At vero mihi in eo præcipue positum fuisse singularem illum,

(f) Disser. XII. pag. 362.

Spanhemii sententia circa honorem Cajo & Lucio Cæsaribus delatum, de quo Augustus in marmore Ancyrano.

ut de eo Auguſtus ipſe, delatum duobus adoleſcentulis ejus filiis honorem liceat ſtatuere; quod, ut in eodem marmore legitur, *Senatus Populuſq; Romanus* Cajum & Lucium *annum quintum & decimum agentis Conſules deſignavit, & ex eo die, quo deducti ſunt in forum, ut intereſſent conſiliis publicis, decrevit Senatus:* inde etiam, quod *Equites Romani univerſi Principem Juventutis utrumque Parmis & Haſtis argenteis donatum appellaverunt*. Neq; vero ſatis adhuc conſtat, recepto hactenus in Rep. more unum, qui a Cenſoribus primus in Equeſtri Ordine legebatur, *Principem Juventutis* dictum eſſe. Aliunde etiam dici nequit, tum primum duos eo nomine appellatos; nam Cajus triennio ante Lucium dictus eſt *Princeps Juventutis*, uti mox adparebit. Honorem itaque duobus adoleſcentulis Auguſti filiis ab Equeſtri Ordine delatum in eo poſitum fuiſſe, ſtatuere mihi liceat, quod Equites Romani univerſi Cajum & Lucium ante tempus, h. e. annum tantummodo quintum & decimum agentes, *Principes Juventutis*, parmis & haſtis argenteis donatos, appellaverunt: reliqui enim primores Juvenes poſita tantum prætexta, h. e. circa decimum & ſeptimum ætatis annum, minime vero parmis & haſtis argenteis donati, *Principes Juventutis* renuntiabantur. Fidem vero huic adſertioni, præterquamquod lapis ipſe adſtruit, facit etiam Tacitus laudato loco, ubi ſcribit (*a*), *Cajum ac Lucium nec dum poſita puerili prætexta Principes Juventutis appellari flagrantiſſime cupiviſſe* Auguſtum. Dio quoq; laudatus huc referendus, ubi notat (*b*) *parmas & haſtas, quas aureas*, [argenteas dicere debuiſſet], *ab Equitibus, quum virilem togam ſumerent, acceperant* Cajus & Lucius, poſt eorum mortem honoris cauſſa *in Curia fuiſſe ſuſpenſas*.

(a) Lib. I. Annal. cap. 3.

(b) Lib. LV. pag. 556. B. verba græca jam adtulimus.

Caji ac Lucii Principum Juv. honores.

Unus itaque poſt alium, Cajus nempe, qui ætate præcedebat, poſtea Lucius renuntiati ſunt *Principes Juventutis*; at uterque eodem modo, adeoque ab Auguſto aliiſque ſcriptoribus conjuncti. Quare initio anni U. C. DCCXLVIIII. Auguſtus (*c*) *duodecimum Conſul* Cajum toga virili data, in curiam adductum *Principem Juventutis*, Πρόκριτον deſignavit, & Præfectum Turmæ eſſe juſſit: dedit (*d*) & Sacerdotium, utque in Senatum ire, & inter Senatores ſpectaculis epuliſque intereſſe ei liceret, permiſit; quæ omnia conceſſit & Lucio triennio poſt. Itaque *duodecimum & rurſus* (*e*) *tertiumdecimum* Conſulatum *biennio poſt ultro petiit, ut Cajum & Lucium filios ampliſſimo præditus Magiſtratu, ſuo quemq; tyrocinio deduceret in forum.*

(c) Zonar. Ann. Lib. X. n. XXXV

(d) Dio Caſs. Lib. LV. pag. 554. C. D.

(e) Suet. in Aug. cap. 26.

Deſtinatus

Destinatus inde Cajus Cæsar ad legiones, quæ ad Istrum castra habebant, pacis more obiens eas spectavit: bellum enim nullum ab eo tum gestum; non quod bellum nullum ingrueret, sed quia ipse in summa pace ac securitate Principatus artes discebat; belli autem discrimina aliis mandabantur. Quum autem Armenii defecissent, & a Parthis juvarentur, ea re dolens Augustus, quid ageret, ambigebat; nec enim propter senectutem bellum gerere poterat, & Tiberius Rhodum secesserat. Verum urgente necessitate Cajum delegit *potestate Proconsulari* & uxore data, ut ea quoq; re dignitas ejus augeretur, consiliariis etiam eidem adsignatis. Tum hæc illi inter alia cecinit Ovidius (*a*), & ipse Equestris Ordinis: (a) Lib. I. de arte amandi.

Auspiciis annisque Patris puer arma movebis;
Et vinces annis auspiciisque Patris.
Tale rudimentum tanto sub nomine debes,
Nunc Juvenum Princeps deinde future Senum.

Rudimentum imperii dicit Poeta *Principis Juventutis* cognomen: ab eo enim nomine imperii notæ cœperant. Maturata fuerat Cajo & Lucio toga virilis, ac *Principum Juventutis* appellatio, quippe qui tum annum solummodo quintumdecimum adtigerant: ubi vero ad decimumoctavum pervenerunt, in castra de more missi sunt, Cajus quidem ad Istrum atque in Armeniam, Lucius ad Hispanienses exercitus. Ad quos tamen dum iret Lucius, ac Cajus remearet Armenia vulnere invalidus, utrumque mors propera, vel Novercæ Liviæ dolus abstulit, Drusoque pridem extincto, quum Tiberius solus e privignis esset (*b*); *illuc cuncta vergere, Filius, Conlega imperii, consors Tribuniciæ Potestatis adsumitur*. Non tamen *Princeps Juventutis* est dictus; excesserat enim ex Equestri Ordine, *Tribuniciæ* (*c*) *Potestatis consortione æquatus Augusto*, & iterum jam Consul. Germanicus quidem fratris filius, quem adoptatus (*d*) ab Augusto Tiberius coactus est prius ipse adoptare, *Princeps Juventutis* tum audivit; quippe adfert nummum Goltzius (*e*) cum epigraphe DRVSVS ET GERMANICVS CAESARES TI. AVG. F. PRINCIPES IVVENTVTIS.; & Ovidius Germanicum ipsum adloquens, canit (*f*):

(b) Tacit. Lib. I. Annal. cap. 3.
(c) Vell. Lib. II. Hist. cap. 99.
(d) Suet. in Tib. cap. 15.
(e) In Thes. p. 25.
(f) Lib. II. de Ponto Eleg. 5.

Tu Juvenum Princeps, cui dat Germania nomen:
Participem studiis Cæsar habere solet.

Germanicus itaque *a Tiberio* (*g*) *Patruo adoptatus*, *Quæsturam*

(g) Suet. in princ. Vitæ C. Cæs. Aug.

ram quinquennio ante, quam per leges liceret, & post eam Consulatum statim gessit, missusque est *ad exercitum in Germaniam*. Caligula Germanici filius imperium adeptus (*a*) *Tiberium* Tiberii filium *die virilis togæ adoptavit, appellavitque Principem Juventutis*: at paullo post puberem (*b*) hunc Juventutis Principem interfecit, eo crimine oneratum, quod mortem ipsius, dum morbo conflictaretur, optasset atque sperasset. Patruum vero Claudium *Equitem* (*c*) *Romanum ad id tempus*, conlegam sibi in Consulatu adsumpsit, habuitque postea in imperio successorem. Hic *e generis* (*d*) Neronem adoptavit: undecimo autem (*e*) ætatis anno a Claudio adoptatus est Nero. *Tiberio* (*f*) *Claudio* V. *Ser. Cornelio Orfito Coss.* (*g*) *virilis toga Neroni maturata, quo capessendæ Reip. habilis videretur. Et Cæsar adulationibus Senatus libens cessit, ut vicesimo ætatis anno Consulatum Nero iniret; atque interim designatus Proconsulare imperium extra urbem haberet, ac* PRINCEPS JUVENTUTIS *appellaretur*. Itaque EQVESTER (*h*) ORDO PRINCIPI IVVENT*utis* honores omnes exhibuit, nummosque dedicavit. Tum etiam est SACERD*os* (*i*) COOPT*atus* IN OMN*ia* CONL*egia* SVPRA NVMERVM EX S. C. At vero Britannico, Claudii ceteroquin natura filio nihil ex his contigit, quum nec togam virilem sumpserit, nec *Princeps Juventutis* renuntiatus sit; adeoque in nummis solum *Cæsar* (*k*), ΒΡΕΤΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, dictus est.

(a) Id. in eadem Vita cap. 15.
(b) Dio Cass. Lib. LIX. p. 645. C.
(c) Id. Suet. ibid.
(d) Id. in Claud. cap. 27.
(e) Id. in Ner. c. 7.
(f) Tacit. Libro XII. Annal. c. 41.
(g) Ann. U. C. 804. Chr. 51.
(h) Num. apud Mediob. p. 88. 89. Hardu. in Histor. Aug. ad an. Chr. 54.
(i) Num. apud eosd.
(k) Apud Mediob. pag. 87. 88.

Principis Juventutis nomen etiam post Neronem mansit, datumq: est designatis imperii heredibus.

VI. Progenies Cæsarum in Nerone defecit, mansit tamen Cæsarum, sicut & *Principum Juventutis* nomen, quibus nominibus ceteri quoque Augustorum filii imperiique heredes in posterum designari consueverunt. Adepto itaq; imperium Vespasiano, TITVS ET DOMITIAN*us* filii CAESARES & PRINC*ipes* IVVENT*utis* dicti sunt exhibitique in nummis (*l*). Hadriano (*m*) Bajis absumpto, *adhuc Quæstorem & Consulem secum Pius Marcum* Aurelium *designavit, & Cæsaris appellatione donavit & Sevirum turmis Equitum Romanorum jam Consulem designatum creavit, & edenti cum conlegis ludos Sevirales adsedit*, & in Tiberianam domum transgredi jussit, & aulico fastigio renitentem ornavit, & in Conlegia Sacerdotum jubente Senatu recepit: secundum etiam Consulem designavit, quum ipse quartum pariter iniret. Ubi Capitolinus, cujus hæc sunt, scribit *Sevirum turmis Equitum Romanorum creatum fuisse* Marcum, in Excerptis Dionis (*n*) *legitur* Πρόκριτος τῆς ἱππάδος ἀποδει-

(l) E Gaza Medic. apud Spanh. Diss. XII. pag. 353. & apud Mediob p. 120. Hardu. ad an. Chr. 70. in H. A.
(m) Capitol. in Vit. M. cap. 6.
(n) Ex Collect. Const. Porphyr. apud Vales. p. 722

ἀποδειχθεὶς, *Princeps seu Præfectus Equitum creatus*. Commodus vero Marci filius, quum jam tum appellatus (*a*) fuisset Cæsar puer cum fratre suo Vero, XIIII. ætatis anno in conlegium Sacerdotum adscitus, *cooptatus* est *inter tres solos Principes Juventutis, quum togam sumpsit*. Equester itaque Ordo honore omni eumdem excepit, nummosque percussit inscriptos (*b*), COMMODO CAES*ari* AVG*usti* FIL*io* GERM*anico* SARM*atico* EQVESTER ORDO PRINC*ipi* IVVENT*utis*.

(a) Lamprid. in Com. cap. 1. & 2.

(b) Apud Mediob. p. 241. & Hardu. in H. A. ad ann. Chr. 176.

Spanhemius, quum duo hæc loca retulisset, in quibus Marcus *Sevir turmis Equitum Romanorum* creatus, & Commodus *cooptatus inter tres solos Principes Juventutis* dicuntur, adnotat (*c*) *Seviros*, quod vel nomen arguit, sex numero totidem turmis Equitum Romanorum fuisse Præfectos; distinctos vero eosdem juxta lapides antiquos in *Seniores* & *Juniores*, adeo ut tres ex *Junioribus* constarent; qui vulgo tradito e veteri Rep. titulo ac more *Principes Juventutis* dicti. In eo autem seu plurium seu trium conlegio facile credit primas obtinuisse, seu quasi Principum Principem exstitisse filium & successorem Augusti. Quo respexisse etiam ei videtur Curtius, ubi Alexandrum de Philota, Romano more induxit loquentem (*d*): *Equitatui, optimæ exercitus parti, Principibus nobilissimæ Juventutis unum præfeci*. Eminentiss. autem Norisius scribit (*e*), Spanhemium non improbabili ratione ductum, putare tres fuisse turmas equitum *Juniorum* ac totidem *Seniorum*. At vero mihi putasse Spanhemius videtur, ipsos *Seviros* distinctos fuisse juxta lapides antiquos in *Seniores*, & *Juniores*, adeo ut tres e *Junioribus* constarent, qui *Principes Juventutis* dicti; utrum vero probabili ratione hoc putet, judicent alii. Nam *Seviri*, qui juxta lapides antiquos in *Seniores* & *Juniores* distinguuntur, non Equitum turmas, sed alia conlegia, maxime Sacerdotum Augustalium respiciunt; in *Seviris* autem turmarum Equitum nulla *Seniorum* & *Juniorum* mentio. Occurrunt (*f*) quippe *C. Cæsellius Fufidius* VIVIR EQVIT. ROM. TVRMAE PRIMAE, *L. Flavius Septimius* (*g*) SEVIR TVRM. II. EQVIT. RO., *L. Cornelius Severus* (*h*) VIVIR EQ. ROM. TVRMAE III., ac *T. Didius Priscus* (*i*) SEVIR TVRM. V. EQVIT. ROM. & *P. Cœlius Balbinus* (*k*) VIVIR EQVIT. ROMAN. TVRM. QVINT. Neq; vero vestigium ullum adhuc occurrit mihi *Seniorum Juniorumque*

Seviros cum Principibus Juventutis eosdem credit Spanhem.

(c) Diss. XII. pag. 360.

(d) Lib. VI. cap. 9.

(e) In Cen. Pis. Diss. II. c. 3.

(f) Apud Gruter. p. CCCLXXIX. 7.

(g) P. CCCCXII. 2.

(h) P. MXXV. 3.

(i) Pag. MXCIII. 7.

(k) P. CCCXCIII 6.

que Equitum *Sevirorum*. Aliud itaque conlegium, in quod adlectus eſt Marcus; aliud, in quod cooptatus Commodus; illud enim ex ſex Viris conſtabat turmis Equitum Romanorum Præfectis, hoc tres ſolos *Principes Juventutis* habebat. Curtius vero, ubi Alexandrum de Philota Romano more induxit loquentem, *Equitatui, optimæ exercitus parti, Principibus nobiliſſimæ Juventutis unum præfeci*, non filium & ſucceſſorem Auguſti reſpexit, ſed Magiſtrum ſive ſummum Equitum Ducem. Notat quidem eruditiſs. Noriſius (*a*), Tacitum, ubi honores mortuo Germanico decretos recenſet, hæc ſcribere (*b*): *Equeſter Ordo cuneum Germanici appellavit, qui juniorum dicebatur; inſtituitque, uti Turmæ Idibus Juliis imaginem ejus ſequerentur*. Hinc vir Eminentiſs. ſubdit, Equites in *ſeniores* ac *juniores* diviſos Taciti teſtimonio probari; laudat enim hiſtoricus *cuneum juniorum* Equitum. Sane *cuneum juniorum* laudari a Tacito, ego etiam video; at ipſum *cuneum juniorum* dici a Tacito *Equitum* non video. Cuneus, qui *caput quoque porcinum* propter figuram appellabatur, magis proprius erat peditum. Hinc Vegetius (*c*) de eo ita ſcribit: *Cuneus dicitur multitudo peditum, quæ juncta acie prima anguſtior, deinde latior procedit, & adverſariorum ordines rumpit; quia a pluribus in unum locum tela mittuntur; quam rem milites appellant caput porcinum.*

(a) Diſſ. II. de Cen. Piſ. cap. 3.
(b) Lib. II. Ann. verſ. fin. ad ann. U.C. 772. Chr. 19.
(c) Lib. III. de Re Mil. cap. 19.

Principum Juvent. nomen poſt Commodum apud Scriptores & in nummis.

VII. Poſt Commodum occurrit Caracalla, de quo ita Spartianus (*d*): *Quum iret Severus contra Albinum in itinere apud Viminacium filium ſuum majorem Baſſianum, adpoſito Aurelii Antonini nomine, Cæſarem appellavit*. Simul vero *Principis Juventutis* nomen eidem tum indidiſſe, teſtes ſunt nummi cum epigraphe (*e*) M. AVR. ANTON. CAES. PONTIF. PRINCIPI IVVENTVTIS. Quum autem paullo poſt *Cæſarem (f) Filium ſuum Antoninum a Senatu appellari juſſiſſet Severus decretis imperatoriis inſignibus*, cuſi ſunt ei nummi tanquam (*g*) DESTINATO IMPERATORI; inde conlata Tribunicia Poteſtate dictus eſt (*h*) IMPerator CAESar Marcus AVRelius ANTOninus AVGuſtus TRibunicia Poteſtate. Novennis erat Antoninus, quum Cæſar ac *Princeps Juventutis* appellatus eſt anno U. C. DCCCCL. (*i*), quippe qui occiſus die VIII. Aprilis anni U. C. DCCCCLXX. *annos exegerat* XXIX. *ac dies quatuor* (*k*), βιούς τε ἔτη ἐννέα, ϗ εἴκοσι, ϗ ἡμέρας τέσσαρας. Quis itaque ea ætate Ducem, & quidem primarium Equeſtris ſive pedeſtris exercitus, ut ceteroquin Harduinui ac Spanhe-

(d) In Vita Sev. cap. 10.
(e) Apud Mediob. pag. 284. 285. & Hardu. ad ann. Chr. 195. in Hiſt. A.
(f) Spart. in Sev. cap. 14.
(g) Apud Mediob. & Hardu. ibid.
(h) Apud Mediob. ibid.
(i) Vid. Diſs. noſtram de Tr. Pot. num. XXVII.
(k) Dio Caſſ. Lib. LXXVIII. pag. 891. D.

Spanhemii fert opinio, conſtitutum a patre ſibi perſuadeat. Prodit quidem hiſtoria, Severum (*a*) appellaſſe Cæſarem filium Caracallam, *ut fratrem ſuum Getam ab ſpe imperii, quam ille conceperat, ſubmoveret*: ex nummis vero conſtat *Principis Juventutis* titulo imperatoriæ auctoritati Caracallæ auguſtæq; ejuſdem dignitati initium feciſſe Severum. Morbo ſiquidem belliſque, quæ adhuc ingruebant, ipſe conflictatus, quo imperium, ſi quid ſibi accideret, in familia retineret, poſtquam Cæſarem appellavit Caracallam filium natu majorem, mox *Principem Juventutis* declaravit, indeque Imperatorem & Auguſtum. Ita etiam Commodus renuntiatus fuerat *Princeps Juventutis* (*b*) *eo tempore, quo Caſſius a Marco* Patre *deſcivit*. Tunc enim ſibi ac familiæ timens Marcus, heredem imperii deſignavit Commodum; non tamen Ducem conſtituit primarium Equeſtris ſive pedeſtris exercitus, huic officio propter ætatem prorſus imparem. Getam quoque filium natu minorem fecit Cæſarem Severus anno U. C. DCCCCLI, & inde *Principis Juventutis* titulum ei detulit; poſtea Conſulem deſignavit in annum U.C. DCCCCLVIII, ac rurſus in annum DCCCCLXI, quo Tribuniciam quoque Poteſtatem, ac demum Auguſti titulum ei contulit. Quibus ex rebus ſatis intelligimus, Getam quoque *Principem Juventutis* idcirco effectum fuiſſe, ut in proximo Patri faſtigio inde conlocaretur. Cl. Spanhemius, quum ſcripſiſſet (*c*), Commodum *inter Principes Juventutis cooptatum*, qui non plures, quam tres ſoli exſtitiſſe dicuntur, ſubdit, haud inſolitum hunc numerum conligi præterea ex præclaro Getæ nummo, in quo tres figuræ Equeſtres occurrunt cum inſcriptione PRINC. IVVENT., ac nummum ipſum paullo poſt (*d*) exhibet. At conjecturam ſuam mox deſtruit, quum alterius ſubinde (*e*) ejuſdem Getæ nummi meminit, in quo juxta Vaillantium (*f*) celebrem Antiquarium cernuntur quinque Equeſtres figuræ decurrentes, e quibus una ductoris vice fungitur cum inſcriptione PRINC. IVVENT. COS.

De reliquis poſt Caracallam Principibus Juvent.

VIII. Occiſo Caracalla factoque Imperatore Macrino, Diadumenianus hujus filius puer Πρόκριτος τῆς νεότητος, Καῖσάρ τε ἀπεδείχθη (*g*), *Princeps Juventutis & Cæſar renuntiatus eſt* a Senatu. *Signa* (*h*) *in caſtris & vexilla fieri Antoniniana juſſit* Pater, & inter ea filium repræſentari cum titulo (*i*) PRINC. IVVENTVTIS; non quidem ut Ducem Equeſtris aut pedeſtris exercitus illum, *puerulum* (*k*) adeoque imparem conſti-

(a) Spart. in Vit. cap. 10.
(b) Lamprid. in Com. cap. 2.
(c) Diſs. XII. pag. 360.
(d) Pag. 364.
(e) Pag. 363.
(f) De Præſtant. Num. p. 41. P. II.
(g) Dio Caſſ. Lib. LXXVIII. pag. 895. D.
(h) Lampr. in Diadum. c. 3.
(i) Apud Mediob. Vaill. & Hard.
(k) Lamprid. in Diadum. cap. 2.

tueret, ſed, ut ipſe Macrinus milites adloquens fatetur, (a) quo *diu Principem haberent*. Hinc paullo poſt Tribunicia Poteſtate, Imperatoris & Auguſti titulis (b) decoravit. Maximus Cæſar *Princeps Juventutis* occurrit in nummis, a Maximino Patre renuntiatus. Philippus junior, quum octavo ætatis anno *Princeps Juventutis* deſignatus ſit, arma quidem tum videre potuit, ſed non tractare. Mox vero Tribunicia Poteſtate ornatus eſt, inde Imperator & Auguſtus, nonniſi decimum aut undecimum annum agens, eſt dictus: plures enim ejus nummi cum titulo *Auguſti* occurrunt, quum tamen *Romæ* (c) *occiſus ſit agens vitæ annum duodecimum*. Ex Decii autem filiis, iiſdemque *Principibus Juventutis*, Her. Etruſcus natu major cum Patre ad bellum profectus eſt, natu vero minor Hoſtilianus Romæ relictus, & uterque, ille quidem in caſtris a Patre declaratus, hic domi Imperator factus eſt. Nam Decii & Etruſci mortem ubi Patres comperere, *Gallo* (d) *Hoſtilianoque Auguſta imperia, Voluſianum Gallo editum Cæſarem decernunt*: Tunc Voluſianus *Princeps Juventutis* (e) dictus eſt: inde vero Pater conſortem imperii Auguſtumque fecit. Imperante Gallieno duo exſtiterunt *Principes Juventutis*, Saloninus filius, & frater Valerianus, quorum hic illi ſuperſtes imperium a fratre demum conſecutus eſt. Carinus vero & Numerianus Cari Imperatoris *liberi* (f) *Cæſares nuncupati ſunt* & *Principes* (g) *Juventutis*. Caro autem fulmine interempto uterque filius in imperio ſucceſſit. Auguſtus inde appellatus Diocletianus, poſtquam conlegam adſcivit Maximianum Herculium, Cæſares ac *Principes Juventutis* renuntiavit Conſtantium Chlorum & alterum Maximianum, cui cognomen Armentarii fuit. *Conſtantii, vere Principis Juventutis, incredibilem erga juventutem Galliarum ſuarum ſollicitudinem atque indulgentiam mirari* ſe ſatis nequire, dixit Eumenius (h). Cedentibus poſtea imperio illis hiſque ſuccedentibus, Severus & Maximinus Cæſares *Principeſque Juventutis* pronuntiati ſunt; inde Conſtantinus Chlori filius, qui ſuſcepto poſtea imperio Delmatium fratris filium, & Criſpum, Conſtantinum, Conſtantium, atque Conſtantem filios, Cæſares ac *Principes Juventutis* appellavit; ac tum *Principis Juventutis* cognomen finem habuit.

(a) Apud eumd. in Diad. cap. 1.
(b) Num. apud Mediob. & Hard.
(c) Vict. jun.
(d) Vict. de Cæſ.
(e) Apud Mediob. & Hardu.
(f) Vopiſc. in Vit. Carin. c. 7.
(g) In num. apud Mediob. Hardu. & al.
(h) Orat. pro reſtaur. ſchol. c. 6.

De Principis Juventutis nomine ac ſignificatione opinio Auctoris.

VIIII. His ita explicatis aperienda clariuſque promenda eſt noſtra, quæcumque illa ſit, de *Principis Juventutis* nomine opinio, eaque docti atque benigni Lectoris judicio ſubjicienda.

Nomen

Nomen ipſum reſpicere *Juventutem* Equeſtris Ordinis, dictum eſt ſupra: nunc de Equeſtri Ordine ſunt aliqua in primis notanda. *Annuli plane medium* hunc *Ordinem tertiumque plebi & Patribus inſeruere: ac, quod antea militares Equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ Judices tribuunt*, inquit Plinius (*a*). Nec pridem id factum ſubdit; nam „ Divo Auguſto, [ſunt ejus verba], „ decurias ordinante, major pars Judicum in ferreo annulo „ fuit; iique non *Equites*, ſed Judices vocabantur. *Equitum nomen ſubſiſtebat in turmis Equorum publicorum*. Judicum quoque nonniſi quatuor decurias fuiſſe primo, eaſque pluribus diſcretas nominibus, Tribunorum æris, & Selectorum, & Judicum, atque Nongentorum docet (*b*). *Tiberii demum* (*c*) *principatus nono anno in unitatem venit Equeſter Ordo, annulorumque auctoritati forma conſtituta eſt, C. Aſinio Pollione, C. Antiſtio Vetere Coſs. anno* U. C. DCCLXXV. (*d*). „ Judicum autem ap- „ pellatione ſeparari eum ordinem, primi omnium inſtituere „ Gracchi diſcordi popularitate in contumeliam Senatus, mox „ ea debellata, auctoritas nominis vario ſeditionum eventu cir- „ ca Publicanos ſubſtitit; & aliquandiu tertiæ vires Publica- „ ni fuere. *M. Cicero demum ſtabilivit Equeſtre nomen in Conſulatu* (*e*) *ſuo, ei Senatum concilians, ex eo ſe Ordine profectum eſſe celebrans, ejuſque vires peculiari popularitate quærens*. „ Ab illo „ tempore plane hoc tertium corpus in Rep. factum eſt, cœ- „ pitque adjici Senatui Populoque Romano & *Equeſter Ordo*. „ Qua de cauſſa & nunc poſt Populum ſcribitur, quia noviſ- „ ſime cœptus eſt adjici ". Hucuſq; Plinius (*f*). Ipſe porro Equeſter Ordo in *Seniores Junioreſque* diſtinguebatur, prout hoc etiam notavimus; quod teſtimonio Q. Ciceronis, ubi de petitione Conſulatus ad Marcum fratrem ſcribit, confirmare placet. *Jam Equitum*, inquit, *centuriæ multo facilius diligentia teneri poſſe videntur. Primo cognoſcendi ſunt* Equites; *deinde adipiſcendi; multo enim facilius illa* adoleſcentulorum *ad amicitiam ætas adjungitur: deinde habebis tecum ex* Juventute *optimum quemque ſtudioſiſſimum humanitatis. Tum* Equeſter Ordo *ſequetur illius auctoritatem Ordinis. Jam ſtudia* adoleſcentulorum *in ſuffragando, in obeundo, in nuntiando, in affectando mirifice & magna & honeſta ſunt*. Ita in *Equeſtri Ordine* Juvenes primas veluti partes tuliſſe, animadvertit etiam Noriſius (*g*), ut eorum tantum gratiam Ciceroni pro obtinendo Conſulatu aucupandam ſuaſerit, qua quidem ſemel inita, *Seniorum Equitum* ſuffra-

(a) Lib. XXXIII. cap. 1.

(b) Eod. Lib. c. 2.

(c) Ibidem.

(d) Varron. 776. Chr. 23.

(e) An. U. C. 691.

(f) Eod. cap. 2. Lib. XXXIII.

(g) Diſs. II. de Cen. Piſ. cap. 3.

gia a *Junioribus* levi opera captata fuissent. Dicitur etiam a Valerio Max. (*a*) *Equestris Ordinis Juventus* omnibus annis bis urbem spectaculo sui celebrasse die Lupercalium & Equitum probatione. Quibus locis exaratis, tum etiam illo Persei Regis Macedoniæ, a nobis quoque ex Livio descripto, colligit vir Eminentissimus *pro eodem accipi, esse Principem Juventutis ac Principem Equitum*. At nos, quemadmodum inter *Seniores* ac *Juniores* Equites cum ipso Norisio distinguimus, ita etiam inter *Principem Seniorum Equitum* & *Principem Juventutis* distinguendum credimus. Quare *Principem Seniorum Equitum* intelligimus eum, qui in Equestri eoque medio inter Senatum ac Plebem Ordine præcellebat; *Principem* vero *Juventutis* interpretamur eum, qui inter *Juvenes* Equestris Ordinis eminebat. Equestris Ordinis in *Seniores*, seu qui judicia & civilia alia Reipub. munia obibant, & in *Juniores*, qui militiæ præsertim studebant, distinctio in aperto est. Ex ea porro etiam distinctio *Principis Seniorum Equitum*, ac *Principis Juventutis* oritur, ita ut utrique classi suus esset principatus. Notandi itaque sunt ac distinguendi, ni nos fallimur, inter se *Principes Seniorum Equitum* ac *Principes juventutis*; illi enim civilibus potius, hi potius militaribus officiis incumbebant. Senatorii & Equestris Ordinis pueri ludos litterarios frequentabant (*b*); adolescentes autem facti equos & arma tractare discebant. Hinc in Equestrem Ordinem XVII. aut XVIII. ætatis anno adlegebantur; ac sæpius ad exercitus mittebantur, & Præfecturas in castris, maxime post Augustum fere obtinebant; donec tempus adveniret petendis Magistratibus urbanis statutum. Ac tum, si placebat, ad Vrbem redibant, & qui erant Senatorii Ordinis, in Senatum, si merebant, adscribebantur; illi vero Equestris Ordinis ad hujus officia admovebantur. Jam, si quis Eques negotiis obeundis clarus evaserat (*c*), in Ordinem quoque Senatorium recipiebatur.

Quemadmodum itaque Senatus habebat, ut vidimus, suum Principem, ita etiam Equestri Ordini atque *Juventuti* suos fuisse Principes, animadvertimus. Et, ut a laudatis testimoniis incipiamus, Livius, ubi Perseum Romano more loquentem inducit (*d*), distinguere videtur inter Equites *Principes Juventutis* & Equites *Seminarium Senatus*, illorum scilic. nomine Principes militares, hoc autem eos, qui munia gerebant civilia, designans. Cicero Brutum vocat *Principem jampridem Juventutis*

nempe

(a) Lib. II. cap. 2.

(b) Vid. Dion. Cass. Libro LII. pag. 481. C. D. & pag. 477. C.

(c) Id eod. Libro pag. 481. C.

(d) Lib. XLII. cap. 61.

nempe militaris, *celeriter, ut ſperat, Civitatis*, ſcilicet Equeſtris Ordinis, & ad majora evehendum. Torquatum vero adoleſcentem appellat nedum *Principem Juventutis*, ſed etiam *Signiferum*. Ita quoque Atticum *equitatus Signiferum* ac *Principem* nominat. Vellejus (*a*) Sejanum Ælium *Principe Equeſtris Ordinis patre natum* fuiſſe ſcribit. En *Princeps*, non Senatus aut Juventutis, ſed *Equeſtris Ordinis*. Cajum vero & Lucium Auguſti nepotes *Equites Romani univerſi*, id eſt, totus Equeſter Ordo, ſeu Seniores Junioreſque ejuſdem Ordinis *Principes Juventutis appellaverunt*. Et obſervandum, *parmis & haſtis argenteis* eoſdem donatos eſſe, arma ſc. tractare & militiæ officiis adſueſcere Juventus Equeſtris Ordinis ſolebat. Non itaq; *Equeſtris Ordinis*, ſed *Juventutis Principes* tunc facti ſunt Cajus & Lucius. Hinc Zonaras (*b*) Πρόκριτον τῆς νεότητος, *Principem Juventutis* Cajum renuntiatum fuiſſe ſcribit. Ιλαρχόν τε φυλῆς, *alæ* tamen, ſive *turmæ Equitum* mox præfectum ab Auguſto tradit; eoſdemque honores conlatos poſtea Lucio fuiſſe ſubdit. Cajo itaque *Juventutis Principi* principatum Senatus totiuſq; ſimul imperii augurabatur Ovidius, quum canebat (*c*):

Nunc Juvenum Princeps, deinde future Senum.

Reliquos Imperatorum filios deſignatoſq; imperii heredes factos legimus *Principes Juventutis*, ſi unum excipias Marcum Aurelium, qui *Sevirum turmis Equitum* creatum invenimus. At enim aliquid amplius, quam *Principis Juventutis* titulus ei certe debebatur, utpote qui jam *Quæſtor* fuerat (*d*), eratque tum *Conſul deſignatus*. Notandum porro eſt, Marcum in Excerptis Dionis (*e*) tum dici non quidem *Principem Juventutis*, ſed Πρόκριτον τῆς ἱππάδος, *Principem Equitatus*, & e contra non *Equitum Princeps*, ſed Πρόκριτος τῆς νεότητος, *Princeps Juventutis* factus a Senatu Macrini filius Diadumenianus puer ab eodem Dione dicitur (*f*). Diſtinguebat quippe hiſtoricus, immo Senatus & Equeſter Ordo, tum etiam Imperatores diſtinguebant inter *Principem Seniorum* & aliorum *Equitum* & *Principem Juventutis*; quemadmodum diſtinguebant & ætatem. Junioribus enim titulus *Principis Juventutis* congruebat, ætate vero ac gradibus provectioribus ille *Principum* Equitum aut alius. At titulus *Principis Equeſtris Ordinis* poſt Sejani patrem non occurrit mihi, nec vero ad rem noſtram neceſſarius: *Principes* enim *Juventutis*, de quibus nos quærimus, mox ut ætas ferebat, in Senatum adlegebantur; erant quippe Seminarium Senatus

(a) Lib. II. verſus finem.

(b) Lib. X. Annal. cap. 35.

(c) Lib. I. de Arte amandi.

(d) Capitol. in Vit. cap. 6.

(e) Apud Valeſ. pag. 722.

(f) Li. LXXVIII pag. 895. D.

Senatus: nec detineri se sustinebant in Equestri Ordine, utpote in quo erant etiam Publicani (*a*) & negotiatores, aliique inferioris notæ homines.

(a) Plin. laud. pag. 107 huj. Animad. & Cicero ad Q. Frat. Ep. 1. Lib. I.

Summa eorum, quæ de Principe Juventutis dicta sunt.

Ex hucusque traditis conligimus, *Principum Juventutis* nomine primis imperii Rom. subsecutisque temporibus designatos esse primos, seu primores militiæ Juvenes, & ita appellatos fuisse omnes Equites, seu qui equo publico militabant; aucto postea imperio auctisque exercitibus reservatum esse id nomen solis genere & pecunia inlustrioribus Juvenibus; ex quo autem datum est Cajo & Lucio Augusti Nepotibus moxq; aliis Augustæ domus viris præcipuis, evasisse titulum imperii heredum, adeoque Imperatorum filiis designatisque successoribus dari exinde consuevisse. Utrum autem potentiam aliquam inveheret, & utrum præter Imperatorum filios aliis etiam concederetur id nomen, pronuntiare non audemus, maxime quum locus ille (*b*), ubi Commodus *cooptatus* dicitur *inter tres solos Principes Juventutis*, adhuc sub judice sit; & ipsum *Principis Senatus* nomen sub *Augustis* datum aliquando privatis legatur (*c*).

(b) Apud Lampr. in Vit. cap. 2.

(c) Apud Trebell. Poll. in Valer. c. 1. & apud alios.

Principis Juvent. nomen aliquando cum illo Augusti retentum aut adscitum post Imperium

X. Ita porro crevit *Principis Juventutis* nomen, ex quo Augustorum filiis imperiique heredibus tribui consuevit, factumque est illud adeo celebre, ut inde aliqui cum titulo *Augusti* illud retinuerint, & alii post imperium admiserint. Primus, nisi error insit in nummis, comparet (*d*) IM. CAES. DOMITIANVS AVG. P. M.)(PRINCEPS IVVENTVTIS; & rursus (*e*) IMP. CAES. DOMITIANVS AVG.)(PRINCIP. IVVENT. Deinde exhibetur a Mediobarbo (*f*) ex Hulsio *Antoninus Diadumenianus* Macrini filius IMP*erator* nempe simul & PRINC*eps* IVVENTVTIS; inde Philippus (*g*) Junior IMP*erator* AVG*ustus* unaque PRINCEPS IVVENT*utis*. Sequitur (*h*) C. Valens Hostilianus Mes. Quintus AVG*ustus* & PRINCEPS IVVENTVTIS. Tum Volusianus, cujus nummi & quidem plures cum titulis IMP*eratoris* & AVG*usti* unaque cum illo PRIN*cipis* IVVENTVTIS ab eodem Mediobarbo (*i*) & Bandurio (*k*) describuntur. Inde apud eosdem occurrit Valerianus junior, Numerianus & Carinus, Maxentius, Maximianus junior, ac demum Constantinus (*l*) Magnus. Ii vero, qui, quum *Principes Juventutis* antea non fuissent, post imperium cognomen hoc admiserunt, sunt Tetricus (*m*), Florianus (*n*), & Probus (*o*).

(d) In Mus. Theupol. pag. 154.
(e) Pag. 436.
(f) Pag. 308.
(g) Pag. 350.
(h) Pag. 357.
(i) Pag. 362.
(k) Tom. I. Num. Impp. p. 82. 85. 91.
(l) Beger. To. II. seu in Continuat. Thes. Brandem. pag. 800.
(m) Apud Band. Tom. I. p. 404.
(n) Pag. 436.
(o) Pag. 472. 491. & apud Mediob. pag. 413.

ANIMAD-

ANIMADVERSIO VI.

DE

CONSULE.

I.  Imperium (*a*) Romanum, quo neque ab exordio ullum fere minus, neque incrementis toto orbe amplius humana poteſt memoria recordari, a Romulo exordium habuit. quumque Romæ (*b*) regnatum eſſet per ſeptem Reges, annis ducentis quadraginta quatuor, exactis Regibus, hinc (*c*) Conſules cœpere pro uno Rege duo hac cauſſa creari, ut ſi unus malus eſſe voluiſſet, alter eum, habens poteſtatem ſimilem, coerceret. Et placuit, ne imperium longius, quam annum unum haberent, ne per diuturnitatem poteſtatis inſolentiores redderentur; ſed civiles ſemper eſſent, qui ſe poſt annum ſcirent futuros eſſe privatos. *Libertatis autem originem inde magis, quia annuum Imperium Conſulare factum eſt, quam quod diminutum quidquam ex regia poteſtate numeres*, inquit Livius (*d*): *omnia jura, omnia inſignia primi Conſules tenuere*. Conſules itaque (*e*), quamdiu in urbe erant, omnia, quæ publice fiebant, in poteſtate habuerunt. Omnes reliqui Magiſtratus præter Tribunos Conſulibus obnoxii erant, eiſque paruerunt. Hi legationes in Senatum inducebant: iidem, quoties deliberari aliqua de re uſus poſtulaſſet, referendi jus habuerunt, eratque in eorum manibus Senatuſconſulta conficiendi totum negotium: præterea publicæ omnes actiones, quæ per Populum fieri debebant, ad curam horum pertinuerunt. Item advocare conciones, rogationes ferre, e ſuffragiis majoris partis populi legem aut plebiſcitum condere. Inſuper belli adornandi, gerendi, & omnia, quæ ad expeditionem pertinebant, adminiſtrandi poteſtatem propemodum abſolutam Conſules habuerunt; nam & auxiliaribus ſociorum copiis imperare, quod viſum fuiſſet, & Tribunos militum conſtituere, & conſcribere exercitum, & delectus agere, Conſulibus licebat. Accedebat, quod jus habuerunt animadvertendi, in quemcumque voluiſſent, ex omnibus, qui in bello ipſis parebant. Poterant etiam iidem de publicis pecuniis, quantum libuiſſet, inſumere, comitante Quæſtore, & prompte,

Conſulum origo & poteſtas.
(a) Eutrop. in princ. ſui Breu. Hiſt.
(b) Id. cap. 8.
(c) Cap. 9.
(d) Lib. II. cap. 1.
(e) Polyb. in Excerptis Lib. VI. c. 10.

quiquid

quidquid fuiſſet juſſus, exſequente: ut merito dicat aliquis, hanc partem intuens, Rempub. Romanam plane Monarchicam ac Regiam fuiſſe.

Cum Dictatura & imperio Conſulatus conjunctus.

II. Præſtabant itaque Conſules auctoritate ac dignitate reliquis omnibus Reipub. magiſtratibus; nec niſi Dictatori, ſi quando creabatur, cedebant; in extremis enim Reipub. periculis Dictatorem eligere, eique ſummum imperium, certo tamen temporis ſpatio definitum, conferre Conſules ipſi conſueverunt. Porro (*a*) inter Dictatorem & Conſules hæc erat differentia; Conſulum utrumque duodenæ ſecures ſequebantur, Dictatorem quatuor & viginti: & illis quidem ad multa perficienda, quæ propoſuiſſent, Senatus auctoritate opus erat; hic ſui plane juris erat imperator, quo ſemel renuntiato, extemplo omnes reliqui magiſtratus, Tribunis exceptis, poteſtate exibant. Dictator (*b*) creatus Sulla, [cujus honoris uſurpatio per annos CXX. intermiſſa, nam proximus poſt annum, quam Hannibal Italia exceſſerat; ut adpareat Populum Romanum uſum Dictatoris non tam deſideraſſe, quam timuiſſe poteſtatem imperii, quo priores ad vindicandam maximis periculis Rempub. uſi fuerant], immodicæ crudelitatis licentia uſus eſt, & Conſulatum ſibi ad Dictaturam præter morem adjici paſſus eſt. Anno itaque U. C. DCLXXIIII. Σύλλας καίπερ ὢν Δικτάτωρ, ἐς ὑπόκρισιν ὅμως καὶ σχῆμα δημοκρατικῆς ἀρχῆς, ὑπέστη καὶ Ὕπατος αὖθις γενέσθαι σὺν Μετέλλῳ τῷ Εὐσεβεῖ· καὶ ἀπὸ τοῦδε ἴσως ἔτι νῦν οἱ Ῥωμαίων Βασιλέες, Ὑπάτους ἀποφαίνοντες τῇ πατρίδι, ἔστιν ὅτε καὶ ἑαυτοὺς ἀποδεικνύουσιν· ἐν καλῷ τιθέμενοι μετὰ τῆς μεγίστης ἀρχῆς καὶ ὑπατεῦσαι (*c*): *Sulla, quamvis Dictator, tamen ad repræſentandam aliquam Reip. formam ſuſtinuit Conſul iterum fieri, conlega Metello Pio. Et hinc forte mos tractus eſt, ut nunc quoque*, [ita ſcribit Appianus (*d*)], *Romani Imperatores, penes quos eſt creatio Conſulum, ipſimet eum honorem adſumant, rem pulchram ducentes ſummum Imperium cum Conſulatu* conjungere. Sullæ exemplum imitatus Julius Cæſar *recepit continuum* (*e*) *Conſulatum perpetuamque Dictaturam; attamen tertium* (*f*) *& quartum Conſulatum titulo tenus geſſit, contentus Dictaturæ poteſtate decretæ cum Conſulatibus ſimul.* Itaque DIC*tator* TER*tium* CO*n*S*ul* III. proceſſit anno U. C. DCCVIII (*g*); inde CO*n*S*ul* QVART*um* (*h*) & ſimul DICT*ator* QVART*um*; ac demum CO*n*S*ul* QVINT*um* (*i*) & DICT*ator* PERPETVO exhibetur. Quum autem (*k*) nomen ejus imperii, quo omnis penes unicum aliquem eſſet poteſtas,

(a) Polyb. Hiſt. Lib. III. cap. 87.
(b) Vellej. Libro II. cap. 28.
(c) Appian. Lib. I. Bell Civil. p. 690. alias 414.
(d) Hadriano & Pio Impp. floruit.
(e) Suet. in Vita cap. 76.
(f) Id. ibid.
(g) Dio Caſſ. init. Libr. XLIII. pag. 214.
(h) Apud Mediob. pag. 6.
(i) Apud eumd. pag. 6.
(k) Dio Caſſ. Lib. LIII. p. 507. 508.

potestas, adeo invisum Romanis foret, ut ne Dictatorem quidem nominare sustinerent, ubi ad Imperatores summa Reip. relata est, hi, ne viderentur ex potentia potius, quam legibus imperium habere, omnia, quæ in populari forma Reip. multum valuerant, Senatu Populoque volentibus, ea cum ipsis nominibus in se recipiebant, excepta Dictatura: Ὕπατοί τε γὰρ πλειστάκις γίγνονται (*a*): *Consules itaque facti sunt sæpenumero*. Quapropter Julianus Augustus, quum dixisset Imperatores alias quidem Reipub. dignitates abolevisse, alias vero retinuisse, de Consulatu ait: (*b*) Μόνης δὲ οἶμαι, ταύτης οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ὑπερεῖδον· χαίρουσι δὲ καὶ πρὸς ἐνιαυτὸν τυγχάνοντες καὶ οὔτε ἰδιώτης, οὐδὲ Βασιλεὺς ἔστιν ἢ γέγονεν, ὃς οὐ ζηλωτὸν ἐνόμισεν Ὕπατος ἐπονομασθῆναι. *Illam vero solam dignitatem neque ab initio contempserunt, eaque etiam ad annum unum adsumpta gaudent; nec est, aut fuit umquam privatus ullus vel Imperator, qui non eximium aliquid putaverit Consulem appellari*. Testes quoque hujus rei præter Fastos atque Scriptores habemus nummos & lapides.

(a) Id. Dio Cass. ead. pag. 508. A.

(b) Orat. III. pag. 108.

Consulum suffectorum origo.

III. Non tamen *Consulatum* perpetuum, qualem Cæsar recepit, gerere Imperatores consueverunt; sed contenti Consulari potestate, eaque perpetua cum imperio simul decreta, sæpe ac passim aliis honorem reliquerunt *Consulatus*. Julius ipse Cæsar, quum omnes magistratus ejus potestati etiam plebejos permisissent, Ὕπατον αὐτὸν ἐπὶ δέκα ἔτη, ὥστε καὶ Δικτάτωρα πρότερον, προεχειρίσαντο (*c*), *ipsumque Consulem ad decennium continuum, sicut ante Dictatorem constituissent*, & alia plura ob devictos Pompeji filios in ejus honorem decrevissent, *Consulatum* „ antequam „ urbem intraret, occepit [*Kalendis Januariis anni* U. C. DCCIX]; „ non autem toto anno gessit, sed, postquam in urbem venit, „ eo se abdicavit, Consulesq; fecit Q. Fabium ac C. Trebo- „ nium: Fabioque extrema magistratus sui die mortuo, sta- „ tim in residuas horas C. Caninium substituit". Qua in re dupliciter prævaricatum a Cæsare contra instituta majorum scribit Dio (*d*) „ quod Consulatus non toto anno, neq; omni „ reliquo anni tempore gestus est, sed ipse vivus, ac neque le- „ gibus patriæ, neq; ob aliquam culpam eo se abdicavit, alium- „ que subrogavit; deinde, quod is Caninius simul & Consul „ creatus est, & gessit magistratum, & deposuit. Quod Cicero „ cavillatus, tanta virtute ac vigilantia *Consulem* eum in suo ma- „ gistratu usum dixit, ut ne brevissimum quidem in eo somnum „ admiserit. Verum ab eo tempore cœptum est, ut perpauci

(c) Dio Cass. Lib. XLIII. p. 236. A. B.

(d) Ibid. C. D.

„ toto anno *Consulatum* gererent, sed alii pauciores, alii plures „ menses, diesque, prout casus tulisset, eo magistratu fungerentur ". Hinc idem Dio (*a*), qui imperante Alexandro floruit, scribit „ suo tempore neminem, neque ad integrum „ annum, neque amplius ut plurimum duobus mensibus cum „ conlega aliquo *Consulem* fuisse, in ceteris tamen ab antiquo „ more *Consules* nihil discrepasse ". Ad historiæ itaq; seriem explicandam Consules illos se ponere subdit (*b*), qui primi Magistratum obtinuerunt, quique ordinarii dicti sunt, tametsi nihil ad res historicas conferant: ex aliis autem, suffectis scilicet, eos se nominare testatur, quorum mentio facienda necessario propter res ipsas fuit. Hinc, quum duplicem Consulatum ipse gesserit, primum suffectum, alterum ordinarium, hujus tantum meminit (*c*), conlegam se Sev. Alexandri, anno nempe U. C. DCCCCLXXXII. fuisse scribens. Cæsar itaque ex Dione *quartum*, ex Suetonio (*d*) vero etiam *tertium* Consulatum titulo tenus gessit, contentus Dictaturæ potestate decretæ cum Consulatibus simul, atque utroque anno U. C. DCCVIII, & DCCVIIII. *binos Consules substituit sibi in ternos novissimos menses*. Anno subsequenti (*e*) Cæsar *Consul quintum* fuit, adsumpto conlega Antonio, ac pro se (*f*) Dolabellam Consulem esse jussit, Antonio Consulatum ad finem usque ejus anni gesturo. Post Cæsarem Augustus & plures Consulatus, & Consularem potestatem (*g*) perpetuam accepit. Primum *Consulatum* (*h*) *vigesimo ætatis anno* [U. C. DCCXI.] *invasit: secundum post* IX. *annos, tertium anno interjecto gessit; sequentes usque ad undecimum continuavit. Multisque mox, quum deferrentur, recusatis, duodecimum, magno, id est septemdecim annorum intervallo, & rursus tertiumdecimum biennio post ultro petiit, ut Cajum & Lucium filios amplissimo præditus magistratu suo quemque tyrocinio deduceret in forum*. „ Quinque medios *Consulatus* a sexto ad undecimum „ annuos gessit; ceteros autem sex, aut novem, aut sex, aut „ quatuor, aut tribus mensibus, secundum vero paucissimis horis; nam die Kalendarum Januarii, quum mane pro æde „ Capitolini Jovis, paullulum curuli sella præsedisset, honore abiit, suffecto alio in locum suum. Nec omnes Romæ, „ sed quartum *Consulatum* in Asia, quintum in Insula Samo, „ octavum & nonum Tarracone iniit ". Porro successores, si unum & alterum excipias, hunc Consulatuum numerum non excesserunt. Artaxatis a Corbulone captis, consalutatus est

(a) Ibid.
(b) Pag. 237. A.
(c) Lib. LXXX. pag. 917. C. 918. C.
(d) In Vita c. 76.
(e) Dio Cass. Lib. XLIII. p. 238. B.
(f) Id eod. Libro pag. 240. A.
(g) Id. Lib. LIII. pag. 527. E.
(h) Suet. in Vita cap. 26.

eſt (*a*) Imperator Nero, & Senatuſconſulto ſupplicationes habitæ, decretique inter alia *continui Conſulatus* Principi; at hos non recepit Nero, nam vix unum & alterum, & hunc ſuffectum poſtea iniit. Vitellius etiam *ordinavit* (*b*) *ſe perpetuum Conſulem*; at, antequam Conſulatum occiperet, vitam cum imperio amiſit. Veſpaſianus quoque, qui ipſum excepit, ordinaſſe ſe perpetuum *Conſulem* pæne videtur, quum decem, quibus imperavit annis, Conſulatus octo (*c*) ſuper priſtinum geſſerit. Titus ſimiliter *eidem conlega* (*d*) *in ſeptem Conſulatibus fuit*; poſteaque octavum iniit. Domitianus vero *Conſulatus* (*e*) XVII. *cepit, quot ante eum nemo*. Theodoſius tamen junior illum ſuperavit, quippe qui XVIII. (*f*) geſſit. Honorius Conſulatibus XIII. Auguſtum æquavit. Ad decem pervenit Maximianus Herculius, atque Conſtantius; Diocletianus novem geſſit, ac Conſtantinus M. octo: reliqui ſeſe infra tenuerunt, quamvis annos multos aliqui ex eis imperaverint. Nam Antoninus Pius viginti tribus annis, nonniſi quatuor Conſulatus accepit; Hadrianus vero, & M. Aurelius, quorum ille ſupra viginti annos imperium tenuit, hic decem & novem, nonniſi tres geſſerunt *Conſulatus*. Elagabalus autem (*g*) Conſulatui, qui jam ante geſtus erat, nomen ſuum Macrini loco ſubſtituit; quum nec Conſul deſignatus fuiſſet, nec Conſulatum illum aliqua ex parte adtigiſſet.

(a) Tac. Lib. XIII Annal. cap. 41.
(b) Suet. in Vit. cap. 11.
(c) Faſt. & num. apud Mediob.
(d) Suet. in Tito cap. 6.
(e) Suet. in Vit. c. 13. Faſt. & num.
(f) Faſt. & num.
(g) Dio Caſſ. Lib. LXXIX. p. 909. E.

Conſulatus ſuffecti cum ordinariis connumerari ſolebant.

IIII. Paſſim itaque in nummis Imperatorum & lapidibus occurrit *Conſulum* titulus, & quidem pro numero geſtorum Conſulatuum multiplicatus. At illud animadvertendum, non illos tantum Conſulatus, quos in imperio geſſerunt, verum etiam quos antea acceperant, ſive ordinarii fuerint ſive ſuffecti, connumerare Auguſtos, ſicut & ceteros conſueviſſe. Suffecti igitur, quum nomen non darent anno, in Faſtis & Hiſtoria, quæ per *Conſules* texebatur, non nominabantur; at vero, ſi ordinarii poſtea evadebant, aut etiam alios Conſulatus ſuffectos gerebant, Conſulatuum numerum multiplicabant. Sic ex. gr. Auguſtus, quum anno U. C. DCCXI in locum (*h*) Panſæ & Hirtii cum Q. Pedio Coſ. ſuffectus eſſet, ac tum primum (*i*) Conſulatum die decima nona Auguſti iniiſſet, ubi poſtea Kalendis Januariis anni U. C. DCCXXI Conſulatum ordinarium accepit, *Conſul iterum* (*k*) eſt dictus. Cajus quoq; Conſulatum ſuffectum cum aliis, quos ordinarios ſuſcepit (*l*), connumeravit; & ita fecerunt reliqui Imperatores.

(h) Faſt. Conſ.
(i) Dio Caſſ. Lib. LVI. pag. 590. A.
(k) Id. Lib. XLIX p. 417. D. Faſt. & num. apud Mediob. pag. 25.
(l) Faſt. ac num. apud Mediob. p. 78.

Consulatus suffectos in nummis sæpe & inscriptionibus omissos docet Pagius.

(a) Diss. Hypat. P. I. cap. 7. num. III.

(b) Ibid. nu. IV.

V. Sæculo, quo Aurelianus imperavit, *Consulatus* suffectos sæpe in nummis & inscriptionibus prætermissos, ordinariorumq; tantum rationem habitam, auctor est eruditiss. Pagius (*a*). Immo & præcedentibus sæculis *Consulatus* suffectos tam in nummis, quam in inscriptionibus non raro neglectos fuisse subdit (*b*). Observat namque apud Dionem, quo nullus ex Antiquis in Consulibus recensendis exactior ab eo dicitur, in serie Consulum, qui Domitiano imperante anno nomen dedere, eidem Imperatori *Consulatus* tantum XIII. tribui, & ex suffectis duos recenseri, quatuor omitti; in Chronico etiam Alexandrino ejusdem Imperatoris Consulatus tantum quatuordecim legi, tribus omissis, iisque suffectis. Hinc, quum ex Scaligero (*c*) tres Domitiani nummos adtulisset (*d*), primum inscriptum: IMP. DOMITIANVS AVG. P. M. TR. P. COS. VI., secundum cum epigraphe CAES. DIVI F. DOMITIANVS COS. VII. PRINCEPS IVVENTVTIS; tertium vero inscriptum: IMP. CAESAR DOMITIANVS AVG. TR. POT. COS. VII. DES. VIII. P. P. quos se juxta ignarissimos intelligere, scripsit Scaliger, quique mendosi Petavio (*e*) sunt visi; utrumque ex hoc labyrintho, posita, quæ apud Dionem est, Consulum dispositione, expedire, facile esse tradit Pagius. In nummis, inquit (*f*), in quibus Domitianus dicitur COS. VII. PRINCEPS IVVENTVTIS, omnes *Consulatus* ejus suffecti numerantur: quumque annus Christi octuagesimus, Titi VIII. & Domitiani VII. Consulatu in Fastis usitatis notetur, claret eo, vel sequenti anno ante Idus Septembres nummos illos cusos. In quibus Domitianus dicitur AVG. COS. VI., hi anno Christi octuagesimo quarto percussi. In quibus denique vocatur COS. VII. DES. VIII., hi annum octuagesimum quintum exhibent. Rursum in Critica Historico Chronologica in Annales C. Baronii, quum anno Christi LXXXIII. *Coss.* posuisset Domitianum Aug. IX. & Q. Petilium Rufum II., ut ex Phlegonte cap. 24. de Mirabilibus, & ex Græco epigrammate demonstrat Norisius in Epistola Consulari, ad eumdem annum refert (*g*) verba hæc, quæ in Eusebii Chronico latino leguntur: *Domitiani Uxor Augusta appellatur;* & hæc Suetonii in Domitiano cap. 3. Domitianus uxorem Domitiam, *ex qua in secundo suo Consulatu filium tulerat, alteroque anno consalutaverat ut Augustam, repudiavit; intraque*

(c) In Animadv. Euseb. ad num. 2096.

(d) Num. V. ejusdem cap. 7. Diss. Hypat.

(e) Lib. XI. de Doct. Temp. c. 17.

(f) Ibid.

(g) Num. II.

que

que breve tempus reduxit. Suetonium vero de *secundo* Domitiani *Consulatu* ordinario hoc anno gesto loqui, eumque hoc in loco suffectorum *Consulatuum* nullam rationem habuisse, recte vidit juxta Pagium Eusebius, qui rem istam hoc anno narrat.

Eminentissimus Norisius, qui in describendo Suetonio praeivit Pagio, Statium quoque citat, ubi de XVII. Domitiani Consulatu cecinit (*a*): (a) Libro IIII. Sylv. v. 8.

Subiere novi Palatia fasces:
Et requiem bis sextus honos precibusque receptis
Curia Caesareum gaudet vicisse pudorem.

Ita, inquit Norisius (*b*), *bis sextum honorem* fascium, nempe *duodecimum Consulatum* ordinarium Domitiano delatum laudat, qui tamen quinque suffectis adnumeratis erat *decimusseptimus*. Hinc de eodem Consulatu idem Poeta ante cecinerat (*c*): (b) Ep. Conf. ad ann. U. 832. (c) Vers. 1. & 2.

Laeta bis octonis accedit purpura fastis
Caesaris, insignemque aperit Germanicus annum.

Ubi, quum *bis octonis* fastis purpuram accedere dicit, XVII. *Consulatum* adnumeratis etiam suffectis aperte indicat; & adhuc expressius, quum ipsi carmini hunc praefigit titulum, XVII. *Consulatus Imp. Aug. Germanici*. Quin praefatione in integrum Sylvarum librum quartum, cujus initio carmen hoc habetur, Statius ipse ita scribit: *Primo autem decimum septimum Germanici nostri Consulatum adoravi*. Legere quidem est in vulgatis *septimum*, non *decimumseptimum*, at errore manifesto, quem tamen non animadvertisse, aut saltem non adnotasse tot viros eruditos, quot Statii Hackianae (*d*) editioni notas suas addiderunt, mirum non nemini videri potest. (d) Ann. 1671.

At quod ad nummos, & inscriptiones spectat. „ In vetu„ stis lapidum inscriptionibus, *inquit laudatus Norisius* (*e*), „ suffecti Domitiani Consulatus una simul cum ordinariis sem„ per connumerantur. Leges illos in magno thesauro pag. 5. „ 68. 244. 300. 574. 575. Smyrnensem nondum editam proxi„ me exhibebo. Nec secus in nummis eosdem Consulatus scalp„ tos vidi. Illum vero Scaligero recitatum, in quo Domitia„ nus dicitur AVGVSTVS. P. M. COS. VI. perperam „ exscripserunt; in illo enim dubio procul scalptum fuerat, „ COS. VII. detrita tamen injuria temporum, seu alio casu „ postrema nota numerali, quae Scaligero tibique, [*Pagium adloquitur Norisius*], supplenda erat, ex innumeris, quos „ vidi, (e) Ep. Conf. ad ann. U. 832.

„ vidi, ejuſdem nummis, in quibus dicitur COS. VII, & in „ poſtica PRINCEPS IVVENTVTIS “. Ita Card. Eminentiſs.. At contra Pagius (*a*) refert Domitiani nummum illum apud Occonem pag. 170., in quo legitur IMP. DOMIT. AVG. P. M. COS. II. S. C.; inde illum argenteum, cujus partem poſticam Erizzus pag. 150. adfert, in quo viſitur Provincia jacens ac mœſta, in cujus latere eſt haſta confracta cum epigraphe IMP. VIIII. COS. VI. CENSOR.... POTESTAT. P. P, ideſt *Cenſoriæ Poteſtatis*. Quam Provinciam, poſt Erizzum, Germaniæ devictæ figuram eſſe ſubdit; percuſſumque eum nummum anno octogeſimo ſexto, quo Domitianus *Conſulatum* XII, ſi ſuffectos numeres, geſſit, & ſecundum bellum Dacicum inchoavit, [Conſulatum XI, & annum octogeſimumquintum dicere debuit vir Cl., nam quinque tantum ſuffectos geſſit Domitianus]. Rurſum alios duos ex eodem Occone nummos refert, in quibus eoſdem ſuffectos *Conſulatus* taceri ait. In uno legitur IMP. CAES. DOMITIANVS AVGVST. P. M. TR. P. COS. VI; in altero IMP. DOMITIAN. CÆS. DIVI VESP. AVG. F. P. M. TR. P. COS. VI, quos nonniſi poſt Veſpaſiani & Titi mortem percuſſos eſſe ſubdit, poſt ſeptimum nempe Domitiani *Conſulatum*; quum is ante nondum Auguſtus eſſet, & Veſpaſianus pater nondum Divus, quia nondum mortuus. Præfatos itaq; nummos minime ſupplendos eſſe concludit contra Noriſium, neque injuria temporum, ſeu alio caſu poſtremam notam numeralem detritam eſſe. Et his nummis errore vulgari liberandum Noriſium, ab eo tunc nondum omni ex parte liberum, alioſque viros eruditos, qui in eodem verſantur errore, quin & hujus radices fibraſque hoc modo evulſas arbitratur. Qua de re, velim, judicent alii. Deſcriptos nos quidem videmus in Muſeo Teupolo (*b*) nummos cum epigraphe CAESAR AVG. DOMITIAN. COS. II. Tum etiam inter illos a Morellio delineatos, ac publici juris additis ſuis Commentariis proxime faciendos a Viro Cl. Sigeberto Havercampo (*c*) nummum cernimus argenteum inſcriptum: DOMITIANVS CAESAR AVG.)(TR. P. VIIII. IMP. XV. COS. VII. P. P. Qui quidem Conſulatus nonniſi de ſuffectis intelligi poſſe videntur. Quod vero ad Dionem ſpectat, ſcripſit quidem Pagius in Diſſert. Hypatica, eum in ſerie Conſulum, qui Domitiano imperante anno nomen

dederunt

(a) In Crit. ad an. Chr. 83. num. III.

(b) Pag. 438. 439.

(c) Tab. VIIII. nu. 6. 7. num. arg.

dederunt, Consulatus tantum XIII. Domitiano tribuere, & ex suffectis duos recensere, quatuor omittere; at monitus a Norisio indiculum illum non esse Dionis, sed ei præfixum a Leunclavio, errorem suum deprehendit, ac fatetur in Critica (*a*). Heic tamen ad Chronicon ipsum Alexandrinum rursus refugit, eique Marianum Scotum, & etiam Leunclavium adjungit. *Auctor*, inquit (*b*), *Chronici Alexandrini, & Marianus Scotus in Chronico in recensione Fastorum Consularium Consulatus suffectos Domitiani omnes tacent, sicuti & Leunclavius in indice Consulum, quos libro* LXVII. *Dionis præfixit*. At non multum præsidii tres isti Auctores præstare possunt Pagio, quippe qui in his rebus non sunt omni exceptione majores; quin nec inter se conveniunt, neque cum historia: nam Domitianus *Consulatus* XVII. *cepit* (*c*), e quibus suffectos quinque (*d*) gessit. Nummos quoque Decii ex Goltzio laudatus Pagius (*e*) refert inscriptos TRIB. P. COS. II., hinc duos alios cum epigraphe TR. P. II. COS. III., quatuor demum citat, in quibus legitur TR. P. III. COS. III., eosque conferens cum inscriptionibus Venciensi, quam exhibet, atq; Gruteriana (*f*), quæ TRIB*uniciam* POT*estatem* III. cum CO*n*S*ulatu* II. conjungunt, omissum heic Consulatum, quem ante imperium suffectum Decius gessit, pronuntiat. Quod adtinet ad Aurelianum, inventam in urbe Forojuliensi antiqua Romanorum Colonia, scribit Pagius (*g*) columnam XV. pedes altam, quæ & hodie in ædibus Episcopalibus visitur, & in qua TRI-B*unicia* P*otestas* IV. Aureliani Augusti CO*n*S*ulatui* ejus III. illigata legitur, licet in alia ejusdem Imperatoris, quæ apud Onuphrium Lib. II. Fastorum, Gruterum pag. CCLXXVI, Goltzium, aliosque exstat, T*ribunicia* ejus P*otestas* V. cum C*onsulatu tertio* tantum designato connectatur. Id autem factum docet, quod in Forojuliensi inscriptione C*onsulatus* III. licet absolute positus, sit tantum designatus, vel quod ratio suffecti Consulatus Aureliani ibidem sit habita, minime vero in reliquis. Sententiam suam de suffecto Aureliani Consulatu ante imperium gesto, quam Vopisci verbis conceperat (*h*) vir doctus, præeunte alio viro docto nempe Norisio (*i*), hac apud Reinesium (*k*) inscriptione postea (*l*) confirmavit:

IMP. CAES. VALERIO AVRELIANO
AVG. II. ET
N. CEIONIO. VIRIO. BASSO. COS

Aliam

De Decii Consulatibus.

De Consulatu Aureliani suffect.

(a) Ad ann. Chr. 83. num. IV.

(b) In Crit. ad eumd. ann. Chr. 83. eodemq; num.

(c) Suet. in Vita cap. 13.

(d) Id. cap. 2.

(e) Diss. Hypat. P. I. cap. 7. nu. III.

(f) P. CCLXXIII

(g) Præf. ad Diss. Hypat.

(h) In Diss. Hyp. Par. I. c. 7. num. II.

(i) Ep. Consf.

(k) Reines. Clas. V. inscr. XLVIII pag. 384.

(l) In Crit. ad an. Chr. 271. num. I.

(a) Ex corpore Gudian. apud Reland. in Fast. Conf. ad an. U. C. 1023. Varron. 1024.

Aliam nos addimus (*a*), quæ idipſum ſtabilire videtur, utpote dicata

IMP. CAES
VALERIO. AVRELIO. AVG. II. ET. L
CEIONIO. BASSO. COS

Proceſſit Aurelianus cum Baſſo Conſul Kalendis Januariis anni U. C. MXXIIII, quum paullo ante imperium conſecutus eſſet. Exſtat alia inſcriptio (*b*) abſque nota ſuffecti Conſulatus, ſculpta

(b) Ex eod. corp. Gud. apud eumdem Reland. ibid.

AVRELIANO AVG. ET
BASSO. II. COS. XVI. KAL. IVN

Alia quoque inſcriptio Aurelianum ſecunda tantum vice *Conſulem* cum Capitolino anno U. C. MXXVII, Chriſti CCLXXIIII repræſentat hoc modo (*c*)

(c) Gruter. pag. MLXXXII. 12.

X. KAL. IVLI
D. N. AVRELIANO AVG. II
C. IVLIO. CAPITOLINO. COS

Chronicon etiam Damaſi, & Alexandrinum, ſicuti etiam Faſti tum majores, tum minores Florentini, & illi Idacii, Anonymi, ac Bucherii fragmentum (*d*) nonniſi *Conſulem iterum* cum Capitolino habent Aurelianum. Unde & ſequenti anno, quo rurſum Conſul cum Marcellino proceſſit Aurelianus, nonniſi *Conſul tertium* in iis (*e*) legitur. Qua in re concordant inſcriptiones apud Panvinium (*f*), Gruterum (*g*), Goltzium & alios. Nummi demum nonniſi COS. III. præferunt Aurelianum. Atque hæc ſunt, quibus ſe demonſtraſſe tradit Pagius, ſuffectos Conſulatus tam Domitiani, quam aliorum Imperatorum ſæpe ab Hiſtoricis neglectos fuiſſe, & in nummis ac inſcriptionibus prætermiſſos.

(d) Videant. apud Reland. in Faſt. Conſ. ad annum Chriſt. 274.
(e) Vide Reland. in Faſt. Conſ.
(f) Lib. II. Faſt.
(g) P. CCLXXVI num. 4., & 3. pag. CCCXXXVIII.

De ſuffectis & Honorariis Conſulibus.

VI. Suffectos *Conſules* jam diximus fuiſſe eos, qui Conſulibus, Magiſtratum Kalendis Januariis ineuntibus, annumque aperientibus, alio anni tempore ſufficiebantur, depoſitumque ab iis Conſulatum ſuſcipiebant. Annuus quidem olim erat *Conſulatus*; at, ut jam monuimus (*h*), ex quo Julius Cæſar eo ſe abdicavit, & Conſules ſibi ſuffecit Q. Fabium ac C. Trebonium, Fabioq; extrema Magiſtratus ſui die mortuo in reſiduas horas C. Caninium ſubſtituit, inde cœptum eſt, ut perpauci toto anno *Conſulatum* gererent, ſed alii pauciores, alii plures menſes dieſque, prout caſus tuliſſet, eo Magiſtratu fungerentur. Anno autem U. C. DCCXV. Lucio (*i*) Marcio, C. Sabino

(h) Num. III. hujus Animadv.
(i) Dio Libro XLVIII. p. 377. C.

C. Sabino Coss. „ primum electi sunt (*a*), non ut moris erat, duo Consules, qui annuum eum Magistratum gererent, sed ipsis comitiis plures designati simul sunt. Jam quidem ante quoque nonnulli post alios Magistratum gesserant, nec mortuos, nec infamia notatos, nec alia de caussa loco motos; verum hi tamen ipsi ex arbitrio eorum, quibus Consulatus in totum annum mandatus fuerat, constituti, [*quod sexennio ante a C. Julio Cæsare cæptum*]; tum vero annuus Consul nullus est creatus, sed alii ad alias partes anni ejus designati: quorum primi nomen Consulum per totum annum gerebant, ut nunc quoque fit, [*sensus est Dionis, qui Sev. Alexandri Imp. tempore floruit*]: alios ii, qui Romæ aut in Italia erant, sui quemque Magistratus tempore Consulem nominabant, [quod ipsum hodie etiam observatur]; reliqui homines aut omnes istos aut plerosque ignorabant, adeoq; eos Consules minores appellabant “. Ex his etiam fuit alter Cæsar, qui postea Augustus est dictus; in locum quippe Pansæ & Hirtii suffectus est Consul cum Q. Pedio die XIX. mensis sextilis anno U. C. DCCXI. Quamvis (*b*) autem jam ante consularibus ornamentis decoratus fuisset, non tamen hunc suum *Consulatum*, secundum nuncupavit. Idque in similibus omnino deinceps usque ad laudati Dionis tempora observatum est. Σεβῆρος γὰρ Αὐτοκράτωρ πρῶτος Πλαυτιανὸν ὑπατικαῖς τιμαῖς τιμήσας, καὶ μετὰ τοῦτο ἔς τε τὸ βουλευτικὸν ἐσαγαγὼν, καὶ ὕπατον ἀποδείξας, ὡς καὶ δεύτερον ὑπατεύσαντα ἀνεκήρυξε. καὶ ἀπ' ἐκείνου καὶ ἐφ' ἑτέρων τὸ αὐτὸ ἐγένετο. (*c*) *Primus enim omnium Severus Imp., quum Plautiano honores Consulares tribuisset, eumq; deinde in Senatum adscriptum Consulem faceret, iterum Consulem esse dixit, idque exemplum alii deinde sunt secuti*. Itaq; tres fuere Consulum ordines, nempe Ordinariorum, qui Kalendis Januariis Magistratum inibant, nomenq; anno dabant; Suffectorum alter, qui abeuntibus primis in eorum locum per annum sufficiebantur; demum illorum, qui Consularia tantum ornamenta consequebantur. Hi post Severum, quotiescumque Consulatum ipsum obtinebant, iterum Consules dicti sunt: Consulatus vero suffecti cum ordinariis connumerari jam tum a principio consueverunt. Macrinus autem, quum inter Consulares nonnullos retulisset, statimque Provinciarum administrationibus admovisset, noluit teste eodem Dione (*d*), eum iterum videri Consulem fuisse, qui honores se Consulares adeptum diceret; quod imperante Severo cœperat, ejusque filius retinuerat;

(a) Id. eod. Libro pag. 378. A.

(b) Dio Libro XLVI. p. 321. A.

(c) Id. ibid. B.

(d) Li. LXXVIII c. 13. pag. 21. edit. Rom. an. 1724.

nuerat; idque Macrinus ipſe ex legum præſcripto, in ſe etiam atque Advento ſervavit.

Conſules ab Imperat. aut a Senatu creari ſoliti.

VII. Centuriatis comitiis, in quibus nempe per Claſſium centurias ſuffragia ferebantur, quemadmodum Magiſtratus reliqui majores, ita *Conſules* libera Republica creabantur. Oppreſſa vero Republica Conſulum creandorum jus ad Auguſtos, iiſque permittentibus ad Senatum devenit. Deſignabantur itaque ab Imperatoribus, aut a Senatu *Conſules*, qui in proximum annum, quandoque etiam in ſubſequentes Magiſtratum gerere debebant. Rempub. adminiſtrantibus Triumviris, quum alter ex his, Antonius (*a*) nempe expeditionem in Parthos pararet, & multi in Senatum adlecti ſunt, & Magiſtratus alii in aliquot annos, καὶ ἀρχὰς τῶν ὑπάτων ἐς ὀκτὼ ὅλα ἔτη προκατεστήσαντο, *Conſules vero in octo totos annos deſignati ſunt*. Hinc Antonius ipſe & Cæſar Triumviri comparent in nummis (*b*) COS. DESIG. ITER. ET. TERT. Ubi vero ſumma Reipublicæ ad ipſum Cæſarem, qui poſtea Auguſtus eſt dictus, (*c*) devenit, *honoris ejus cauſa*, *Senatus Populuſque Romanus* Nepotes Cajum ac Lucium Cæſares *annum quintum & decimum agentis Conſules deſignavit, ut eum Magiſtratum inirent poſt quinquennium*; hinc & ipſi C. L. CAESARES AVGVST. F. COS. DESIG. dicuntur (*d*) in nummis. Mos itaque invaluit, ut Imperatores ac Cæſares Conſulatus, quos geſſerant, & eos, quos geſturi erant, quum jam deſignati eſſent, in nummis & inſcriptionibus notarent. Quandoque tamen Conſulatuum geſtorum numerus omittebatur, & CO*n*S*ules* abſolute inſcribebantur, uti ex iiſdem monumentis conſtat, in quibus non raro invenire eſt abſque numero Conſulatuum eos ipſos, qui pluries jam *Conſules* tum fuiſſe aliunde certum eſt. Idem autem Conſulatus non ſolum, quo tempore gerebatur, ſed etiam uſque dum alter ſuſciperetur, adnotari conſuevit. Hinc videre eſt conjunctas cum uno eodemque Conſulatu diverſas Tribunicias Poteſtates, novoſque titulos, aut alia, quæ procul dubio Conſulatu ipſo poſteriora ſunt.

(a) Dio Caſs. Lib. XLVIII. p. 378. A.

(b) Apud Mediobarb. & al.

(c) Mon. Ancyr. Tab. III.

(d) Apud Mediobarb. pag. 57.

Cæſares & Auguſtos Conſules deſignatos, Conſules abſolute quandoque appellari, docet Pagius.

VIII. Pagius quoque docet, *Cæſares & Auguſtos Conſules deſignatos, Conſules abſolute quandoque appellari*, quod non tantum ex inſcriptionibus ac nummis, ſed etiam ex hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus eruiſſe ſe ſubdit, ne tanti momenti res diutius in tenebris jaceret. Cum capite, [inquit vir (*e*) pereruditus], Solis radiato hiantiſque oris etiamnum nobiliſſima exſtat inſcriptio

(e) Diſs. Hyp. P. I. cap. 1. num. 4.

ſcriptio in pariete turris perantiquæ Caſtri Apolliniaci in Velaunis, quam Gruterus pag. XXXIX. num. I. refert, ſicuti & Herwartus cap. 251. ſuæ Cronologiæ:

TI. CLAVDIVS CAESAR AVGV. GER
MANICVS PONT. MAX. TRI. POTEST
V. IMP. P. P. COS. IIII

Hinc animadvertit, Claudium *Tribuniciam Poteſtatem* V. anno Chriſti XLV, *Conſulatum* vero *quartum* anno XLVII. ſuſcepiſſe. Quare *quartum* hunc *Conſulatum* in inſcriptione *abſolute poſitum*, nonniſi *deſignatum* fuiſſe ſubdit; dedicatamque eam epigraphen anno Chriſti XLV; quo etiam anno idem Claudius Judæis ſacræ ſtolæ cuſtodiam petentibus annuens, reſcriptum, quod refert Joſephus Lib. XX. Antiquit. cap. 1, dedit, cujus hoc initium: *Claudius Cæſar Germanicus Trib. Pot.* V. *Coſ. deſignatus* IIII. *Imp.* X. *P. P.* Aliam inſcriptionem Neroni dicatam Pagius ex Goltzio exhibet, in qua legitur NERONI CLAVDIO AVG. F. CAESARI DRVSO GERMANICO PONTIF. XV. VIR. S. F. VII. VIR. EPVLONVM COS. PRINCIPI IVVENTVTIS. Ubi vides, ait, Neronem adhuc Cæſarem, nondumque Auguſtum *Conſulem* vocari, licet tantum *deſignatus* eſſet; quum primum is Conſulatum nonniſi jam Auguſtus inierit. Hæc itaq; epigraphe, antequam Nero imperium capeſſeret, & Conſulatum gereret, exarata. Rurſum animadvertit, Commodum a M. Aurelio Auguſto patre, adhuc puerum Cæſarem creatum, ut auctor eſt Lampridius in Commodo cap. 1, dici in duobus nummis apud eumdem Goltzium *Conſulem*, licet tantum *deſignatus* eſſet: L. AELIO AVRELIO AVG. F. COMMODO COS. in alio nummo COMMODO CAES. AVG. FIL. GERM. SARM. COS. Commodus, inquit, anno Chriſti CLXVI. Cæſar nominatus eſt, tum anno CLXXV. Tribunicia Poteſtate, ut ex nummis conſtat, donatus, anno ſequenti Auguſtus a Patre dictus, ac anno CLXXVII. *Conſul* ordinarius proceſſit. Unde, quum in præfatis nummis Tribunicia Poteſtas non memoretur, liquet eum *deſignatum* Conſulem, Conſulemq; *abſolute* appellatum fuiſſe, antequam eamdem iniret. At, quum in nummis aliorum etiam Imperatorum, & in pluribus ipſius Commodi jam Auguſti Tribunicia Poteſtas ſæpe omittatur, animadvertere forte melius quis poteſt, Commodum in altero ex laudatis nummis *Cæſarem*,

tantum, in neutro autem inscribi *Augustum*, sed solum AVGusti Filium, quum tamen nonnisi *Augustus* Consulatum inierit; unde fit consequens, *Consulem* in iis vocari (*a*), antequam Consulatum ipsum iniret. Quod ad Consulatum IIII. Vespasiani & II. Titi absolute a Plinio (*b*) memoratum, & a Pagio ut *designatum* acceptum adtinet, ea omittimus, quæ ipse Pagius prius tradidit (*c*), quia se ab his postea (*d*) retraxit.

(a) Vid. Com. in n. 2. Tab. XXVI.
(b) Lib. 2. cap. 13.
(c) Diss. Hypat. Part. I. c. 1. nu. V.
(d) In Crit. ad an. Chr. 72. nu. I.

Ex adnotatis facile porro credit (*e*) Pagius, *Consulatum tertium* Aureliani Augusti in inscriptione Forojuliensi, cujus supra (*f*) meminimus, expressum explicare. Gessit is primum Consulatum ordinarium Pomponio Basso conlega anno Christi CCLXXI., quo etiam anno secundam *Tribuniciam Potestatem* iniit ex Pagio: Imperium enim anno anteriori circa mensem Novembrem susceperat. Tum anno CCLXXIIII. *Consul* II. Julio Capitolino conlega processit, ac exeunte eodem anno *Tribu. Potes.* V. juxta eumdem Pagium iniit, & deniq; anno CCLXXV. T. Avonio Marcellino conlega *Consul tertium* fuit. Quare anno CCLXXIIII. ante mensem Novembrem *Tribunicia Potestate* IIII. adhuc currente, Forojuliensis inscriptio dedicata, in qua ideo Aurelianus *Consul* III. dicitur juxta Pagium, licet secundum tantum Consulatum tunc gereret, quia in annum sequentem *Consul tertium* designatus erat: quæ designatio in inscriptione Onuphriana (*g*) clare & explicite memorata, in Forojuliensi vero nonnisi subintellecta. Inde (*h*) Suetonium adducit Pagius, ubi in vita Claudii cap. 27. ait, *Britannicum vigesimo imperii die, inque secundo Consulatu natum sibi, paruulum etiam tum & militibus pro concione manibus suis gestans, & plebi per spectacula gremio, aut ante se retinens adsidue commendabat*, nempe Claudius. Is die vigesima quarta Januarii anni Christi XLI. Caligula occiso, imperium suscepit; quare vicesimus ejus imperii dies in duodecimum Februarii incidit; qui ideo Britannici natalis fuit. Et tamen Claudius nonnisi anno Christi XLII. Licinio Largo conlega Consulatum secundum edidit. Unde Consulatus ejus secundus, qui tantum designatus erat, absolute a Suetonio juxta Pagium profertur. Suetonii loquendi modum imitatus dicitur ab eo (*i*) Julius Capitolinus in M. Aurelio cap. 5, ubi de ejusdem Marci adoptione ab Antonino Pio facta loquens, ait: *Octavo decimo ætatis anno adoptatus in secundo Consulatu Antonini jam Patris sui, Hadriano ferente, gratia ætatis facta, Quæstor est designatus*. Hæc adoptio, inquit Pagius,

(e) Num. VII. cit. Diss. & cap.
(f) Num. V. hujus Anim. p. 119.
(g) Eod. Num. V. hujus Animad.
(h) Cap. 2. num. I. Part. I. Diss. Hyp.
(i) Cap. 3. num. I.

gius,

gius, facta est anno Christi cxxxviii, quo Antoninus, qui jam antea Consul fuerat, quique Consul *iterum* a Capitolino dicitur, tum Consul tantum *designatus* erat. Ex his omnibus constare docet (*a*) vir doctus, Cæsares & Augustos *designatos Consules*, Consules absolute aliquando vocatos fuisse.

(a) Cap. 2. nu. I.

IX. Quam in rem animus quoque noster inclinat, nam præter ea, quæ Pagius adducit, sunt alia, quæ idipsum probare videntur. Panvinius (*b*), & Mediobarbus (*c*) nummos describunt Othonis cum ejusdem COnSulatu II, quem tamen numquam iniit Otho, ut ex Fastis liquet, sed ad eum designatus tantum fuerat, quemadmodum in nummo apud Goltzium (*d*) legitur. Exhibet Harduinus (*e*) nummum Domitiani hinc inscriptum, IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XVIII. CENS. PERP. P. P., inde IOVI VICTORI S. C. Testatur autem, esse nummum singularem ex ære magno, nitidissimum, litteris omnibus & in ipso COS. XVIII. egregie conspicuis, in Museo P. Chamillart: contenditque vir eruditissimus, ex hoc nummo Fastos esse corrigendos, utpote in quibus hic Domitiani *Consulatus* XVIII. non comparet. At quemadmodum in nummo, ita in Fastis haudquaquam inest error, adeoq; hi minime sollicitandi; sed Consulatus *decimusoctavus*, qui in nummo legitur, *designatus* tantum, etsi tacita sit designatio, absoluteque positus sit, intelligi, explicarique debet. Anno U. C. dcccl. (*f*) die xxviii. Octobris (*g*) a Nerva Imperatore adoptatus est Trajanus, auctusq; Tribunicia Potestate. Comparet autem ipse Trajanus in nummis (*h*) cum TR*ibunicia* P*otestate* XIIII. & COnSulatu VI. Porro *Tribunicia Potestas* decimaquarta, quocumque modo computetur, diem xxviii. Octobris anni U. C. dccclxiiii. minime superavit; *Consulatus* autem *sextus* cœpit Kalendis Januariis anni sequentis. Quare *Consulatus* VI. conjunctus cum *Tribunicia Potestate* XIIII. designatus intelligi debet, nondum initus. Est nummus Antonini Pii in Museo Theupolo (*i*) cum COS. V, quem Consulatum in Fastis non habemus, adeoq; *designatum* accipere possumus. Occurrit (*k*) etiam cum TR*ibunicia* P*otestate* XXXIII. M. Aurelii COnSulatus IIII, qui Consulatus *designatus* esse debet; nam quartum Consulatum Marcus non adiit, forte morte præventus. Inscribitur etiam Gallienus in nummis (*l*) latinis TR*ibunicia* P*otestate* III. COS. III, quemadmodum & in græcis (*m*) L. Γ. ΥΠΑΤ. ΤΟ Γ.

(b) Lib. II. Com. in Fast. ad ann. U. C. 822.
(c) In Indic. pag. 103.
(d) Pag. 47.
(e) In Hist. Aug. ad an. Chr. 96.

De Consulatibus designatis, absolute tamen positis opinio Auctoris.

(f) Chr. 97.
(g) Vid. nu. XXI. de Trib. Pot.
(h) Apud Goltz. pag. 65.
(i) Pag. 497.
(k) In Mus. Goez. inter num. ær. nu. 91. pag. 156.
(l) Apud Goltz. pag. 112.
(m) Apud eumd ibid.

anno

anno tertio Conſul tertium. Quum tamen Tribuniciam Poteſtatem ante Kalendas Januarias anni U. C. MVII, ut alibi (*a*) probare nitimur, primum acceperit Gallienus, Tribunicia ejuſdem Poteſtas *tertia* ante deſiit, quam Conſulatus *tertius* cœpit, utpote qui initus eſt Kalendis Januariis anni U. C. MX. Reſtat igitur, ut Conſulatus hujuſmodi ſit tantum deſignatus, quamvis omiſſa ſit deſignatio. Ita etiam COnSulatus IIII, ubi copulatur in nummis apud Bandurium (*b*) cum TRibunicia Poteſtate VII, abſolute quidem poſitus eſt, ſed eſt ſolum deſignatus: nam Tribunicia Poteſtas *ſeptima* extendi non poteſt ultra annum U. C. MXIII, Conſulatus autem *quartus* incœpit anno U. C. MXIV. Neque vero mirum, quod Conſules tantum electi, abſolute quandoque dicti ſint Conſules, nam & de iis, qui Conſulatu jam exceſſerant, id factum legimus. Refert Cæſar (*c*) Senatuſconſultum contra ſe editum VII. Idus Januarias anno U. C. DCCV. in hæc verba: *Dent operam Conſules, Prætores, Tribuni Plebis, quique Conſules ſunt ad urbem, ne quid Reſpublica detrimenti capiat.* Tiberius quoque dicitur a Suetonio (*d*) *Conſul iterum*, quum *Tribuniciam Poteſtatem* ab Auguſto *in quinquennium accepit*; Conſul porro *iterum* fuit Tiberius anno U. C. DCCXLVII, nec niſi anno ſequenti, ut ſuo loco declaramus (*e*), Tribunicia Poteſtate ornatus eſt. Noſtris etiam temporibus mos obtinet, & ſuperioribus factum legimus, ut ii, qui ad aliquod Officium aut Magiſtratum lecti ſeu deſignati ſunt, mox nomine ejuſdem Officii aut Magiſtratus, etiam antequam illa exerceant, paſſim vocentur. Id autem rectius eveniebat in Conſulibus; nam honore ac poteſtate mox, ut deſignati erant, potiebantur. Primi enim in Senatu ſententiam rogabantur (*f*), etiamſi adeſſet Princeps Senatus, alioſq; honore præcedebant. Præterea, ut teſtis eſt Dio (*g*), ἐπειδὲ γὰρ καὶ γράμματα τοῖς ἀποδεδειγμένοις ἐς τὰς ἀρχὰς ἐκτιθέμενα, καὶ ἄλλα τινὰ τῶν τῇ ἡγεμονίᾳ σφῶν προσηκόντων, καὶ πρὶν ἐνίστασθαι αὐτήν, πράττειν ἔτι καὶ τότε ἐξῆν: *Litteræ, ſeu mandata deſignatis Conſulibus proponebantur, & iiſdem alia quoq; nonnulla, ad ipſorum imperium pertinentia, priuſquam id inirent, peragere licebat.*

(a) Nu. XXXIV. & ſeqq. de Trib. Pot.

(b) Pag. 174.

(c) Lib. I. Bell. Civil. non longe a principio.

(d) In Vita c. 9.

(e) Num. XVII. de Trib. Pot.

(f) Cicer. Philip. V. Aul. Gell. Lib. IV. Noct. Att. cap. 10.

(g) Libro XL. in fine, i. e. pag. 151. D.

Noriſi de Conſulatibus deſignatis, abſolute tamen poſitis opinio

Scribit Noriſius (*a*), ſe in altera Epiſtola Conſulari, quam abſolverat, & quam, uti primam nuncupaturus erat Pagio, oſtendere, numquam in marmoribus aut in nummis puram vocem *Coſ.* intellectam fuiſſe pro *Coſ. deſign.*, ut Pagius ipſe contendit, quem citare inſcriptiones mancas, nec tamen

(a) Ep. 85. & 86. dat. ann. 1685. ad Medio. To. 5. Op. Noriſ. edit. Veron an. 1741. pag. 251. 252.

hujus

hujus rei ipsum sibi conscium esse, subdit. At hæc secunda Epistola Consularis, quam & justum opusculum Norisius ipse alibi (*a*) appellat, publici juris facta non est; & ubinam gentium exstet modo, ignotum sibi fatentur diligentissimi Operum Norisii conlectores, quiq; ea tum etiam vitam ipsius Card. Eminentiss. eruditissime inlustrarunt Petrus ac Hieronymus fratres Ballerinii Veronenses (*b*). Hæc quidem legimus in Epistola ab ipso Norisio antea ad Comitem Mediobarbum data (*c*). „ Capitolinus, quando dicit de M. Aurelio *in Con-* „ *sulatu secundo Antonini jam patris sui*, intelligi debet de *Con-* „ *sulatu* II. *designato*. Ita Suetonius cap. 27. scribit de Claudio „ *Britannicum* XX. *imperii die, inq; secundo Consulatu natum sibi* „ &c. Claudius die XII. Februarii anno Christi XLI. agebat „ diem XX. imperii sui, & anno sequenti fuit *Cos.* II; hinc „ Suetonius intelligit *in secundo Consulatu destinato, non susce pto,* „ *seu inito*. In Museo Sereniss. [Etruriæ Ducis] exstat pul- „ cherrimum maximi moduli numisma aliusque medii moduli „ nummus Alexandri Imperatoris cum epigraphe: IMP. C. „ M. AVR. SEV. ALEXANDER AVG. & in alia „ parte IOVI VLTORI P. M. TR. P. III. COS. II. „ P. P. S. C. Fuit COS. II. anno Christi CCXXVI. in „ omnibus Fastis, eratque Kalendis ejus anni TR. P. IIII. „ Igitur COS. II. designatus intelligitur. &c. " Ex quibus satis constat, ipsum quoque Norisium aliquot saltem Consulatus absolute positos pro *designatis* aliquando habuisse. Dolemus tamen, secundam ejus Consularem epistolam non inveniri; si enim in lucem prodiisset, nobis quoq; lucem adtulisset, & ab errore, siquidem in eo sumus, nos retraxisset: quum e contra eo, quod emissa in lucem non sit ab Auctore, etsi plures annos supervixerit, quodque illam, quam de Consulatibus designatis, absolute numquam positis in eadem Consulari epistola descripserat, sententiam alibi, quod sciam, non proposuerit, a Pagii sententia recedendum, nobis modo non videtur.

(a) Ep. III. ad Pagium, quæ habetur Tom. IV ejusdem edit. p. 756. A.

(b) In Vit. Noris. præfixa Tom. IV. ejusd. Oper. num. XXVI.

(c) Die 28. Maji 1680. & est num. XVI. Epp. Noris. ad Mediobarbum Tom. V. pag. 55. B. Italico sermone scripta.

Adlatæ a Pagio Inscriptiones examinantur.

Quod tamen ad prolatas ab ipso Pagio inscriptiones adtinet, in primis notamus id, quod etiam Pagius vidit & notavit, fieri nempe potuisse, ut in Forojuliensi inscriptione ratio suffecti Consulatus Aureliani sit habita; ac tum TRIB*unicia* Po*testas* IIII. juxta morem Pagii ac Norisii computata recte cum COnSulatu III. jam inito staret. Alia vero ejusdem Imperatoris inscriptio, quæ ex Onuphrio Lib. II. Fastorum, Grutero

tero pag. CCLXXVI, Goltzio & aliis a Pagio describitur, & in qua TRIB*unicia* POT*estas* V. Aureliani cum CO*nSulatu* DESIG*nato* III. connectitur, intelligi posset de Consulatibus ordinariis, suffecto, quem ante imperium Aurelianus acceperat, excluso. Inesse tamen mendum in numero *Consulatuum* videtur: nam dicitur DEDIC*ata* KAL*endis* FEBR*uariis* AVRELIANO AVG. III. ET MARCELLINO COS. Quod non legisse aut non observasse Pagius videtur. Si itaque *Consul* III. heic inscribitur *Aurelianus*, superius *designatus* non III, sed IIII. inscribi debuit. Fieri tamen potuit, ut scalpta sit & etiam posita hæc inscriptio, quo tempore Aurelianus erat *Tribunicia Potestate* V. & *Consul designatus* III, *dedicata* vero, quum jam *Consul* III. processisset, nulla suffecti Consulatus ratione utrobiq; habita. Quo tamen sensu accepta & explicata inscriptio non favet Pagio. Quod etiam spectat ad inscriptionem Claudii, quam ex Grutero adducit Pagius, observamus apud ipsum Gruterum (*a*), in ea dici Claudium TRI. POTEST. V. IMP. XI, qui titulus *Imperatoris* XI. non legitur apud Pagium, & in nummis Claudii cum TR. P. VI. occurrit (*b*); adeo ut in ipsa etiam inscriptione *Tribunicia Potestas* VI. restituenda videatur. Quod tamen, ut fieri necessario debeat, occurrere deberent alii nummi aut inscriptiones, in quibus cum *Tribunicia* eadem *Potestate* VI. titulus *Imperatoris* X. inesset; sic enim evidens fieret, nonnisi in *Tribunicia Potestate* VI. cœpisse titulum *Imp.* XI. Hæ porro esse videntur inscriptiones, quas mancas citare Pagium, scribit Norisius. At sepositis etiam his monumentis alia non desunt, quæ, ut notavimus, *Consules designatos* aliquando *Consules* absolute dictos fuisse produnt. Quam opinionem sequitur etiam vir Cl. Dodwellus (*c*), eamq; proponit alteri viro Cl. Vignolio vir & ipse Cl. Valsechius (*d*): qua de re nos rursum alibi (*e*).

Regulæ Pagii Hypat. seu Consulares.

X. Majus nunc aliquid audendum, inquit idem Pagius (*f*), quærendaque ratio, non tantum, cur is Imperator non plures aut pauciores, quam tres *Consulatus* ordinarios, sed & reliqui omnes tam Cæsares, quam Augusti determinatum *Consulatuum* numerum inierint, cujusque in particulari caussa adsignata. Rem quidem densissimis tenebris circumfusam agnoscit vir perspicaciss., ideoque antea intentatam dicit, sed *Regularum* a se observatarum beneficio in manifestam lucem, uti sperare se subdit, proferendam. Sex eæ sunt, quarum usum & praxim

(a) P. XXXIX. 1.
(b) Apud Mediob. pag. 83. & al.
(c) Diss. Cyprian. paragr. 47.
(d) De init. Sev. Alex. cap. ult.
(e) Animadv. de Trib. Pot.
(f) Diss. Hypat. Part. II. in princ.

xim tum in Differtatione Hypatica tum in Critica in Annales Baronii oftendere ac probare conatur. Prima regula *Imperii aufpicium*; Secunda *Quinquennalium & id genus feftorum celebratio*; Tertia *Cæfarum & Auguftorum in eadem dignitate Conlegium*; Quarta *Expeditiones militares*; Quinta *Triumphi*; Sexta *Ludi fæculares, aliæque actiones majori pompa & folemnitate fieri folitæ*.

Imperii itaq; aufpicium (*a*) prima *Cæfareorum Confulatuum* regula a Pagio ftatuitur; jamque a viris doctis obfervatum ait, novos Principes proximis poft fufceptum imperium Kalendis Januariis *Confulatum* ordinarium inire folitos fuiffe. In laudata porro Differtatione (*b*) ab eo dicitur Claudius, qui anno Chrifti quadragefimo primo rei Romanæ præeffe cœpit, primus ex Auguftis hunc morem invexiffe, ut ii primis poft initum imperium Kalendis Januariis *Confules* ordinarii procederent. In Critica vero, quæ pofterior eft Differtatione Hypatica, altius repetit hanc regulam, & ab anno U. C. (*c*) DCCXI. deducit; quum *die decima nona* menfis Augufti primum *Confulatum* Octavianus fufcepit. Augufti etenim exemplo ceteros Imperatores initio imperii *Confulatum* de more cepiffe, quofdam fuffectum, fed plerofque ordinarium tradit. Quo ex ufu primam *Confulatuum Cæfareorum* regulam fe concinnaffe fubdit, & poft Augufti mortem Confulatuum regulas a fe ftatutas in ufum vocatas.

Prima Regula Hypatica.

(a) Difs. Hypat. Part. II. c. 1. nu. I.

(b) Ibid. num. I.

(c) Ad eumd. an.

At non fatis validum videri poteft regulæ hujus primæ fundamentum, nam fuffectus fuit hic Augufti Confulatus, cujufmodi Confulatum gerere dedignati funt Imperatores; nec nifi unus inventus eft Caligula, qui, ut ad imperium venit, fuffectum accepit. Præterea, quum violentus fuerit idem Augufti Confulatus, hoc fibi exemplum propofuiffe fucceffores non videntur. *Confulatum*, inquit de Augufto Suetonius (*d*), *vicefimo ætatis anno invafit, admotis hoftiliter ad urbem legionibus, miffifque, qui fibi nomine exercitus depofcerent. Quum quidem cunctante Senatu Cornelius Centurio Princeps legationis, rejecto fagulo oftendens gladii capulum, non dubitaffet in curia dicere: hic faciet, fi vos non feceritis*. Obiit (*e*) Auguftus duobus fextis Pompejo & Appulejo Cofs. (*f*) decimo quarto Kalendas Septembris, eique fucceffit Tiberius, non tamen Confulatum iniit proximis Kalendis Januariis, fed Drufus Cæfar (*g*) & C. Norbanus Flaccus, ut etiam Pagius (*h*) habet, procefferunt

Expenditur prima regula Hypatica.

(d) In Vita c. 26.

(e) Id. Suet. ibid. cap. 100.

(f) An. U. C. 767. Chr. 14.

(g) Faft.

(h) In Critica.

Consules. Tiberius autem quarto demum imperii anno Consulatum adiit: non itaque post Augusti mortem Consulatuum regulæ a Pagio statutæ in usum vocari possunt. Obiit Tiberius *decimo septimo* (a) *Kalendas Apriles Cn. Acerronio Proculo* (b) *C. Portio Nigro Coss.* Cajus autem, qui illum excepit, Consulatum quidem suffectum, ut diximus, paullo post admisit; sed ordinarium subsecutis Januarii Kalendis nequaquam iniit, utpote quibus Consules processerunt M. Aquilius Julianus & P. Nonius Asprenas. *Nono* (c) *Kalendas Februarias* anni Christi XLI. interemptus est Cajus, eique succedens Claudius Consulatum quidem ordinarium Kalendis Januariis sequentis anni accepit; at non juxta primam Pagii regulam, ut demum etiam ipse animadvertit; sed, quod ad eum antea destinatus fuerat. „ Suetonius in Claudio cap. 7. [*verba sunt Pagii ad ann.* „ *Chr.* XLII. (d)], postquam locutus est de priori Claudii Con„ sulatu, qui suffectus fuit, gestusq; anno Christi XXXVII, ait: „ *Sortitus est & de altero Consulatu in quartum annum* currentem „ nempe. Ex quo habemus Imperatores eos *Consulatus* susce„ pisse, ad quos, dum adhuc privati erant, designati fuerant; „ quod, dum Dissertationem Hypaticam composui, nondum „ observaveram. Hujus rei alia subinde producam exempla. „ Is itaq; Consulatus juxta primam Consulatuum Cæsareorum „ regulam sumptus non est " ipso Pagio teste. qui & Consulatum primum Neronis inter eos referre poterat, qui ab Imperatoribus suscepti sunt, quum ad eos, adhuc privati, designati fuissent. Claudius enim *Cæsar* (e) *adulationibus Senatus libens cessit, ut vicesimo ætatis anno Consulatum Nero iniret, atque interim designatus Proconsulare imperium extra urbem haberet, ac Princeps Juventutis appellaretur*. Biennio quidem ante tempus destinatum iniit hunc Consulatum Nero, nam *septemdecim* (f) *natus annos* erat, quum Claudius *excessit* (g) III. *Idus Octobris Asinio Marcello* (h), *Acilio Aviola Coss;* ac proximis Januarii Kalendis Consul cum L. Antistio Vetere processit; eumdem tamen *Consulatum*, ad quem a Claudio designatus fuerat, occepit. Saltem hic Neronis *Consulatus* juxta primam regulam Pagii (i) non est sumptus; neque enim mos aut exemplum tum ferebat, ut Imperatores initio auspicioque imperii Consularem purpuram induerent, adeoque vel alio fine id factum a Nerone, vel si auspicio imperii, inde regulam suam petere Pagius debuerat, non vero a Claudio aut ab Augusto. Sane post Neronem

(a) Suet. in Vita cap. 73.
(b) An. U.C. 790. Chr. 37.
(c) Suet. in Cajo cap. 58.
(d) In Crit. ad eumd. ann. num. I.
(e) Tacit. Libro XII. An. c. 9.
(f) Suet. in Ner. cap. 8
(g) Id. in Cl. c. 45.
(h) An. U.C. 807. Chr. 54.
(i) Ad ann. Chr. 55. in Crit. nu. I.

ronem Galba, Vespasianus, Titus, Domitianus, ac Nerva *Consulatum* primis post sumptum imperium Kalendis Januariis occeperunt; ita ut, quum Trajanus aliis ineundum hujusmodi Consulatum reliquisset, Plinius ei dixerit in Panegyrico (*a*): *Consulatum recusasti, quem novi Imperatores destinatum aliis in se transferebant* : & mox (*b*) : *Contigit ergo privatis aperire annum, fastosque reserare; & hoc quoque redditæ libertatis indicium fuit, quod Consul alius, quam Cæsar esset. Sic exactis Regibus cœpit liber annus : sic olim servitus pulsa, privata Fastis nomina induxit*. Adhuc tamen plures ex successoribus eumdem morem sumendi initio imperii *Consulatum* minime servarunt, ut Pagius ipse (*c*) fatetur. Nam M. Aurelius & L. Verus, ubi imperium administrandum susceperunt, privatis Consulatum insequentis anni demandarunt: & Marcus quidem nullum exinde gessit Consulatum, Lucius Vero unum tantum, eumque anno demum imperii sexto. Factus Imperator Pertinax Sosium Falconem & Fructum Clarum proximo anno nomen dare permisit. Caracalla quoque & Geta post Patris Severi mortem duobus Aspris annum aperire concesserunt. Alexander quarto tantum imperii anno Consularem purpuram induit. Et, ut brevibus me expediam, Maximianus Herculius, Licinius, tres Constantini M. Filii, Julianus, aliique a capessendo primis post initum imperium Kalendis Januariis Consulatum abstinuerunt. Hinc Pagius ipse fatetur (*d*), regulam hanc primam *Consulatuum* Cæsareorum plures præ reliquis exceptiones habere, atque adeo, si quis sine animi impetu non recto loqui velit, ob eas, quibus subjacet, exceptiones, contemni posse agnoscit. Videamus nunc de reliquis.

(a) Cap. 57.
(b) Cap. 58.
(c) Diss. Hypat. P. II. c. 1. nu. II.
(d) In Crit. ad an. Chr. 82. num. II.

Expenduntur reliquæ regulæ Hypaticæ.

XI. Consulatus itaque omnes tum Augustorum, tum Cæsarum præter primum, si quando imperii initio hunc susceperunt, ad reliquas quinque regulas revocat Pagius, *Quinquennalium* nempe, *& id genus Festorum Celebrationem, Cæsarum & Augustorum in eadem dignitate Collegium, expeditiones militares, triumphos, ludos sæculares* (*e*), aliasq; solemnitates: non quidem, quod ii annis, quibus præfata contigere, semper eum magistratum sumerent, sed quia non aliis de caussis, quam supramemoratis juxta receptum in imperio usum, illum inirent: atque ab hac consuetudine paucissimos recessisse, vir Cl. comperisse se subdit. Itaq; Tiberius, ex Pagio (*f*), imperii Augustei Quinquennalia & Decennalia bis dedit; quinquies (*g*) imperii Pro-

(e) Princ. Part. II. Diss. Hyp. nu. II.
(f) In Crit. ad an. Chr. 34. nu. II.
(g) An. seq. nu. II.

(a) An. 36. nu. II. (b) Nummis test. (c) Tacit. III. An. c. 56. (d) Suet. in Vita cap. 26. (e) Suet. in Vita cap. 17. (f) Fast. & num. (g) Sueton. in T. cap. 6. (h) Suet. in Dom. c. 13. Fast. & num. (i) Vict. in Epit. (k) In num. & Fast.

consularis Quinquennalia, ac septies (*a*) imperii Cæsarei celebravit: Germanicum & Drusum Cæsares (*b*) fecit, litteras etiam ad Senatum dedit, *quis* (*c*) *Tribuniciam Potestatem Druso petebat*, summæque rei admovit; bella nonnulla gessit, victoriasque reportavit, & alia egit, quæ ad descriptas regulas revocari possunt; attamen *non* (*d*) *amplius*, *quam omnino tres Consulatus gessit*, viginti tribus, quibus post Augustum imperavit, annis. Cajus vero, qui ei successit, nec ad quintum imperii annum pervenit, adeoque Quinquennalia nulla peregit, neminem in consortium dignitatis adscivit, victorias non reportavit, nec Triumphum aut ludos sæculares egit, *Consulatus quatuor* (*e*) *gessit*. Vespasianus undecimum imperii annum non adtigit, Consulatus tamen octo (*f*) gessit, *eidemque Conlega Titus* (*g*) *in septem Consulatibus fuit*; qui & octavum Patre mortuo accepit, plures forte gesturus, nisi post biennium, quam successerat Patri, excessisset. Domitianus vero Consulatus XVII. (*h*) cepit, sex nempe vivo Patre, septimum cum Tito, decem reliquos quindecim, quibus imperavit, annis. At Trajanus, qui altero post Domitianum anno imperium accepit, tenuitque supra decem & novem annos, bello auxit, ornavitque victoriis, *ac talem* (*i*) *se Reipublicæ præbuit*, *qualem vix ægreque exprimere valuerunt summorum scriptorum miranda ingenia*, quatuor tantum, ex quo successit Nervæ, iniit Consulatus. Duos Hadrianus, ac tres Antoninus Pius in imperio, quod ultra vicesimum annum administrarunt, *Consulatus* gesserunt, quamvis plures eorumdem juxta Pagii regulas multiplicandorum occasiones exstiterint. Marcus vero Aurelius, qui Antoninum excepit, quique decem & novem imperavit annis, atque adeo Quindecennalia ex Pagio imperii peregit, septima vero Quinquennalia imperii Proconsularis totidemque imperii Cæsarei celebravit, qui Cæsarem & consortem imperii fecit Commodum, victoriis inclaruit, triumphos egit, pluraque alia gessit, quæ multos Consulatus flagitare ex Pagii regulis videbantur, ne unum quidem post initum imperium occepit Consulatum. Severus autem semel atque iterum Consul processit, septemdecim, quibus imperavit, annis; multo frequentius processurus, siquidem expeditiones victoriasque respexisset. Elagabalus vero, cujus imperium ad integrum quadriennium non pervenit, nec nisi vitiis famosum fuit, quum a Consulatibus abstinendum ei omnino fuisset, comparet (*k*) quarta vice Consul.

Et

Et, ne longior sim, ii fere, quibus Consulatus juxta Pagii regulas minus congruebant, plures occepisse videntur; ii vero, quibus quam maxime debebantur, parciores in adsumendis Consulatibus dignoscuntur. Jurene igitur statuat has regulas Pagius, æquus judicet Lector.

Regula secunda expenditur, quæ est Quinquennalium & id genus Festorum.

XII. Ut vero ad regulas ipsas descendamus, singulasque examinemus, quum de prima satis dixerimus, heic de secunda disseremus, quæ est *Quinquennalium & id genus festorum celebratio*. Hæc itaque solemnia a Cæsaribus vel Imperatoribus *Consulari trabea indutis* peragi solita scribit Pagius (*a*); indeque secunda Consulatuum Cæsareorum regula ab eo deducitur. Dionem citat (*b*), ubi de Tiberio ait (*c*): *decem annis imperii ejus exactis, ad resumendum id nihil decreto opus habuit; neq; enim in decennia intercisum, quod Augustus fecerat, id gerere statuerat.* Hinc subdit, Tiberium primum ex Imperatoribus fuisse, qui Quinquennalia, Decennalia, & id genus festa in morem induxit. Introductam & ab eodem Tiberio secundam Consulatuum Cæsareorum regulam docet, ut nempe Imperatores annis hujusmodi festivitatibus addictis Consulatum sumerent. At ex Dione ipso, quem citat, constat quidem *decem annis imperii a Tiberio exactis ludos decennales factos*, διελθόντων ϑ τῶν δέκα ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτȣ̃, ἡ μέντοι πανήγυρις ἡ δεκαετηρὶς ἐποιήθη: sed id contigit non Tiberio, sed aliis Consulatum gerentibus; decennium namq; complevit Tiberius Cethego & Varrone Coss. (*d*); antecedentibus quoq; ac subsequentibus annis a Consulatu abstinuit Tiberius. Rursus *vicesimo anno imperii, quum frequens in Albano & Tusculi esset Tiberius, in urbem non venit; sed Coss. L. Vitellius & Fabius Priscus ludos decennales nuncupavere, tamquam ei, ut Augusto usitatum, tunc imperium prorogarent*, teste eodem Dione (*e*). Post familiam Juliam in Nerone extinctam, Cæsares omnes Vota Quinquennalia nuncupasse pro certo subdit Pagius; quumque antea nomen illud potius familiæ, quam imperii esset, Cæsares Quinquennalia non exhibuisse subdit, nisi vel Tribunicia Potestate, aut imperio Proconsulari, aut utroque exornati essent. *Hæc* itaque *solemnia ante Imperatorem Commodum sæpe cum Trabea Consulari, post illum vero, de more cum ea acta* scribit (*f*) vir doctus; *non ita tamen cum eadem conjuncta, quin aliquando Quinquennalia vel Decennalia Consulatus aut præcesserit, aut subsecutus fuerit*. Tiberius, qui anno Christi decimo quarto Augustum in imperio excepit, anno decimo octa-

(a) Diss. Hyp. P. II. cap. 2. num. I.

(b) In Crit. ad an. Chr. 14. nu. VII.

(c) Lib. LVII. p. 619. A.

(d) An. U. C. 777. Chr. 24.

(e) Dio Li. LVIII. pag. 636. C. est ann. U. C. 787. Chr. 34.

(f) Differ. Hyp. P. II. c. 2. n. XVI.

vo

vo ejuſdem Æræ *Conſul* legitur; ſicut & Claudius anno quadrageſimo primo ejuſdem Æræ Imperator creatus, anno quinquageſimo primo *Conſul* occurrit, qui duo Conſulatus Quinquennalibus Tiberii, & Claudii Decennalibus ideo addicti exiſtimantur a Pagio (*a*), quod in Faſtis, annis, quibus eæ feſtivitates agendæ erant, Imperatores *Conſules* proponantur. Hæc in Diſſertatione Hypatica; at in Critica ſumptum ſcribit (*b*) eum a Tiberio Conſulatum propter Cæſarei ejus imperii Quindecennalia ab anno Chriſti XIII, quo ei Tribunicia Poteſtas prorogata, deducta: ſequenti tamen anno, Chriſti nempe XIX, Quinquennalia imperii Auguſtei Tiberii notat, & XXI, quo Tiberius Coſs. IIII. fuit, Proconſularis ejuſdem imperii Decennalia: ſicque multiplicat hæc ſolemnia imperii, Auguſtei quidem uſque ad (*c*) ſecunda decennalia, Proconſularis autem imperii uſque ad quinta (*d*) Quinquennalia, Cæſarei vero uſque ad (*e*) ſeptima Quinquennalia; quum tamen inter tot ſolemnia, quibus Tiberii imperium implet, unus ulterius eluceat Conſulatus anno Chr. xxxi. initus. Porro, quum ſcribat Tiberium V. *Kalendas Julias* Tribuniciam Poteſtatem adeptum, V. *Kalendas* (*f*) *Septembris* Proconſulari imperio donatum, & *die* (*g*) *decima nona Auguſti* Patri in imperio ſucceſſiſſe; apud Suetonium vero hæc de Tiberio imperium adepto legantur (*h*): *nec amplius, quam omnino tres Conſulatus, unum paucis diebus, alterum tribus menſibus, tertium abſens uſq; in Idus Majas geſſit*; non jam ſumptam a Tiberio trabeam Conſularem, ut hujuſmodi ſolemnia celebraret, ſed potius depoſitam animadvertere Pagius potuit; nam iiſdem annis, quibus Conſulatum geſſit Tiberius, trabeam illam cum Conſulatu, antequam ſolemnia advenirent, depoſuit.

(a) Ibid.

(b) Ad. ann. Chr. 18. num. II.

(c) An. Chr. 34.

(d) An. Chr. 35.

(e) Ann. Chr. 36.

(f) Ad ann. Chr. 11.

(g) Ad an. Chr. 4.

(h) In Vit. cap. cap. 26.

Scribit (*i*) rurſum Pagius, Tiberium XVII. Kalendas Apriles, ſeu die XVI. Martii anno Chriſti XXXVII, Suetonio in Tiberio cap. 73, & Tacito lib. 6. Annal. teſtibus, ſupremum diem obiiſſe, atque Cajum Caligulam Germanici filium ſucceſſiſſe; anno autem Chriſti XXXXI. ſumptum fuiſſe ſubdit (*k*) Conſulatum, in ordine quartum, a Caligula juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, quum in hunc annum ejus Quinquennalia inciderent. At diſſimulat vir Cl. hoc, quod de quarto Caji Conſulatu ſcribit Suetonius: (*l*) *Conſulatum quartum geſſit*, inquit, *uſque in* VII. *Idus Januarii*. Depoſuit igitur, non vero ſumpſit hunc Conſulatum Cajus,

(i) In Crit. ad an. Chr. 37. num. II.

(k) In Crit. ad hunc an. num. II.

(l) In Cajo c. 17.

Cajus, quo tempore Quinquennalia celebrare debebat. Anno Christi xxxxvi. Consules fuere Valerius Asiaticus II. & M. Junius Silanus, filius, ut subdit ex Norisio Pagius (a), Appii Junii Silani ac Æmiliæ Lepidæ proneptis Augusti, & frater L. Silani, Claudii Augusti generi; hinc liquere docet (b), Claudium hoc anno Quinquennalia exhibuisse: *annis enim*, inquit, *hujusmodi solemniis dicatis, si Imperatores Consulatum non sumerent, eum in propinquos & viros, qui jam ea dignitate functi essent, de more transferebant*. Atque hoc modo addit, & detrahit positis jam regulis, difficultatesque tali pacto eludere conatur. Mors Claudii Imperatoris, ipso teste (c), contigit die XIII. Octobris anno Christi liiii, eique tum successit Nero: anno autem Christi lviii. sumptum a Nerone Consulatum in ordine *tertium* scribit (d) juxta secundam Consulatuum Cæsareorum regulam, Augusteique imperii Quinquennalia Neronem hoc anno dedisse. At, quum *Consulatum tertium* Nero *quadrimestrem* tantum gesserit, teste Suetonio (e), Quinquennalia vero in diem XIII. Octobris inciderint, deposuisse & ipsum trabeam Consularem ante ea solemnia, non ob ea illam sumpsisse dignoscitur. Decennalia vero ejusdem Neronis, quum non habeat Pagius Consulatum, quocum ea jungat, in posteriorem annum Christi lxiiii. differt, & persecutionem adversus Christianos tum excitasse Neronem scribit (f), indeque *factum, ut ceteri postea Imperatores, qui Christianos vexarunt, annos hujusmodi solemniis addictos elegerint*. Die XX. Decembris anni Christi lxix. occiso Vitellio Cæsar consalutatus est Domitianus; *Idibus* vero (g) *Septembris* anni lxxxi. Titum in imperio excepit, imperavitque xv. annis: hinc quinta imperii ejusdem Cæsarei Quinquennalia, ac tria imperii Augustei numerat Pagius, copulatque cum Consulatibus, quod perfacile ei fuit, nam Domitianus *Consulatus* (h) XVII. *cepit, quot ante eum nemo*. Animadvertere tamen poterat vir perspicacissimus hujusmodi Consulatuum congeriem sibi nequaquam favere, nam *non* (i) *gessit quemquam* Domitianus *ultra Kalendas Maji, plures ad Idus usque Januarias;* adeoque nulla Quinquennalia cum Consulari trabea edidit. Post Domitianum Nervæ delatum est imperium, paulloque post a Nerva communicatum Trajano: hinc anno Christi cvii. Decennalia imperii Proconsularis Trajani, & quidem uno anno dilata recitat Vir cl. *C. Sosio* (k) *Senecione* IIII *& L. Licinio Sura* III. *Coss;* quo anno

(a) In Crit. ad an. Chr. XLVI. n. I.

(b) In Crit. ad eumd. an. nu. II.

(c) In Crit. ad an. Chr. LIV. nu. II.

(d) Ad ann. Chr. LVIII. num. II.

(e) In Vita c. 14.

(f) In Crit. ad eumd. an. num. II.

(g) Sueton. in T. cap. 11.

(h) Id. Suet. in Vita cap. 13.

(i) Id. Ibid.

(k) In Crit. ad eumd. an. nu. II.

anno, quum non habeat Conſulem Trajanum, exhibet nobis numerum Conſulatuum, quo privati ejus anni Conſules præſtabant, & Chriſtianorum perſecutionem, facile aliquid aliud prolaturus vir acutiſſimi ingenii, ſi hæc non occurriſſent: neque enim res memoria dignæ imperante Trajano deficere poterant. Hinc anno ſequenti Decennalia imperii Auguſtei ejuſdem Trajani cum ſecundo triumpho Dacico conjungit (*a*); at ſine *Conſulatu*, utpote, qui non occurrit. Anno autem Chriſti CXI. *Coſs. C. Calpurnio Piſone & M. Vettio Bolano* imperii Proconſularis Quindecennalia, quorum cauſſa Dacicarum victoriarum memoria renovata, Trajanum exhibuiſſe ſcribit (*b*); at hunc non habet *Conſulem*, nec ſatis probat, Quindecennalium cauſſa Dacicarum victoriarum memoriam fuiſſe renovatam: Vicennalia quoque tum imperii Proconſularis, tum Auguſtei anno Chriſti CXVI, & ſequenti tranſigere abſque ejuſdem Trajani *Conſulatu* cogitur. Quinquennalia pariter Hadriani uſque ad Vicennalia celebrata ponit abſque ullo Principis *Conſulatu*. Quatuor item Antonini Pii Quinquennalia tum imperii Proconſularis, tum Auguſtei procul ab omni *Conſulatu* ejuſdem exhibet. Marci autem nonniſi duos *Conſulatus* habet Vir eruditus, quos ejuſdem Quinquennalibus aptet; quum tamen ſeptima tum imperii Cæſarei, tum Proconſularis, tertia Auguſtei Quinquennalia eo adfirmante ediderit Marcus. Neq; etiam Commodi Quinquennalibus ſufficiunt *Conſulatus* ejuſdem; quemadmodum etiam in Caracalla evenit. In Elagabalo autem ſuperfluunt *Conſulatus*; ejus enim imperium, etſi rebus geſtis ſit vacuum, plenum tamen eſt Conſulatibus, ita ut primum & tertium ſumptos a ſtolido & exlege Imperatore præter regulas Pagius (*c*) ipſe fateatur. At vero in Alexandro tribus ejuſdem Quinquennalibus tum imperii Cæſarei, tum Auguſtei ſatis non ſunt tres, quos geſſit, *Conſulatus*. Quinquennalia quoque imperii Auguſtei Gordiani abſque *Conſulatu* fuerunt. Itaque Quinquennalia & id genus feſta, tum ante Imperatorem Commodum, tum poſt illum ſæpe ſine trabea Conſulari acta occurrunt. Quod animadvertens Pagius ipſe, ut effugium ſibi pararet, non ita tamen cum trabea Conſulari conjuncta id genus feſta ſubdit (*d*), quin aliquando Quinquennalia vel Decennalia *Conſulatus* aut præceſſerit, aut ſubſecutus fuerit. Non tamen animadvertit, tot tantiſque exceptionibus, ſi quam obtinent Hypaticæ regulæ, probabilitatem omnem illis detrahi.

Demum

(a) Ad eumd. an. num. II.

(b) Ad hunc ann. num. II.

(c) In Critica ad an. Chr. 220. n. I.

(d) Diſſ. Hypat. p. II. c. 2. nu. XVI.

Demum, quod ad *secundam* hanc *regulam* ſpectat, manifeſti erroris ea convinceretur, ſi Quinquennalia, uti nos contendimus (*a*), per priora tria ſæcula edi ab Imperatoribus nulla conſueverunt, nec niſi Decennalia imperii celebrata ſunt; adeo ut Quinquennalia omnia, tum etiam Decennalia Cæſarei, ſive Auguſtei, ut vocat Pagius, imperii, item Proconſularis, ac Tribuniciæ Poteſtatis, ſi vera nos dicimus, evaneſcant, neceſſe ſit. Themiſtius quidem Pagio favere videtur, ubi de *Conſulatu* Saturnini anno U. C. MCXXXVI. Chriſti CCCLXXXIII. geſto ita diſſerit. *Magnus*, inquit, *ex iis*, *quæ dixi*, *merito præſens eſt habendus honor*, *ſed ex iis*, *quæ deinceps audietis*, *multo pluris exiſtimandus eſt; nam*, *quum ſuperioris memoriæ Imperatores omnes hoc ſibi devitandum in primis putare conſueviſſent*, *ut ne Quinquennali aut Decennali vertente curriculo eum Magiſtratum*, *a quo annus inſcribitur*, *cuiquam concederent*, *hanc tamen ille prærogativam iſti detulit*, *& Conſulatum dedit*, *neutiquam cum aliis numerandum*, *ſed tanto pluris æſtimandum*, *quanto præſentia Quinquennalia annis prioribus antecellunt*. *Sic*, *quod nemini antea tributum fuit*, *in Imperatorio luſtro primas in Republica privatus tenet*, *neque hoc ſimplici ratione*, *ſed ita*, *ut id in primo luſtro*, *& propterea grato & accepto ſit conſecutus*. *Quem igitur pro ſe*, *quem ipſemet*, *quem in primo Annali imperii orbe Conſulem fecit*, *nonne ille beatus*, *& in pretio habendus*, *qui tot nominibus ceteros vincit*, *qui eumdem honorem aliquando ſunt adepti?* Qua Themiſtii oratione, Pagio, quum Diſſertationem Hypaticam ſcriberet, ignota, quia lucem non viderat, non ſolum hanc regulam, quæ ſecunda Conſulatuum Cæſareorum eſt, veriſſimam oſtendi is autumat (*b*), ſed etiam omnia Cenſorum argumenta in alias eorumdem Conſulatuum regulas in medium adducta prorſus everti; quum, ut ſubdit, contra ceteras nihil objectum fuerit, quod contra ſecundam etiam non militet; quam tamen certam indubitatamq; eſſe, nullum nunc negare poſſe, pronuntiat. Ipſum Themiſtium intelligit, & quidem recte etiam ipſe Pagius (*c*) *poſt diviſum imperium*, *quod anno* Chriſti CCCXXXVII. *contigit*; ita ut ſenſus ſit, „ Imperatores omnes Orientis, [de his enim tantum loquitur, „ quando ait: *ſic*, *quod nemini antea tributum fuit* etc.], in primis ſuis Quinquennalibus, ſeu in primo imperii ſui luſtro „ ſemper Conſulatum capeſſiſſe “. At hoc nihil contra nos, qui de ſuperiore præſertim tempore inquirimus, quo Quinquennalia nulla fuiſſe credimus; &, ſi fuiſſent, eadem Quin-

(a) Animadv. de Vot. X.

(b) In Crit. ad an. Chr. 383. num. II.

(c) Ibid. nu. III.

quennalia cum Consulatibus non convenire ostendimus. Quæ si animadvertisset Inl. Spanhemius, non facile, ut putamus, scripsisset (*a*), iteratos ab Imperatoribus ac Cæsaribus in eorum Quinquennalibus ac Decennalibus *Consulatus*, ex Fastis aliisque monumentis veterum abunde constare.

(a) Dissert. XII. pag. 445.

Tertia regula expenditur.

XIII. Quinquennalibus & id genus festis, quæ secundam Consulatuum Cæsareorum regulam ex Pagio constituunt, examinatis, venio ad *tertiam* (*b*), *quæ ex conlegio trabeæ cum aliis Cæsaribus aut Augustis desumitur*. Quando itaque plures uno eodemque tempore dignitate Cæsarea aut Augustea præditi erant, eos libentius simul, quam cum privatis Consularem dignitatem iniisse, idem Pagius animadvertit. Dedignabantur enim aliqui, ex ipso, privatorum in Consulatu conlegium, a quo tamen alii hac in re moderatiores non abhorrebant. Hæc Pagius, quæ ita quidem admitti possunt, ut tamen Consulatuum Cæsareorum regulam constituere non dicantur: nam, si dedignabantur aliqui, privatos in Consulatu habere conlegas, modestiores vero non abhorrebant, non bene in illis solis & quidem minus modestis nititur hæc regula, ac minus modesta etiam ipsa videri potest. Cajum & Lucium Agrippæ ac Juliæ filios Cæsares fecerat Augustus, imperioque destinarat, adhuc tamen Augustus ipse semel atq; iterum cum privatis *Cos.* processit, tum etiam Cajus (*c*) cum L. Æmilio Paullo, & non cum Augusto. Antea Tiberius *Tribuniciæ Potestatis consortione æquatus Augusto*, in duorum, quos gessit, *Consulatuum* altero (*d*) quidem P. Quintilium Varum, in altero (*e*) C. Calpurnium Pisonem conlegas habuit. Ubi vero imperium adeptus est, proximum annum (*f*) Druso Cæsari filio, Cajoque Norbano Flacco aperiendum reliquit. Vespasianus quidem, qui, dum imperium rexit, octavo *Consul* ordinarius processit, Titum filium septies conlegam habere voluit, quemadmodum Suetonius in Tito cap. 6. docet, & animadvertit Pagius (*g*). At peculiare genti Flaviæ fuit imperium Consulatibus implere; nam & Domitianus *Consulatus* XVII. *cepit, quot ante eum nemo*, immo & post eum, si unum excipias Theodosium Juniorem, qui decem & octo cepit. Ipse tamen Vespasianus in Consulatu suo tertio (*h*) conlegam habuit Nervam, & biennio (*i*) post cum Domitiano Cæsare *Consulem* fecit M. Valerium Messalinum. Nerva, postquam Trajanum adoptavit, creavitque Imperatorem, in Consulatu (*k*) etiam conlegam adscivit. At Ælius

(b) Diss. Hyp. P. II. cap. 8. num. I.
(c) An. U.C. 754. Chr. 1.
(d) An. U.C. 741.
(e) An. U.C. 747.
(f) An. U.C. 768. Chr. 15.
(g) Loco mox cit.
(h) An. U.C. 824. Chr. 71.
(i) An. U.C. 826. Chr. 73.
(k) An. U.C. 851. Chr. 98.

Ælius Verus ab Hadriano adoptatus & Cæſar dictus, cum P. Cælio Balbino Vibullio (*a*) Conſulatum iniit. Poſt exceſſum Hadriani *Conſulem* (*b*) *ſecum Pius Marcum* (*c*) *deſignavit, & Cæſaris appellatione donavit; ſecundum etiam Conſulem* (*d*) *deſignavit, quum ipſe quartum pariter iniret;* at poſtea L. Verum adhuc privatum ipſi Marco conlegam dedit (*e*). Marcus etiam, qui poſt exceſſum Pii *Cæſarem* (*f*) *atq; Auguſtum dixit* Verum, T. Numidio Quadrato ineundum cum Vero Conſulatum anno U. C. DCCCCXX. (*g*) reliquit. Commodum quoq; filium Cæſarem nuncupatum, donatumque Tribunicia Poteſtate, uno (*h*) & altero (*i*) Conſulatu, cum privatis tamen gerendo, extulit. Severus equidem Conſulatum ſuum tertium (*k*) cum Antonino filio iniit, & ipſi Antonino conlegam in Conſulatu II. (*l*), ac III. (*m*) Getam alterum filium Cæſaremque dedit. Macrinus vero, qui Diadumenianum filium habebat Cæſarem, *Conſul* (*n*) proceſſiſſe legitur cum Advento. Elagabalus autem quartum initurus Conſulatum (*o*), Alexandrum, quem Cæſarem fecerat, conlegam adſumpſit. At Maximinus, qui Cæſarem Principemque Juventutis renuntiarat Maximum filium, cum C. Julio Africano Conſulatum (*p*) accepit. Philippus in ſecundo (*q*), ac tertio (*r*) Conſulatu conlegam habuit Philippum filium, eumdemque Cæſarem. Trajanus vero Decius, quum Q. Herennium & Hoſtilianum filios feciſſet Cæſares, Conſulatum (*s*) mox cum Annio Maximo Grato iniit. Gallus, ubi ad imperium venit, adſcivitque ad illud Voluſianum, cum hoc *Conſul* (*t*) proceſſit; ſed anno ſequenti M. Valerium Maximum Voluſiano conlegam adſignavit. Imperium adeptus Valerianus in tribus (*u*), quos inde geſſit, Conſulatibus conlegam habuit Gallienum filium, imperiique conſortem. Ipſe vero Gallienus, quamvis & *filium* & fratrem Cæſares haberet, quater (*x*) tamen cum privatis inde proceſſit: & Valeriano fratri L. Cæſonium Rufinianum (*y*) conlegam dedit. Imperator Carus (*z*) Carinum Cæſarem adſumpſit conlegam; hinc Numerianum alterum filium ac Cæſarem (*&*) Carino junxit. Contigit vero, ut ab hoc tempore ad Julianum uſque privati admodum pauci ad gerendum cum Auguſtis aut Cæſaribus Conſulatum admitterentur. Illud autem in cauſſa fuiſſe videtur, quod plures tum Imperatores tum Cæſares ſimul exſtiterint; ac nova etiam forma imperii invecta eſt, quæ hunc morem ferebat. Adhuc tamen Ammianus (*ç*)

(a) An. U.C. 890. Chr. 137.
(b) Capitol. in M. cap. 6.
(c) In an. U.C. 893 Chr. 140.
(d) In an. U.C. 898 Chr. 145.
(e) An. U.C. 914. Chr. 161.
(f) Capitol. in M. cap. 7.
(g) Chr. 167.
(h) An. U.C. 930. Chr. 177.
(i) An. U.C. 932. Chr. 179.
(k) An. U.C. 955. Chr. 202.
(l) An. U.C. 958. Chr. 205.
(m) An. U.C. 961. Chr. 208.
(n) An. U.C. 971. Chr. 218.
(o) An. U.C. 975. Chr. 222.
(p) An. U.C. 989 Chr. 236.
(q) An. U. C. 1000 Chr. 247.
(r) An. U.C. 1001. Chr. 248.
(s) An. U.C. 1003. Chr. 250.
(t) An. U.C. 1005. Chr. 252.
(u) An. U.C. 1007. Chr. 254. ſeq. & U. C. 1010. Chr. 257.
(x) An. U.C. 1014. Chr. 261. & ſequ. rurſum U.C. 1017 & 1019.
(y) An. U.C. 1018. Chr. 265.
(z) An. U.C. 1036. Chr. 283.
(&) Ann. ſeq.
(ç) Lib. XV.

Constantium Augustum Constantini M. filium superbiæ arguit, *quod nec in trabea socium privatum adsciverit, ut fecere Principes consecrati*. Post Julianum vero conlegæ Imperatorum rursum adsumi cœperunt privati viri. Quæ quum ita sint, inde constat, quantum deferendum sit tertiæ circa Imperatorios Consulatus Pagii regulæ, quæ ex conlegio trabeæ cum aliis Cæsaribus Augustisve desumitur.

Quarta Regula Hypatica expenditur, quæ est Expeditionum militarium.

XIV. *Petitur quarta regula ab expeditionibus militaribus; non raro enim*, ait Pagius (*a*), *Imperatores, quum eas susciperent, vel postquam de hostibus victores evasissent, Consulatum ordinarium adsumebant*. Hinc ad annum Christi XXXX. (*b*) ab ipso dicitur Cajus Augustus III. solus Consulatum gessisse juxta quartam Consulatuum Cæsareorum regulam, propter nempe bellum Britannicum, ex quo redux, *ovans* urbem Romam *natali suo ingressus est*, Suetonio teste (*c*), postremo scilicet mensis Augusti die. Post Caligulam Domitianus & alii Imperatores propter bella aut victorias *Consulatum* suscepisse dicuntur a Pagio, *licet id rarius*. Si rarius itaque, cur tamquam Consulatuum Cæsareorum regula idipsum proponitur? Expeditiones militares ab Imperatoribus susceptas, victoriasq; ex iisdem reportatas, non paucas habemus; rarius vero Consulatus cum illis conjunctos animadvertimus: quo igitur jure petitur ab Expeditionibus victoriisque Consulatuum regula? Præterquamquod exempla ipsa, quibus hanc regulam constituere Pagius nititur, non multum ei favent. Cajus enim Expeditionem Britannicam seu Germanicam ante susceperat, quam Consulatum tertium iniret; teste namque Suetonio (*d*) *Consulatum tertium Lugduni iniit solus*, suscepta jam expeditione. Quum vero Consulatum hunc *tertium usque in Idus Januarii* tantum gesserit eodem adfirmante Suetonio (*e*), *ovans* autem Romam natali suo ingressus sit, postremo scilicet mensis Augusti die, aperte constat, *Consulatum* hunc propter bellum victoriasq; Germanicas a Cajo minime susceptum. Nero quidem *credens* (*f*) *expeditionem contra Gallos necessariam, Consules ante tempus privavit honore, atque in utriusq; locum solus iniit Consulatum*: at deridetur a Suetonio (*g*); *quasi fatale esset, non posse Gallias debellari, nisi a Consule, ac susceptis Fascibus*. Unde non bene in aliorum exemplum trahitur Nero a Pagio (*h*). Tertium quoque Claudii Consulatum sumptum ab hoc Imperatore propter expeditionem Britannicam in Dissertatione

(a) Diss. Hypat. P. II. cap. 8 num. IV.
(b) In Critica.
(c) In Vit. cap. 49.
(d) In Vita c. 17.
(e) Ibid.
(f) Suet. in Vita cap. 43.
(g) Ibid.
(h) In Crit. ad an. Chr. 68.

tatione Hypatica *(a)* ſcripſerat Pagius: at in Critica *(b)* ad (a) Par. II. cap. II. num. VIII.
primam Conſulatuum Cæſareorum regulam revocavit. E con- (b) Ad ann. Chr. 43.
tra depoſitum a Claudio ante expeditionem Conſulatum nos animadvertimus. *Bimeſtrem* fuiſſe hunc *Conſulatum* Auctor eſt Suetonius *(c)*, *Semeſtrem* vero Dio *(d)*, ita tamen ut (c) In Claud. c. 14.
abiiſſe Magiſtratu Claudium, antequam Roma proficiſceretur, (d) Lib. LX. pag 680. A.
innuat; quippe ſubdit: Γαΐου τε Κρίσπου τὸ δεύτερον, καὶ Τίτου Στατιλίου ὑπατευόντων, ἦλθέ τε ἐς τὴν Ῥώμην ὁ Κλαύδιος, ἕξ μῆνας ἀποδημήσας, *Romam illum rediiſſe C. Criſpo II. T. Statilio* ſequentis anni *Coſ. ſexto, quam diſceſſerat, menſe*. Sumptum a Domitiano Conſulatum decimum juxta quartam regulam, ob bellum nempe adverſus Cattos tradit Pagius *(e)*; at nos depoſitum potius ob eandem (e) In Crit. ad an. Chr. 84.
expeditionem hunc Conſulatum exiſtimamus; *omnes enim (f)* (f) Suet. in Vita cap. 13.
Conſulatus pæne titulo geſſit Domitianus, *nec quemquam ultra Kalendas Maji, plures ad Idus uſque Januarias*. Neque vero ante Kalendas Majas, multo minus ante Idus Januarias expeditionem ſuſcepiſſe Domitianus credi poteſt. Quinquennio poſt, i. e. anno Chriſti LXXXIX. ſecundum *bellum Dacicum*, quod Domitianus hactenus per Legatos, hoc anno præſens geſſiſſe dicitur a Pagio *(g)*, qui & eum adulto vere Roma digreſ- (g) Ad hunc an. in Crit.
ſum conſtare tradit. At eo anno Coſs. proceſſerant *T. Aurelius Fuluus II. & A. Sempronius Atratinus*, ut notat ipſe Pagius. Nullus itaque mos ſumendi propter expeditiones bellicas Conſulatum, quin potius cauſſam ejuſdem recuſandi ab illis petitam legimus. Trajanus enim *tertium (h) Conſulatum recuſa-* (h) Plin. in Paneg. cap. 56.
vit, ex ea præcipue ratione, quod eum abſens gerere non poterat. Contigit (i) ergo privatis aperire annum, Faſtoſque reſerare. (i) Cap. 60.
Plures vero ſuſcepit idem Imperator expeditiones, pluraque bella geſſit; nec tamen propter hæc *Conſulatus* iniit. Hadrianus quoque, quum altero poſt acceptum imperium anno Romam petiiſſet, iniiſſetq; *tertium (k) Conſulatum, quatuor men-* (k) Spart. in Vit. cap. 8.
ſibus tantum egit, eoque abdicato Roma diſceſſit, itinera expeditioneſque adgreſſus, nullo amplius ſumpto *Conſulatu*. L. Verus in ſextum, & quidem exeuntem imperii annum, ob expeditionem Parthicam *Conſulatum* diſtulit. Marcus vero Aurelius nec ante nec poſt Germanicam expeditionem Conſulatum admiſit. Severus etiam bellis implicitus expeditionibuſque diſtractus ab hoc Magiſtratu abſtinuit. Caracalla contra Parthos, Alexander vero, & Gordianus Pius contra Perſas abſque trabea Conſulari profecti ſunt: nam, quod habet Pagius *(l)*, Ale- (l) Diſſer. Hyp. P. II. c. 8. nu. IV.
xandrum

xandrum nempe Consulatum tertium bello Persico destinasse, alibi (*a*) retractat. Hæc autem, ne alia adducam exempla, satis, ut opinor, ostendunt, Consulatum ab Imperatoribus *ob expeditiones militares* sumi non consuevisse, contra quod tradit Pagius.

(a) In Crit. ad an. Chr. 229. num. II.

Quinta Regula Hypatica, quæ est Triumphorum examinatur.

XV. *Triumphi* quintam apud Pagium constituunt Consulatuum Cæsareorum regulam, triumphantesque Imperatores, quo hæc pompa inlustrior foret, *Consulatu* ordinario decorari voluisse ab eo dicuntur (*b*); non quidem (*c*), ut Consulatu durante, ac intra priores duos anni menses, quibus Magistratum illum gerere solebant, triumphum agerent; sed, ut Imperator ab illo dignitatis cumulo, quemadmodum Libanius in Panegyrico Juliani Augusti loquitur, eo anno magis celebraretur. Unde Procopius Lib. II. Hist. Vandalicæ loquens de Triumpho Belisarii anno Christi DXXXIIII. gesto, ait: *non multo post Belisario, quod ei ex vetere more ad triumphi speciem deerat, accessit; Consul enim est factus*. Sumptum itaque tradit Pagius (*d*) a Vespasiano *Consulatum tertium* juxta quintam Consulatuum Cæsareorum regulam, propter triumphum nempe Judaicum. Ceteros deinceps Imperatores annis, quibus triumpharunt, Consules processisse, vel triumphum cum Decennalibus & id genus festis copulasse subdit.

(b) Diss. Hypat. P. II. cap. 9. num. I.
(c) In Crit. ad an. Chr. 71. num. I.
(d) Ibid.

At, præterquamquod Imperatores Vespasiano superiores ignorarunt hanc regulam, nec ejusdem auctor fuisse videtur Vespasianus; nam *triumphavit* (*e*) *cum Patre* etiam Titus jam Imperator, imperiique conlega, & tamen non fuit *Consul*. Si itaq; Consulatum tertium propter triumphum Judaicum sumpsisset Vespasianus, conlegam certe quemadmodum in triumpho, ita in *Consulatu* adscivisset Titum, & tamen Nervam habuit. Hinc Trajanus secundum triumphum Dacicum exhibuisse dicitur ab ipso Pagio (*f*) *Coss. Ap. Annio Treboniano Gallo & M. Atilio Metilio Bradua*. Quum autem vulgaris opinio Marci & Lucii triumphum anno Christi CLXVI, quo *Coss.* fuere *Servilius Pudens, L. Fufidius Pollio*, ductum credat, existimare tamen se ait Pagius (*g*), illum ad annum præcedentem pertinere, quo *Consules* processerant *L. Arrius Pudens & M. Gavius Orfitus*: Cassiodorus enim sub Orfiti & Pudentis Consulatu scribit: *His Coss. Lucius Cæsar de Parthis cum fratre Antonino triumphavit*. Utut sit, neq; enim id investigandi heic locus, triumphantes Lucius ac Marcus Imperatores

(e) Sueton. in T. cap. 6.
(f) In Crit. ad an. Chr. 108.
(g) In Crit. ad an. Chr. 166. nu. II.

Consulatum non inierunt. Commodus etiam ejusdem Marci filius *cum (a) Patre Imperator est appellatus quinto Kalendarum Decembrium die, Pollione & Apro Coss. (b), & triumphavit cum Patre*; uti Pagius ipse (*c*) fatetur; qui & Severi, filiorumq; triumphum ad annum (*d*) refert, quo Coss. fuerunt Plautianus & Geta Severi frater. Triumphum quoque Alexandri Persicum, quem in Consulatu ejusdem tertio ad hoc sumpto actum scripserat Pagius in Dissertatione Hypatica (*e*), in sequentem annum, quo Consulatum inierunt L. Virius Agricola & Sex. Catius Clementinus, differt (*f*) in Critica. Anno quidem Christi CCLXIIII. sumptum fuisse scribit (*g*) a Gallieno Consulatum sextum juxta quintam Consulatuum Cæsareorum regulam ob *triumphum* nempe *Persicum*; nam Pollio in duobus Gallienis cap. 10. ait: *Gallieno & Saturnino Consulibus*, [est hic Gallieni Consulatus sextus], *Odenatus Rex Palmyrenorum obtinuit totius Orientis Imperium*, additque, illum statim bellum Persis indixisse, Nisibin & Carras occupasse. Tum subjicit: *Vincente Odenato triumphavit Gallienus*. At, si Consulatum Gallienus jam tum inierat, quum Odenatus obtinuit Orientis imperium, nec nisi postea bellum Persis indixit Odenatus, Nisibin & Carras occupavit, quo vincente triumphavit Gallienus; hic triumphus posterior Consulatu Gallieni fuit, adeoque propter triumphum non est sumptus idem Consulatus. Triumphavit Aurelianus in Consulatu (*h*) suo tertio, Probus in quinto, seu potius in quarto (*i*); at neuter, ut videtur, juxta quintam Pagii regulam. Nam pæne omnes Consulatus sibi reservarunt hi duo Imperatores, nec nisi semel Probus, Aurelianus vero iterum aliis concessit; quare triumphi cum *Consulatibus* conjuncti nulla arte sunt. Præterea, quum non toto anno Consulatum gerere, quin vix adtingere quandoq; solerent Imperatores, *triumphos* vero adulto ut plurimum aut exeunte anno duci contingeret, abdicato jam Magistratu Aurelianum quoque & Probum triumphasse verosimilius est. Maxentius vero, qui *Consulatum* IV. ob triumphum Africanum sumpsisse dicitur a Pagio (*k*), anno, qui Consulatum præcessit, quove *Consul* non fuit, triumphasse mihi videtur. Nam, ut Pagius ipse (*l*) notat, bellum inter Constantinum & Maxentium non eo anno, quo *Consul* IIII. fuit Maxentius, sed præcedenti inchoatum. Auctor enim incertus Panegyrici Constantino dicti cap. 21. testatur eam *expeditionem annuam* fuisse.

Eutropius

(a) Lamprid. in Com. cap. 2.
(b) An.U.C. 929. Chr. 176.
(c) Ad hunc ann. in Crit. num. III.
(d) Chr. 203. in Crit. num. IV.
(e) Par. II. cap. 9. num. V. & cap. 12. num. VIII.
(f) Ad ann. Chr. 230. num. IV.
(g) Ad hunc ann. in Crit. nu. I. & II.
(h) An.U.C. 1027 Chr. 274.
(i) An.U.C. 1034. Chr. 281. vel seq.
(k) In Diss. Hyp. p. II. c. 13. nu. III. & in Crit. ad an. Chr. 312. nu. I.
(l) Heic in Crit. num. III.

Eutropius vero Lib. x. ait. *Quinto Constantinus imperii anno bellum adversus Maxentium civile commovit, copias ejus multis præliis fudit*. Quintus Constantini annus, ex ipso Pagio, die xxiv. Julii anno, qui *Consulatum* Maxentii quartum præcessit, absolutus, eoque proinde anno bellum Maxentianum inchoatum. At vero ante triumphaverat Maxentius; nam, quum belli occasionem adversus Constantinum quæreret, ante omnia res Africanas componere decrevit, teste Zosimo (*a*). Quare contractas copias misit in Africam contra Alexandrum, ibi appellatum a militibus Augustum, qui primo prælio victus est & interfectus. *Bello in hunc modum finito*, εἰσήγετο δὲ θρίαμβος εἰς τὴν Ῥώμην, *Romæ triumphatum est*: indeque bellum adversus Constantinum exarsit. Ante quartum itaque Maxentii *Consulatum*, anno videlicet Christi cccxi, qui octavo Galerii Maximiani *Consulatu* notatur, actus est a Maxentio triumphus. Pagius autem eo, quod eodem anno cccxi. Maxentius *Consul* non processit, ejus triumphum in annum sequentem differt (*b*), ex *Consulatu triumphum* probans, quum ex *triumphis Consulatus* probare instituisset. Quæ si animadvertisset Spanhemius, Pagii opinionem, tum de hoc Maxentii triumpho, tum de *quinta Consulatuum Cæsareorum regula*, non ita facile probasset (*c*). *Consulatum* porro XI. Honorii, quem juxta quintam regulam & ob triumphum de Attalo Tyranno sumptum dixerat in Dissertatione (*d*) Hypatica, ad secundam regulam revocat (*e*) in Critica Pagius, ad quinta nempe Quinquennalia imperii vivente Patre suscepti. Restat Belisarii triumphus, simulque *Consulatus* anno Christi dxxxv. gestus; nam in posterum bello Gothico prohibente, ait (*f*) Pagius, *Consules* primo in Occidente creari desiti; mox Occidentis exemplum Orientales quoque secuti sunt. Sumptum itaq; a Belisario hunc Consulatum juxta quintam regulam scribit (*g*) idem Pagius. Triumphaverat anno antecedenti dxxxiiii, quo *Consul* IV. processerat Justinianus, ut videre est apud Procopium libro secundo Historiæ Vandalicæ (*h*). Notat vero Pagius (*i*) Procopium ipsum, ubi triumphum narravit, hæc addere: *Non multo post Belisario, quod ei ex veteri more ad triumphi speciem deerat, accessit. Consul enim factus, captivorum portatus humeris, curruique impositus, inde missilia sparsit in vulgus de Vandalorum spoliis. Plebs argentea vasa, zonas aureas, multaque regii luxus instrumenta rapiens, læta est, reddito per Belisarium antiqui Consulatus spectaculo*. Hanc quintam

(a) Lib. II.

(b) In Crit. ad an. Christi 306. num. XVIII. & 312. n. I

(c) Diss. XII. pag. 458.

(d) Part. II. c. 14. num. VI.

(e) Ad ann. Chr. 417.

(f) Diss. Hypat. Part. II. cap. ult. num. IV.

(g) Ibid.

(h) Cap. 9.

(i) Cap. 9. ejusd. Diss. Par. II. nu. IX.

quintam Consulatuum Cæsareorum regulam ita diserte a Procopio memoratam, nonnisi post absolutum opus, Dissertationem nempe Hypaticam, in eodem Auctore se observasse subdit Pagius, gavisusq; est, Scriptorem, qui dictis fidem adstrueret, se invenisse. At, unde gaudeat, ego non satis video; neque Procopium fidem ejus dictis adstruere intelligo; non enim datum docet Historicus *Consulatum* Belisario ante triumphum, ut nempe cum Consulari trabea, aut eo anno, quo erat *Consul*, triumpharet; sed post triumphum concessum illi Consulatum notat: quæ res nihil, ni mea me fallit opinio, Pagium juvat. Sane anno Christi DXXXIV. triumphum Belisarii, sequenti vero ejusdem Consulatum vir ipse Cl. ponit. Narrato triumpho, subdit Procopius, *haud multo post Belisarium peregisse alterum, & quidem more veteri triumphum*, sive pompam: Ολίγῳ δὲ ὕστερον Βελισαρίῳ καὶ ὁ θρίαμβος κατὰ δὴ τὸν παλαιὸν νόμον ξυνετελέσθη. ἐς Ὑπάτους γὰρ προελθόντι οἱ ξυνέπεσε φέρεσθαί τε πρὸς τῶν αἰχμαλώτων. *Consulem quippe procedentem captivi portarunt, idemque e curuli sella belli Vandalici manubias populo sparsit. Vasa siquidem argentea, zonas aureas, aliarumq; rerum pretiosarum, quas habuerant Vandali, magnam copiam populus*, ἐκ τῆς Βελισαρίου Ὑπατείας, *propter Belisarii Consulatum rapuit; ac dies partem eorum, quæ desuetudine jampridem abierant, revocare visa est*. Processum porro hunc Consularem, utpote triumpho seu pompæ triumphali similem, vocat Procopius triumphum. Nec vero scribit, *Consulatu* ipso *id, quod Belisario ex veteri more ad triumphi speciem deerat, accessisse*; sed solum tradit historicus, Belisarium non multo post triumphum iniisse Consulatum & quidem more veteri, quod in triumpho non acciderat, ut antea notarat. Quare dies illa, *Kalendarum* nempe *Januarii* partem eorum, quæ desuetudine jam abierant, revocare visa; nam in Consularibus *Processionibus (a) Marciani Constitutio abnegaverat omnino munificentiam*. (a) Novell. CV. Justin. Justinianus autem, & forte quidem Belisarii Consulatus occasione, *correxit eam caussam voluntate ejus, qui Consulatus haberet honorem, disponens: sive enim*, ait (*b*), *nihil voluerit spargere, non cogimus; sive rursus venire ad hoc voluerit, & ex argento muneribus honorare populum, nec hoc interdicimus*. (b) Ibid. Reverso itaque Romam, victoriis manubiisque hostium prædito Belisario prius triumphum, postea *Consulatum* detulit Justinianus, ut & honori consuleret, & largiendi occasionem præberet. Non ergo datus est *Consulatus* Belisario, ut eo anno *Cos.* vel cum *Consulari*

trabea triumpharet; sed, antequam *Consul* esset, triumphavit; adeoque quintam Pagii Regulam Hypaticam juvare hic triumphus non videtur.

Sexta Regula expenditur, quæ est Ludorum Sæcularium, aliarumque solemniorum actionum.

(a) Zosim. Libro II. Hist.

(b) An. XI. c. 11.

XVI. Sexta tandem regula, *Ludos Sæculares* præcipue respicit; quo autem jure nunc videndum. Animadvertendum itaque in primis est, ludos sæculares κατὰ τὴν ὥραν τοῦ θέρους (*a*), *æstivo tempore* peragi solitos, Imperatoresque cum XV. Viris victimas cecidisse Jovi, Junoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, tum præter hos, Parcis, & Lucinis, & Cereri, & Diti Patri, & Proserpinæ. Hinc ludis sæcularibus, quos Domitianus edidit, intentius se adfuisse *Sacerdotio Quindecimvirali* præditum scribit Tacitus (*b*), *quia* nempe *Conlegio Quindecimvirum antiquitus ea cura, & Magistratus potissimum exsequebantur officia cærimoniarum*. Imperatores autem tum ratione *Pontificatus Maximi*, tum quod in omnia Sacerdotum conlegia cooptati essent, hujusmodi ludos celebrabant. Augustus itaq; postquam *Pontificatum Maximum* suscepit, inter alia, quæ ex antiquis cærimoniis paullatim abolita restituit (*c*), *ludos sæculares* instauravit, ediditque; unde in nummis (*d*) inscribitur: IMP. CAES. AVG. LVD. SAEC. XV. S. F. Nihil igitur *Consule*, aut *trabea Consulari* heic opus. Sane hos ludos, qui *quinti* in ordine fuerunt, *Furnio, C. Junio Silano Coss.* (*e*) anno U. C. DCCXXXVII. *Cæsar Augustus, & Agrippa fecerunt. Sextos autem fecit* quidem *T. Claudius Cæsar se IIII. & L. Vitellio III. Coss. anno* DCCC; ac *Septimos Domitianus se XIIII, & L. Minucio Rufo. Coss. anno* DCCCXLI; sed uterque Consulatu jam tum abierat; *bimestris* (*f*) quippe fuit ille Claudii, nec *ultra Kalendas Majas* produci potest ille Domitiani. Præterea *quartus* Claudii Consulatus, quo ludos sæculares celebravit, est *tertius*, quem post imperium accepit: at de hoc *tertio* Consulatu scribit Suetonius (*g*): Gessit Claudius *tertium Consulatum novo circa Principem exemplo, in locum demortui suffectus*. Alteri itaque privato demandarat Claudius Consulatum, quo *Ludos sæculares* celebraturus erat. Antoninus quoque Pius *celebravit magnifice Urbis nongentesimum*, ut auctor est Victor (*h*); at processerant eo anno Consules M. Valerius Largus & M. Valerius Messalinus. Ex Censorino autem (*i*) *octavos Ludos Imperator L. Septimius & M. Aurelius Antoninus Cilone & Libone* Coss. *anno* DCCCCLVII. fecerunt. Demum *Philippus* (*k*) *millesimum ab Urbe condita annum in Consulatu suo & filii sui celebravit*. A Consulatu (*l*) Libonis

(c) Suet. in Vita cap. 31.
(d) Apud Mediobarb. pag. 35.
(e) Censor. de die Natal. c. 5. edit. Aldi 1581.
(f) Sueton. in Cl. cap. 14.
(g) In Vit. eod. cap. 14.
(h) De Cæsarib. & Inscr. apud Grut. pag. DCCCCX-XVI. 8.
(i) Eod. cap. 5.
(k) Capitol. in ter. Gord. cap. 33.
(l) Zosim. Lib. II. Hist.

bonis & Cilonis, quo Severus Ludos Sæculares exhibuit, usq; ad Diocletiani IX. & Maximiani VIII. Consulatum, centum & unus anni elapsi fuerunt; nec tamen *Ludi Sæculares* celebrati sunt, quemadmodum nec Constantino III. & Licinio III. Coss. etsi centum & decem annorum tempus integrum aderat, quo ludos consueto more celebratos oportuit, ex Zosimo (*a*). *Nostra quoque ætate*, ait Victor (*b*), *post mille centesimus*, *Cos. Philippo excessit*, *nullis*, *uti solet*, *solemnibus frequentatus*; sicque in desuetudinem abiere Ludi Sæculares. Quum itaq; *Consulatu* aut trabea *Consulari* in his ludis opus non esset, quippe a *Pontificibus* & *Pontificio* habitu celebrabantur, ut videre est in (*c*) nummis, quumq; ab Imperatoribus iis annis, quibus ipsi non erant *Consules*, vel deposito *Consulatu* (*d*) editi sint, non video, quo jure tamquam regula adsumendorum *Consulatuum* constituantur a Pagio *Ludi Sæculares*.

(a) Libro citato.
(b) De Cæsar. in Philip.
(c) Claud. Domit. Sever. & Philip. apud Mediobarb.
(d) Vid. numer. XVIII.

Pagii responsio pro ludis sæcularibus expenditur

XVII. Quum Censores apud Norisium in Epist. Consulari pag. 167, & seqq; Canonem de adsumpto ab Imperatoribus Consulatu *ob sæculares ludos* a Pagio statutum, ludicrum putassent; quod Augustus ludos quintos sæculares, privatis Consulibus annum in Fastis signantibus, ediderit, respondet Pagius (*e*), diserte se scripsisse morem illum annis, sæcularibus ludis dicatis, Consulatum ineundi, a Claudio primum invectum esse. At, quum ipse Claudius Consulatum, cujus tempore *Ludos Sæculares* celebrare destinaverat, alteri, ut modo notavimus, demandaverit, nec nisi casu eumdem Consulatum ipse sumpserit, *in locum* scilicet *demortui suffectus*, ex casu non bene statui videtur regula sive mos ille annis, *Sæcularibus Ludis* dicatis Consulatum ineundi. Sed neque a Domitiano, qui primus post Claudium eos Ludos celebravit, peti certo eadem regula sive mos potest. Primo, quia nescitur, utrum hac de caussa Consulatum acceperit Domitianus: secundo, quia nullam in sumendis Consulatibus regulam is tenuit, nec Successores eum propterea sunt secuti. Demum sunt, qui credunt, Domitianum non eo anno, quo *Consul* fuit XIIII. cum *L. Minucio Rufo*, U. nempe C. DCCCXLI., sed sequenti, quo is *Cos.* non fuit, adhuc tamen titulo COS. XIIII. utebatur, Consules vero fuerunt *T. Aurelius Fulvus II. A. Sempronius Atratinus*, celebrasse *Ludos Sæculares*: cujus sententiæ auctor est erud. ac cl. *Loydius* (*f*). Tradit itaq; Pagius (*g*), Claudium, *quod Consulari munere fungens eos ludos ediderit*, omnes præter Severum sequaces habuisse.

(e) In Crit. ad an. Chr. 88. num. II.
(f) Apud Pagium in Cr. ad an. Chr. 88. n. III. & seqq.
(g) Diss. Hypat. P. II. cap. 10. nu. II.

(a) In Crit. ad an. Chr. 147. nu. III.

(b) Pag. DCCCC-XXVI. 8.

habuiſſe. Certiſſimum etenim eſſe debere ſcribit (*a*), Antoninum Pium nullos *Ludos Sæculares* edidiſſe; nam Cenſorinus ac Zoſimus eorumdem non meminerunt. Sed Victor & Inſcriptio apud Gruterum (*b*) certum e contra reddunt, *Ludos Sæculares* etiam ab Antonino celebratos fuiſſe. Præterea, quum ab Imperatoribus *Ludi Sæculares* æque ſine Conſulatu, ac cum illo ſint editi, nec ad Conſules, ſed ad XV. Viros ſpectarent, non video, quomodo ex ipſis peti, ſtatuique poſſit regula adſumendi *Conſulatum;* maxime ſi animadvertatur, hunc ante deponi conſueviſſe, quam Ludi ederentur.

(c) In Crit. ad an. Chr. 88. num. II.

Pagii reſponſio.

(d) Differ. Hyp. P. II. c. 2. nu. I.

XVIII. Fatetur Pagius (*c*), *Conſulatus* ordinarios Cæſarum & Auguſtorum ultra Kal. Martias ut plurimum continuatos non fuiſſe: ac pro certo ponit *Coſſ. ſuffectos* jam munus ſuum exercuiſſe, quando *Ludi Sæculares* editi, & Quinquennalia, ceteraque id genus feſta celebrata. Quapropter, quando dixit Imperatores Conſulari munere fungentes, aut trabea indutos ea ſolemnia exhibuiſſe, intelligi vult, id factum annis, quibus Conſules Imperatores ipſi proceſſere, & Faſtis nomen dedere. At antea clare ſcripſerat (*d*), ea ſolemnia a Cæſaribus vel Imperatoribus *Conſulari trabea indutis* peragi ſolita, quo nempe celebriora redderentur. Id itaque probare demum nititur Pagius, Imperatores ac Cæſares eos annos aperire, Faſtiſq; nomen dare conſueviſſe, quibus ea ſolemnia, ex quibus regulas *Hypaticas* concinnavit, peragi contingebat. Sed adhuc ſtat id, quod etiam, ni fallimur, probavimus, ſæpe ſcilicet iis annis, quibus peragebantur hujuſmodi ſolemnia, eum magiſtratum non ſumpſiſſe Imperatores, & aliis de cauſſis quam memoratis eumdem iniiſſe.

Ceterum, quod annum aperire Faſtiſq; nomen dare ſpectat, nullam ego quidem *Cæſareorum Conſulatuum* in eo regulam conſtituerim. Inſtitutus namque ſumptuſq; olim fuit hic Magiſtratus adminiſtrandæ Reip. cauſſa, quique eo fungebantur, rebus tum civilibus tum bellicis domi foriſq; præſidebant, poſteaque Provincias regendas ſortiebantur. Redacta poſtea ad Auguſtos ſumma Reip. manſit in *Conſulibus* aliqua potentiæ ſuperioris & honoris ſpecies, multum tamen ab antiqua diſtans eaque inferior. Demum ad largitatem nomen & cauſſa *Conſulatus* tranſiit. Hinc Juſtinianus Imperator ait (*e*): *Conſulatus nomen & cauſſa priſcis quidem Romanis adverſus hoſtium adinventum eſt utilitatem, & in decretis, quæ ei ordinatio communis dabat Reip. figura, ſortiebantur repente Provincias, in quibus*

(e) In princ. Novel. CV.

bus Romani bellum habebant, & secundum has sortiebantur fasces. Sequens vero tempus Imperatorum piissimorum trasponens bellandi & pacificandi potestatem ad largitatem, solam caussam Consulibus mutuavit. Nec vero annum aperiendi Fastisque nomen dandi caussa ambitum umquam initumq; *Consulatum* ego scio, minus etiam id de Imperatoribus atque Cæsaribus credo; quamvis præcipua quædam solemnia celebranda forent, aut sperarentur: neque enim ullam in hoc verisimilitudinis speciem inesse, mihi videtur. Novimus quidem, aperire annum Fastosque reserare honori *Consulum* datum fuisse: at non didicimus, ea de caussa *Consulatum* petitum esse; hic enim finis nimium *Consulatu* ipso inferior, nec nisi sequela ejusdem fuit, ita ut annum aperire Fastosq; reserare eodem sensu, quo *Consulatum* adire, aliquando inveniatur.

Essent heic examinanda alia Solemnia, quæ Pagius ad ipsam sextam Regulam refert, cujusmodi sunt Templi, Theatri, Colossi, Thermarumque Dedicationes: at supersedemus, ne longiores simus, id tantum animadvertentes, quod, quum abundaret hujusmodi solemniis Romanum Imperium, adsumendi hac ratione fuissent singulo, ut ita dicam, fere quoque anno, aut saltem multo frequentius, quam factum est, ab Augustis aut Cæsaribus Consulatus.

Consulatus præter regulas Pagii ab Imperatoribus suscepti.

XIX. Reliquum est, ut ostendamus, aliquot occurrere Consulatus, qui ad Hypaticas Pagii regulas, etiamsi hæ constarent, revocari non possunt. Processit Tiberius Consul III. anno Christi XVIII, sumptumque ab eo hunc Consulatum juxta secundam regulam propter nempe *Cæsarei* ejus imperii Quindecennalia scribit Pagius (*a*). At ante Neronis interitum, ut etiam Pagius ipse post Norisium animadvertit (*b*), *Cæsaris* nomen familiam, non vero dignitatem designabat. Deducit quidem vir Cl. hæc Quindecennalia ab anno Christi XIII, quo Tribunicia Potestas Tiberio prorogata fuit; at, quum Tribuniciæ Potestatis nusquam postea inter Consulatuum Cæsareorum regulas meminerit, satis indicat, non bene ad hanc regulam *Consulatum* ipsum spectare; adeoque præter omnes Pagii regulas sumptus is a Tiberio fuit. Ita etiam Consulatus secundus *Caji ad nullam Consulatuum Cæsareorum regulam revocari potest*, fatente ipso Pagio (*c*): qui proinde non dubitat, quin *ad illum anno Christi tricesimo quinto, quo adhuc privatus erat, aut saltem tantum e familia Cæsarea, a Tiberio Augusto designatus fuerit in quartum*

(a) In Crit. ad eumd. an. nu. II.
(b) Ibid. ad ann. Chr. 15. nu. II.
(c) In Crit ad an. Chr. 39. num. I.

tum annum. *Neque aliam hujus Cæſarei Conſulatus rationem eſſe poſſe* ſubdit, *licet de ea deſignatione Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores taceant*. Itaque præter omnes Pagii regulas ſumptus eſt a Cajo hic Conſulatus. Cajum excepit Claudius anno Chriſti XXXXI, ac ſequenti Conſul proceſſit; anno etiam XXXXIII. alium Conſulatum occepit. Hinc anno Chr. XLVII. geſſit *tertium* Claudius (*a*) *Conſulatum, novo circa Principem exemplo in locum demortui ſuffectus*, ergo præter omnes etiam Pagii regulas. Secundus Neronis Conſulatus, quem anno Chriſti LVII. cum L. Piſone iniit, dum Diſſertationem Hypaticam exararet Pagius, ſibi crucem fixiſſe ab eo (*b*) dicitur; ad quam enim Conſulatuum Cæſareorum regulam revocari poſſet, deprehendere non poterat. Tandem ſibi certo conſtitiſſe ſubdit, illum juxta primam ſumptum eſſe, quum anno Chriſti LI. Nero Proconſulari imperio donatus, Conſulque in annum ætatis viceſimum deſignatus fuerit. At Nero Proconſulari quidem imperio, non tamen conſortione imperii, unde prima Pagii regula procedit, donatus eſt a Claudio, &, ut (*c*) *viceſimo ætatis anno Conſulatum iniret*, *deſignatus*. Mortuo autem Claudio *ſeptemdecim* (*d*) *annos natus* idem Nero imperium accepit anno Chriſti LIIII, ac mox ſequenti Conſul proceſſit, rurſumque anno LVII. Quare mihi potius conſtat ſecundum Neronis Conſulatum præter Pagii regulas initum fuiſſe. Capeſſitum inde a Nerone Conſulatum V. juxta quartam Conſulatuum Cæſareorum regulam ob Hiſpanicam nempe Gallicamque expeditionem (*e*) Pagius docet: ſed Suetonius, ut jam notavimus (*f*), Conſulatum hunc Neronis contra rationem ac morem ſuſceptum ſatis innuit (*g*), quum Neronem ipſum carpit, irridetque, quaſi crediderit, *non poſſe Gallias debellari*, *niſi a Conſule*, *ac ſuſceptis faſcibus*. Pagius vero pravum hoc Neronis conſilium ad regulas deflectere, quin & regulas ex ipſo componere ſtudet. De Domitiano quoque ſcribit (*h*), ſibi conſtare hunc Imperatorem Prædeceſſorum veſtigia in Conſulatibus ordinariis ineundis ſecutum: Suetonius tamen contra morem feciſſe Domitianum aperte tradit, nam ſcribit (*i*), *Conſulatus* XVII. *cepiſſe*, *quot ante eum nemo*. Minori certe tempore regnavit Domitianus, quam Auguſtus, atque Tiberius, pauciorefque habuit, juxta regulas ipſius Pagii Conſulatuum adſumendorum occaſiones, adhuc tamen tot cepit Conſulatus, quot ante eum nemo; non itaque Prædeceſſorum veſtigia ſecutus dici poteſt.

Tantum

(a) Suet. in Claud. cap. 14.
(b) In Crit. ad an. Chr. 57. nu. I.
(c) Tacit. Lib. XII. An. cap. 41.
(d) Suet. in Ner. cap. 8.
(e) In Crit. ad an. Chr. 68. num. III.
(f) Nu. XIV. huj. Animadv. p. 140.
(g) In Ner. c. 43.
(h) In Crit. ad an. Chr. 86. num. II.
(i) In Vita c. 13.

Tantum denique abeſt, ut id ad regulas & aliorum Imperatorum exempla referri queat, quin ſtultitiæ inſolentiæque ipſius Domitiani deputandum cum Dione ſit. (*a*) Οὐ μὴν ἀλλ' ἐπὶ πλεῖον ἐπαρθεὶς ὑπ' ἀνοίας, Ὕπατος μὲν ἔτη δέκα ἐφεξῆς, τιμητὴς δὲ διὰ βίου πρῶτος δὴ καὶ μόνος καὶ ἰδιωτῶν καὶ αὐτοκρατόρων ἐχειροτονήθη. *Adeo*, inquit, *ſtulte elatus eſt & inſolenter, ut Coſ. annos X. perpetuos, & Cenſor, quamdiu viveret, primus ſoluſque ex privatis civibus, atque Imperatoribus deſignatus ſit*. Auſonius (*b*) vero dicit, Domitianum *invidia alteros provehendi*, Conſulatus continuando conſeruiſſe. Elagabalus multa innovavit, inquit adhuc Pagius (*c*) ex Dione (*d*), inter quæ *loco Macrini Conſulatus, qui jam geſtus erat, nomen ſuum ſubſtituit, quum nec Conſulatum a Senatu accepiſſet, nec prorſus eum adtigiſſet*. Hic igitur Conſulatus ad nullam regulam referri poterit. Verum nec alter, quem proximis Kalendis Januariis idem Imperator iniit, recte ad primam regulam refertur a Pagio, nam contra morem teſte eodem (*e*) Dione alterum hunc ſibi Conſulatum adrogavit Elagabalus, quum nullum antea nec Magiſtratum nec titulum Magiſtratus honorarium accepiſſet. De Conſulatu quidem tertio accipiendum eſſe Dionem ſcribit Pagius (*f*), aitque ſecundum juxta inſtituta patria ſumptum fuiſſe: at Dio præterquamquod *alterum* ſive ſecundum expreſſe dicit, *ſuſceptum hunc Conſulatum* ab Elagabalo ſubdit: Δεύτερον δὴ ὑπατεύειν ἐπεχείρησε, μηδεμίαν πρόσθεν, μήτε ἀρχὴν λαβὼν, μήτε τιμὴν ἀρχῆς: *quum nullum antea nec Magiſtratum, nec titulum Magiſtratus honorarium accepiſſet*. Quæ verba Conſulatum quemcumq; juxta inſtituta patria jam geſtum prorſus excludunt. Conſulatus itaque ſecundus præter regulas ab Elagabalo exlege & ſtolido, ut verbis utar Pagii (*g*), Imperatore ſumptus, ut & tertius, fatente ipſo Pagio. Valerianum a Perſis captum anno Chriſti CCLIX. probare nititur (*h*) Vir eruditiſs., neque tamen anno ſequenti ſumptum exhibere poteſt (*i*) a Gallieno Conſulatum juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam, quod ſcilicet ſolus poſt captum Valerianum regnaturus eſſet. Tertium Probi Imperatoris Conſulatum anno Chriſti CCLXXIX. geſtum ad nullam aliam regulam revocari poſſe fatetur Pagius (*k*), quam ad quartam, ideoque propter victorias ab eo per hæc tempora reportatas eidem decretum ait; at non adſignat victorias, ſoliſque agit conjecturis. Et, ut alia omittam, finemque de his ſcribendi faciam, quum initio imperii Hadriani,

(a) Lib. LXVII. pag. 760. C.

(b) In Orat. pro Grat. Action. ad Gratian. cap. 9.

(c) In Crit. ad an. Chr. 218. nu. IIII.

(d) Lib. LXXIX. pag. 909. E. & cap. 8. ejuſd. Lib. edit. Rom. 1724.

(e) Eod. Lib. pag. 910. A.

(f) In Crit. ad an. Chr. 220. num. I.

(g) Ibid.

(h) In Cr. ad hunc an. nu. VIII. & X.

(i) Ad hunc ann. num. I.

(k) In Critic. ad hunc an. num. I.

Valeriani, ac Taciti Consulatus duo juncti occurrant, quamvis Tacitus antea mortuus sit, quam Consulatum secundum acceperit, Pagius (*a*), qui se regulis suis heic destitutum sentit, adserit primum Consulatum illis, antequam imperarent, decretum fuisse, quo secundum ad initia Principatus referre possit. At hæc probare nobisq; persuadere nequit. Demum universe notet Lector, ea, ex quibus Pagius componere *Consulares* suas Regulas conatus est, nihil fere ad *Consulatum* spectare: Quinquennalia enim ac Decennalia ad Imperatores, non jam ratione *Consulatus*, sed *imperii* spectabant; ita quoq; expeditiones militares; tum etiam, quos propter victorias ducebant, triumphi; Ludos vero Sæculares, Dedicationes Templorum, aliarumque publicarum Ædium jure *Pontificio*, non *Consulari* peragebant; veste etiam nequaquam *Consulari*, sed Imperatorum, vel Pontificum, aut expeditionum, aut triumphantium propria utebantur in his omnibus. Ita quoque *Consulum* nomine tum abstinebant, & id usurpabant, quod proprium erat officii, quod agebant. Quare, quum nec nomine, nec veste, nec jure *Consulari* uterentur in memoratis rebus Imperatores, credibile non est, propter illas eosdem sumpsisse Consulatum. Multo minus annum aperiendi Fastisq; nomen dandi caussa factos Consules credere par est, quum nec ab ipsis privatis hac de caussa, nimis certe levi, appetitus sit Consulatus; &, si voluissent, poterant Imperatores Fastos notare annis imperii sui aut etiam Tribuniciæ Potestatis, quod oblatum eis aliquando fuerat (*b*).

(a) Vid. in Crit. ad ann. Christi 118. nu. I. ad 254. nu. I. & ad 276. nu. II.

(b) Tacit. Annal. III. cap. 57.

Auctoris de Regulis Hypaticis seu Consularibus Imperatorum opinio.

Nec vero ullam certam habuisse Imperatores in adsumendis Consulatibus regulam, nos credimus; quod satis ex traditis patet. Congruum tamen aliquando visum fuisse hoc munus, maxime imperii initio, concedimus. Sed hujus congruentiæ ab aliquibus Imperatoribus rationem habitam, ab aliis non habitam animadvertimus. Unde omnes regulæ ad voluntatem & arbitrium ipsorum Imperatorum redeunt. Senatus itaq; erga suos Principes obsequium & adulatio id ferebat, ut frequentes, ac, ut ita dicam, *continuos*, [prout de Cæsare (*c*), & de Nerone (*d*), ac Vitellio (*e*) legimus], eis *Consulatus* exhiberet; ingenium vero & mores cujusque Principis faciebant, ut alii plures, alii pauciores *Consulatus* reciperent, aut per semetipsos sumerent. Ceterum nec potestate, nec nomine, minus etiam trabea *Consulari* opus erat Augustis; quippe his omnibus majora possidebant. Et, si quando *Consulatum* accipiebant, Magistratum

(c) Suet. in Vita cap. 76.

(d) Tacit. Libro XIII. An. cap. 41.

(e) Suet. in Vita cap. 11.

gistratum ipsum honorabant. Privatis tamen honorem summum, etsi non summam potestatem, [hæc enim apud Imperatores manebat], *Consulatus* ipse præstabat, adeoque viris in Rep. præcipuis ac pro meritis ab ipsis Imperatoribus aut de eorum consensu a Senatu deferebatur. Atque hæc in re præsenti dicta sint satis. Qui vero plura, aut saltem multo meliora cupit, legat Eminentiss. Norisium (*a*); post quem numquam ausus ego fuissem novo examini ea, quæ Pagius tradidit, subjicere; nisi contra Norisium aliosque Censores Vir Cl. ipsa firmare postea studuisset (*b*), & in suam sententiam plures Viros doctos traxisset, & adhuc trahat. Hæc jam scripseram, quum e prelo (*c*) mihi venit ad manus quintus Operum Norisii Tomus, in quo plures ejusdem eruditiss. viri ad alios erud. viros exhibentur epistolæ. In harum LXXXXIV. (*d*), quæ data est die XXV. Jan. 1684. ad Com. Mediobarbum, scribit Emin. Auctor se in veteri opinione de Consulatibus ab Imperatoribus pro arbitrio & absque ulla regula sumi solitis perstare, subditq; Hypaticas Pagii Regulas esse quidem *speculative* subtiles & eruditas, sed *practice* falsas atque fallaces; creditque paucos futuros, qui eas sint amplexuri. Conatus tamen postea est Pagius ipsas regulas confirmare in Critica, sed non satis persuasit; quod ex descriptis constare potest. Quare veniam dabit Lector, si a tali tantoque Viro hac in re recessimus.

(a) In Epist. Consf. post Fastor. corr.

(b) In Critica.

(c) Veron. ann. 1741.

(d) Vid. etiam Ep. CVI.



V ANI-

ANIMADVERSIO VII.

DE

PROCONSULE.

De Proconsulatu Imperatorum ac Cæsarum.

I. On tantum *Consules*, sed etiam *Proconsules* fiebant audiebantq; Imperatores, tum etiam Cæsares: quapropter absolutis iis, quæ ad *Consulatum* pertinebant, res postulat, ut de *Proconsulatu* quoque agamus. In primis autem celebriores aliorum sententias in medium adducemus, postea opinionem quoque nostram, quæcumque illa sit, proponemus. Vir itaque eruditiss. atque Cl. Pagius (*a*) putat, Cæsares a *Proconsulari* imperio prænomen *Imperatoris* habuisse; at hoc inficiatur Eminentiss. doctrina & dignitate Norisius (*b*). Nam inter titulos Augustorum postremo loco in vetustis saxis ac nummis legitur PROCOS., utique a *Proconsulari* extra urbem imperio, quod neutiquam negari posse, subdit ad Pagium scribens ipse Norisius; qui & inde arguit, prænomine *Imperatoris*, quod primo loco inter Augustorum ac quorumdam *Cæsarum* titulos legitur, non designari imperium *Proconsulare*, quod postremo tantum titulo legitur. Illud etiam animadvertit (*c*), quod *sub Augustis, quum ab his nomen Cæsaris ac imperium Proconsulare alteri dabatur, is ab imperio Proconsulari non dicebatur Imperator, sed Proconsul. Domitianus, qui, uti putas,* [verba sunt ipsius Norisii ad Pagium], *habuit imperium Proconsulare, nusquam in nummis ante imperium dicitur Imperator. Marcus Aurelius a Pio habuit imperium Proconsulare ex Capitolino* (*d*), *nec usquam in nummis ante imperium Augusteum Imperator vocatur*. Hinc concludit, quod, quum Augusti ceteros inter titulos in saxis vocentur PROCOS., non aliunde tales dicebantur, nisi ab imperio Proconsulari, adeoque ex hoc imperio non *Imperatores*, sed *Proconsules* nuncupabantur. Pagius (*e*) vero docet imperii Consulegas ob imperium *Proconsulare* vulgo dictos fuisse *Imperatores*; immo & in nummis *Imperatoris* prænomine insignitos ex eo apparere subdit, quod in prima imperii Romani dispositione, nulli Cæsares prænomen illud, quod summam potentiam denotabat, tulerint, nullique a Scriptoribus Historiæ Augustæ

Norisii sententia.

Pagii sententia.

(a) In Crit. ad an. Chr. 147. nu. XII.

(b) Apud Pagium ibid.

(c) Apud Pagium ad ann. Chr. 117. nu. IX.

(d) Cap. 6. Vitæ ejusd.

(e) In Crit. ad an. Chr. 147. nu. V.

Impera-

Imperatores vocati, præter eos, qui imperium *Proconſulare perpetuum* aſſecuti ſunt. *Hinc Nero*, ait, *Cæſar*, *qui imperium Proconſulare ſine Tribunicia Poteſtate obtinuit*, *Imperator in nummis dictus eſt*, *ut anno Chr.* LI. *num.* II. *oſtendi*. *Proconſulatum perpetuum* fuiſſe tradit ſupremi Imperii partem, propriumque Auguſtorum, ejuſque, antequam M. Aurelius & L. Verus imperarent, conlegas tantum imperii, & Neronem Cæſarem participes fuiſſe. Proconſulatum vero privatorum non fuiſſe perpetuum ſubdit, neque in omnia loca extra urbem Romanam, & puris putis Cæſaribus aliquando datum, uti Domitiano Cæſari. Id autem hoc modo ſe detexiſſe ſcribit (*a*). *Ex imperii Conlegis*, inquit, *Antoninus ante Auguſteum imperium nuncupatus eſt Imperator*, *& ex puris putis Cæſaribus unus Nero Cæſar : utrumque autem imperio Proconſulari decoratum fuiſſe*, *certo conſtat*. *Ex quibus intuli*, *non ſolum eos ob Proconſulatum perpetuum Imperatores appellatos*, *ſed etiam Tiberium & M. Aurelium*, *licet Imperatores in nummis & inſcriptionibus non appellentur*; *quia uterque Proconſulatum perpetuum obtinuit* ; *ac denique Titum & Trajanum imperio Proconſulari perpetuo honeſtatos eſſe*, *quia uterque vocatus eſt Imperator*, *uti Nero & Antoninus*, *qui imperium Proconſulare habuere*. Nec vero negat (*b*) Vir Clar., quin aliqui Auguſti, quorum primum Trajanum fuiſſe ex ejus nummo apud Mediobarbum pag. 149. invenit, prænomen *Imperatoris* & ſimul titulum PROCOS. in quibuſdam nummis tulerint, *ad majorem ſcilicet ejuſdem poteſtatis expreſſionem*. Attamen ſubdit, quod, ſi in nummis Conlegarum Imperii, *Imperium Proconſulare* prænomine *Imp.* deſignatum non fuiſſet, ejuſdem nulla in iis mentio facta eſſet; quum nec in nummis nec in inſcriptionibus *Proconſules* nuncupentur. Inluſtriſs. Spanhemius (*c*), quum adnotaſſet, omnem ceteroquin aut certe præcipuam vim *Proconſularis* poteſtatis in *Imperatoris* vocabulo eſſe repoſitam, id a viris dein harum antiquitatum egregie peritis, etſi nulla facta ſui mentione, probatum & confirmatum ſubdit: dum, uti ab eruditiſſimo Pagio traditum ac adſertum liquet, ob datum Imperii heredibus, ſeu ſecundi faſtigii Cæſaribus, ut Neroni, ac dein Marco, aliiſque, *Proconſulare Imperium*, ſint inde iidem dicti *Imperii Conlegæ*, ac in nummis etiam *Imperatores*. Additum tamen opportune judicat & peculiari de cauſſa, in gratiam Auguſti, *Proconſulis* titulum. Diviſus nempe ab eo fuerat orbis Romanus in Provincias Cæſaris & Populi; qua-

(a) Ibid. nu. XIII.

(b) Ad eumd. an. num. V.

(c) Diſſer. XII. pag. 467.

Spanhemii ſententia.

rum posterioribus Populi Magistratus sub *Proconsulum* nomine præessent. Unde, ut nihilominus Cæsaris auspiciis omnes illas Provincias ex æquo administrari singularum Præsides facilius intelligerent, nec ullas partes orbis Romani imperio illius exemptas, translatam esse docet illam *Proconsulis*, aut *Juris* vel *Imperii Proconsularis*, ad eumdem Augustum & ejus successores nomenclationem. Pagius tamen, quem citat Spanhemius, *Conlegas Imperii* appellat (*a*) eos, qui *Tribunicia Potestate & Imperio Proconsulari donati fuere*. Qui enim Tribunicia Potestate tantum, uti Ælius Cæsar, aut solo imperio *Proconsulari*, uti Nero, antequam imperaret, decorati erant, nobiliori quidem modo, quam puri puti Cæsares Imperii consortes erant, *sed Conlegæ Imperii non erant*, ex ipso Pagio.

(a) In Crit ad an. Chr. 117. nu. XII.

De Proconsulatu Imperatorum ac Cæsarum Auctoris opinio.

II. Subjicienda nunc Lectoris judicio nostra de Imperatorum ac Cæsarum *Proconsulatu* opinio. Stante Rep. legem tulisse A. Gabinium Tribunum legimus (*b*), ut, quum belli more, non latrociniorum, orbem classibus, jam non furtivis expeditionibus piratæ terrerent, quasdam etiam Italiæ urbes diripuissent, *Cn. Pompejus ad eos opprimendos mitteretur, essetq; ei imperium æquum in omnibus Provinciis cum Proconsulibus usque ad quinquagesimum milliarium a mari*. Hoc *Senatusconsulto pæne totius terrarum orbis imperium uni viro deferri* creditum est; ac Q. Catulus inter alios dissuadens legem, in concione dixit, esse quidem præclarum virum Cn. Pompejum, sed nimium jam liberæ Reip., *neque omnia in uno reponenda*. Hoc idem tamen ante biennium M. Antonio Prætori decretum fuerat; cujus proinde *infinitum imperium* a Cicerone (*c*) dicitur. At nec Marcus *curationem* (*d*) *infinitam nactus* est, nisi *totius oræ maritimæ*; nec Pompejo imperium, nisi æquum in Provinciis cum *Proconsulibus*, ac tantum usque ad quinquagesimum milliarium a mari delatum est; idque ad tempus utrique concessum. At vero Imperatores sublata Rep. nullis locorum temporisve limitibus coarctatum imperium, sed perpetuum, majusque, quam ipsis Provinciarum *Proconsulibus* foret, & quidem in omnes Romani orbis Provincias obtinuerunt. Decrevit id primum Senatus Augusto (*e*), τὴν τε ἀρχὴν τὴν ἀνθύπατον ἐσαεὶ καθάπαξ ἔχειν· ὥστε μήτε ἐν τῇ εἰσόδῳ τῇ ἔσω τοῦ πωμηρίου κατατίθεσθαι αὐτὴν, μήτ' αὖθις ἀνανεοῦσθαι. καὶ ἐν τῷ ὑπηκόῳ τὸ πλεῖον τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων ἰσχύειν ἐπέτρεψεν: *ut* scilicet *Proconsulare imperium semper haberet, neque id intra pomerium veniens deponeret, aut renovando opus esset; utque major*

(b) Apud Vellej. Lib. II. cap. 31.

(c) IV. in Verr. cap. 3.

(d) Ascon. ad Verrin. hoc loco.

(e) Dio Lib. LIII. p. 518. E. 519. A.

ipsi

ipſi in Provinciis, quam Præfectis earum, ſemper eſſet poteſtas. Inde exortum ſubdit Dio, ut Auguſtus, quique eum ſecuti ſunt, Imperatores lege quadam *Proconſules* eſſent, atque dicerentur. *Conſules itaque ſæpe numero fiebant*: ϰ̀ ἀντύπατοι ἀεὶ, ὁσάκις ἂν ἔξω τȣ̃ πωμηρίȣ ὦσιν, ὀνομάζονται (*a*): *Et quoties extra pomerium erant, Proconſules nuncupabantur*. Quamvis enim ad urbem venientes, *Proconſulatum* non deponerent, non tamen intra mœnia ipſius officium exercebant: quippe nullus erat in urbe ei locus. In Provinciis etiam, quamvis majorem, quam Præfecti earum, obtinerent auctoritatem, non omnia tamen ratione *Proconſulatus* facere eis licebat; ſummo quippe imperio, quod in omnes Magiſtratus tam intus quam foris exerebatur, *Proconſulatus* ſuberat: nec niſi ratione ſummi imperii omnia pro arbitrio etiam in Provinciis agebant Imperatores.

(a) Dio eod. Libro 508. A.

Diſtabat itaque a ſummo imperio *Proconſulatus*, tum quod in urbe, ubi ſumma rerum, quieſcebat Proconſulatus ipſe, tum etiam, quod in Provinciis non erat ſine terminis. Hinc nomine pariter & loco inter ſe ſummum imperium *Proconſulatuſque* diſtinguebantur: qui enim ſummum obtinebat imperium, *Imperator*; qui vero *Proconſulari* poteſtate præditus erat, *Proconſul* appellabatur. Nomen autem *Imperatoris* ſæpius primo, illud vero *Proconſulis* poſtremo paſſim loco, cujus rei teſtes ſunt nummi & inſcriptiones, conlocabatur. Ex quibus omnibus ſatis, ni ego fallor, patet, Auguſtos Cæſareſve ob imperium *Proconſulare* dici non potuiſſe *Imperatores*, quod tamen adſeruit Vir Clar. Pagius. Quare potiorem habendam eſſe Eminen. Noriſii, qui contra judicavit, ſententiam arbitramur. Rem hanc fuſius alibi (*b*) tractamus, adeoque plura heic tradere ſuperſedemus. Ibi autem probare conamur, *Proconſulatum* non ſolum ſeparatim, ſed etiam conjunctim cum *Tribunicia Poteſtate* non importaſſe imperium aut nomen *Imperatoris*. Probæ notæ Trajani nummum vidiſſe ſe in Urbe apud Abbatem Braceſium, ſed ex eo nummorum genere, quos *Contorniatos* vulgo appellant, ſcribit Spanhemius (*c*), cum inſcriptione IMP. CAES. TRAIANVS AVG. P. M. TR. P. P. P. PROCONS., ubi *Proconſulatus* ſeparatim ab *Imperatoris* nomine & a *Tribunicia Poteſtate* clare legitur. Quod frequentius in Inſcriptionibus occurrit, ut infra (*d*) patebit. Docet quidem Pagius, ut paullo ante vidimus, factum id *ad majorem expreſſionem*: at non placet; quippe contra morem eſt.

(b) Animadv. de Trib. Pot. nu. V.

(c) Diſſer. XII. p. 468. prior. edit.

(d) Num. ult. huj. Animadv.

III. Quum

Norisius Proconsulatum Augusto ac Tiberio imperantibus coarctat.

(a) Diss. VIII. de Us. & Præst. num. ant. pag. 713.

(b) Differt. II. de Cenot. Pis. c. 9.

(c) Lib. LVI. pag. 586. B.

(d) Lib. I. Ann.

III. Quum scripsisset Spanhemius (*a*), Cæsares non renovasse imperium *Proconsulare*, illudque obtinuisse intra & extra urbis pomerium, id plane Augusto ac Tiberio imperantibus neutiquam contigisse, Norisius (*b*) adserit. Etenim certum esse, tradit, Germanicum Cæsarem perpetuum imperium Proconsulare non accepisse. Scribit Dio (*c*) ad annum urbis DCCLXIIII. *Tiberius & Germanicus, cui pro Consule erat imperium, impressionem in Germaniam fecerunt*. At Tacitus (*d*) anno U. DCCLXVII. de Tiberio imperium tum indepto, ait: *At Germanico Cæsari Proconsulare imperium petivit, missique Legati, qui deferrent* &c. *Quominus itidem pro Druso postularetur, ea caussa, quod designatus Consul Drusus præsensq; erat*. Ex quibus conligit Norisius, Germanico Cæsari renovatum imperium *Proconsulare*, neque illud delatum Druso, quod Romæ erat; quum lege cautum fuisse dicat, ne quis cum imperio *Proconsulari* intra pomerium versaretur, cujus rei bina exempla recitat Dio in fine lib. XXXIX, ac totidem Sallustius in Catilinaria, videlicet Q. Metelli Cretici ac Q. Marcii Regis, & passim in Romana historia occurrunt. Augustum vero imperium Proconsulare obtinentem extra pomerium substitisse, diserte tradere viro Cl. videtur Dio (*e*), utpote qui, quum dixisset Drusum funebri oratione a Tiberio in foro laudatum, ait: *Altera in Flaminio Circo ab Augusto habita est, qui cum exercitu urbe profectus, neque fas ei erat intrare, quum ea, quæ ante id fieri instituta majorum jubent, nondum perfecisset*. Etenim exponendum illi fuisse, subdit Norisius, coram Senatu, quid in ea expeditione egisset, atque imperium *Proconsulare* abdicandum. Idem Dio (*f*) ad annum U. DCCLVII. scribit Augustum censum egisse Civium Romanorum, *qui in Italia habitarent*. At, ne uti Censor id facere videretur, *Proconsulare imperium accepit*. Hinc Augustum non perpetuum, sed ad certum tempus imperium *Proconsulare* gessisse arguit Norisius. At vero subjungit, Claudium Imperatorem, Agrippinæ ambitioni indulgentem, Neroni Romæ intra pomerium versanti, imperium *Proconsulare* tradidisse, illudque nullo certo annorum spatio definitum; eoque dato exemplo vetusta Romanæ gentis instituta antiquata fuisse, ac subsecutis postea Principibus ad idem tentandum apertum tum primum fuisse aditum. Hæc Norisius.

(e) Lib. LV. pag. 549. B.

(f) Eod. Lib. LV. pag. 549. B.

Norisii opinio expenditur.

IV. At in primis, quod ad Germanici Proconsulatum spectat, etiamsi perpetuus is non fuit, non officit hoc exemplum

plum Dioni, qui *perpetuum* in Augusto esse cœpisse *Proconsulatum* Imperatorum scribit & *universalem*, qualis non fuit ille Germanici. Ceterum locum Dionis, quem de Germanici *Proconsulatu* accipit Norisius, de Tiberio Pagius (*a*) interpretatur; ita ut, ubi legitur (*b*) Τιβέριος μὲν καὶ Γερμανικὸς, ἀντὶ ὑπάτȣ ἄρχων, *Tiberius & Germanicus, cui Proconsulare erat imperium*, vox *Germanicus* transposita sit, vel ultima verba ad *Tiberium* referenda, cujus durioris loquendi modi non deesse exempla, subdit Pagius. Animadverti etiam posset, quod, quum ad idem bellum Celticum simul profecti sint Tiberius atque Germanicus, *Proconsulare* Imperium Tiberio competebat: nam, quum id uni eique summo belli Duci demandari soleret, Tiberio certe, non Germanico debebatur. Tiberius enim jam tum Consul iterum (*c*) fuerat, iterumque *Tribunicia* (*d*) *Potestatis consortione æquatus* Augusto; bella vero per plures annos cum summo imperio feliciterq; administraverat, pluries in ipsam Germaniam cum imperio missus; præterea in proximo ipsi Augusto Reipublicæ fastigio conlocatus, imperii heres ubique & ab omnibus suspiciebatur. Germanicus vero Quæsturam vix gesserat (*e*), ac propter ætatem administrandis bellis nondum erat plene idoneus, quippe qui annos natus XXVI; ac præterea filius ipsius Tiberii habebatur; nam Tiberius, quum *adoptatus* (*f*) *est ab Augusto, coactus est prius ipse Germanicum fratris sui filium adoptare*. Quapropter probabile non videtur, summum hujus Celtici belli, quod maximum (*g*) Augusto metum intulerat, imperium, idque Proconsulare non Tiberio dignitate ac victoriis celeberrimo, sed ejus filio Germanico, honoribus rebusque gestis minori, demandatum esse. At hæ meræ sunt conjecturæ. Et Norisius in litteris ad Pagium (*h*) scriptis arbitratur, quum ob cladem Varianam majoribus copiis bellum gerendum esset, Augustum non Tiberium solum, sed etiam Germanicum *Proconsulari Imperio* fultum in Germaniam misisse, uti olim bello periculoso per duos Consules idem bellum stante Republica, administrabatur. Hoc quidem minus sibi probari, subjungit Pagius: attamen placere aliis potest. Sane obvius Dionis sensus *Proconsulatum* Germanico adserere videtur; ac tunc ejus *Proconsulatus* non fuisset *perpetuus*. Nam Tiberius statim post mortem Augusti *Germanico* (*i*) *Cæsari Proconsulare Imperium petivit, missique Legati, qui deferrent*. Sed hic *Proconsulatus* non fuit *universalis*: quippe Tibe-

(a) In Crit. ad an. Chr. 11. nu. XV.
(b) Apud Dion. Lib. LVI. p. 585. B.
(c) An. U. C. 741. & 747. ex Fastis.
(d) Vellej. Lib. II. cap. 99. & 103.
(e) An. U. C. 760. ex Dione Lib. LV. pag. 569. C.
(f) Suet. in Tib. cap. 15.
(g) Dio Cass. Lib. LVI. p. 585. B.
(h) In Critic. ad an. Chr. 11. num. XV.
(i) Tacit. Libro I. Annal. cap. 14.

Tiberius Proconſulare Imperium, quale demum ipſe acceperat, Germanico minime detulit; *æquum (a) enim Tiberio jus in omnibus Provinciis exercitibuſque, quam erat ipſi* Auguſto, decretum fuerat, quod Germanico numquam delatum eſt. Nam triennio poſt *C. Cælio, L. Pomponio Coſs. (b)*, quum apud Patres diſſeruiſſet Tiberius, non poſſe motum Orientem niſi Germanici ſapientia componi, *tunc (c) decreto Patrum permiſſæ Germanico Provinciæ, quæ mari dividuntur, majuſque imperium, quoquo adiſſet, quam his, qui ſorte aut miſſu Principis obtinerent*. Poſtremum hoc fuit, quod Germanicus adminiſtravit, bellum; quumq; Armeniæ Regem deviciſſet, & Cappadociam in Provinciæ formam redegiſſet, *(d) annum ætatis agens quartum & trigeſimum, diutino morbo Antiochiæ obiit (e)*. Numquam igitur æquum ipſi jus in omnibus Provinciis exercitibuſque fuit, quam fuerat Tiberio: nam hoc poſtremo Patrum decreto permiſſæ ſunt Germanico eæ tantum Provinciæ, quæ mari dividuntur, & majus quidem imperium, quoquo adiſſet, quam his, qui ſorte aut miſſu Principis obtinerent, ei delatum eſt, at non æquum Tiberio. Multo itaque minus Proconſulare Imperium, quod triennio ante Germanico petivit Tiberius, ac per legatos detulit, æqui juris fuiſſe, quam illud erat ipſius Tiberii, credere debemus. Imperante Nerone, quum Armeniam invaſiſſet Vologeſes, copiæ Romanorum militares Corbuloni permiſſæ: *ſcribitur Tetrarchis, ac Regibus, Præfectiſque, & Procuratoribus, & qui Prætorum finitimas Provincias regebant, juſſis Corbulonis obſequi; in tantum ferme modum aucta poteſtate (f)*, quem Populus Romanus Cn. Pompejo bellum Piraticum geſturo dederat. At Proconſulare imperium Pompeji Proconſulari Auguſtorum imperio, ut dictum eſt, æquum non fuit. Hinc animadvertere Lector poteſt, ex his Taciti locis ſimul conlatis conligi non poſſe, Proconſulare Imperium, quod Auguſto delatum ad ſucceſſores tranſiit, renovari conſueviſſe; diverſus quippe fuit *Proconſulatus* Auguſti Succeſſorumque a *Proconſulatu* Germanici, de quo Tacitus.

Reſtat ergo, ut videamus, an Druſo Romæ agenti ideo delatum non ſit Imperium Proconſulare, quod lege cautum eſſet, ut vult Noriſius, ne quis cum Imperio Proconſulari intra pomerium verſaretur. Tacitus quidem ſcribit *(g), quominus Proconſulare Imperium pro Druſo poſtularetur* a Tiberio, id in cauſſa fuiſſe, *quod deſignatus Conſul Druſus præſenſque erat*. At de

(a) Vellej. Libro II. cap. 121.
(b) An. U.C. 770.
(c) Tacit. Lib. II. Ann. cap. 43.
(d) Suet. in Vita Caji cap. 1.
(e) An. U.C. 772.
(f) Tacit. Libro XV. Annal. c. 25.
(g) Lib. I. Annal. init. princip. Tib.

de *Imperio Proconsulari*, non Augusteo, sed quale *Germanico petierat* Tiberius initio principatus, quod diversum multumque inferius Augusteo probavimus, intelligendus est historicus. Præterea Drusus non bella, ut Germanicus, aut Provincias, sed *Consulatum* erat obiturus, adeoque *Proconsulatu* non indigebat.

Nec vero negamus, stante Rep. cautum fuisse, ne quis cum *Imperio Proconsulari* intra Urbem versaretur; idque in decernenda etiam Germanico Drusoque eadem potestate servatum credimus. At de Augustorum *Proconsulatu* res aliter se habuit, Dione teste. Hi enim *Proconsulare imperium semper habebant, neque id intra pomerium venientes deponebant, aut eis rursus decernebatur*. Neque tamen illud Romæ exercere solebant; ibi quippe *Consulari* potestate, tum etiam *Imperatoria* & *Tribunicia*, aut aliorum urbanorum Magistratuum utebantur, eamque in ipsos Magistratus nedum in privatos exerebant. In iis tamen, quæ ad Provincias spectabant, *Proconsulari* potestate in ipsa urbe uti poterant. Hinc Augustus peracta recensione eorum, qui in Italia habitabant, ne Censor id fecisse videretur, Ἀνθύπατον ἐξουσίαν πρός τε τὸ τέλος τῶν ἀπογραφῶν καὶ πρὸς τὴν τοῦ καθαρσίου ποίησιν προσέθετο (*a*), *Proconsulare Imperium ad finem Census ac Lustrationis factæ proposuit*, idest Censum ipsum *Proconsularis Imperii* nomine subsignavit: non, ut vertit Xylander, exscribitque Norisius: *ad hunc Censum peragendum lustraleque sacrum faciendum, Proconsulare Imperium accepit*. Erat tum Romæ Augustus, neq; hac occasione decretus ei *Proconsulatus* legitur; quare hic Dionis locus non favet Norisio, sed officit. Neque etiam favere Viro Eminentiss. alterum ejusdem Dionis locum, qui de Drusi funere est, nos credimus. Nam in primis ea verba (*b*) ἐξεστράτευτο γὰρ κ. λ. de Druso, non de Augusto accipi possunt, ut sensus sit: Drusus *quippe bellum gesserat, adeoque fas non erat, in ipso pomerii ingressu ea peragere, quæ ad celebrandas ejus res gestas pertinebant*. Sane ad bellum profectum non Augustum, sed Drusum ejusq; de Chattis & Cheruscis victorias Dio (*c*) nobis exhibet. Secundo, quamvis de Augusto intelligendus esset Dio, non tamen Norisio faveret, neq; enim scribit prohibitum *Proconsulatu* Augustum intrare urbem; quin *neq; intra pomerium veniens eum deposuisse*, ab ipso (*d*) dicitur.

V. Nummi Imperatorum cum titulo *Proconsulis* pauci sunt, nec præter descriptum (*e*) Trajani observamus (*f*) nisi aliquot Diocletiani, Maximiani Herculii, atque Constantini.

Auctoris de Proconsulatu Imperatorum ac Cæsarum opinio magis explicatur.

(a) Dio Cass. Lib. LV. pag. 557. B.

(b) Eod. Lib. pag. 549. B.

(c) Pag. 548.

(d) Lib. LIII. pag. 519. A.

(e) Supra num. II. pag. 157.

(f) Apud Mediobarb., Spanhem. Diss. XII. Beger. To. II. Cont. Thes. Brand. pag. 778. & Bandurium.

Quoad Lapides primum occurrit PROC*onſulis* titulus in Cajo Caligula (*a*); hinc, ſed non ſatis tuto in Trajano (*b*); inde in Hadriano (*c*), & in Ælio (*d*) habetur. Poſt Antoninum frequentari magis cœpit idem *Proconſulis* titulus, ut videre eſt apud Gruterum, alioſque Inſcriptionum Conlectores, præſertim apud Cl. Muratorium in Claſſe *Auguſtorum & Cæſarum*. Quibus quidem in Inſcriptionibus animadvertendum eſt ineſſe cum eodem nomine PROCONSVLIS ac TRIB*uniciæ* POT*eſtatis* illud etiam IMP*eratoris*; quæ, quum diſtinguantur, diverſa quoque munera, ſive diverſas Poteſtates reſpexiſſe videntur, ita ut prænomen IMP*eratoris* aliud importarit, quam nomen PROCO*nSulis*, aut ſimul PROCO*nSulis* & TRIB*uniciæ* POT*eſtatis*, aliter quam ſentit Pagius. Præterea aliquæ ſunt Inſcriptiones, in quibus *Proconſulatus* nomini numerus additur. Sic in Inſcriptione (*e*) Sept. Severi cum TRIB. POT. VIII. legitur PROCOS. ITERVM, & PROCOS. III. (*f*); in alia cum ejuſdem TRIB. POT. XVII. (*g*) dicitur Severus PROCOS. V. Etiam Valerianus inſcribitur IMP. . . TRIB. POT. III. COS. P. P. PROCOS. II. (*h*). Item Maximianus dicitur (*i*) IMP. COS. III. P. P. PROCOS. ITER. Quas Inſcriptiones ſi vidiſſet Noriſius, neque poſt Claudium & Neronem *perpetuum* fuiſſe in ipſis Imperatoribus *Proconſulare Imperium*, forte ſibi perſuaſiſſet. Sane in his renovatum videtur hujuſmodi Imperium, contra quod tradit Dio, & nos ſupra adſeruimus. At, quum ita explicari poſſint hæ Inſcriptiones, ut Dionis auctoritas integra maneat, erroris notam ei inurere veremur, maxime quum ipſi Severo coætaneus, immo & carus fuerit Dio, eoque adprobante (*k*) ſcripſerit, nec *Proconſulatus* Imperatorii rationem ignorare potuerit; quippe & ante Severum & poſt ipſum fuit unus ex Senatu, qui *Proconſulatum* deferre Imperatoribus conſuevit. Quemadmodum itaque *Tribuniciam Poteſtatem* iterum plurieſque multiplicatam in nummis ac lapidibus videmus, nec tamen renovatam Imperatoribus a Senatu, ſed ſemel ab hoc traditam, ſingulo quoque anno ab Imperatoribus multiplicatam intelligimus; ita etiam *Proconſulare* Imperium, quamvis *iterum* ac *tertium*, immo & *quintum* multiplicatum videamus, non a Senatu *renovatum*, ſed tantum ab Imperatoribus toties uſurpatum, quoties notatur, credimus, & ad profectiones in Provincias expeditioneſq; militares referimus: nam, *quoties extra pomerium erant*, (*l*) *Procoſs. nuncupabantur*.

(a) Apud Grut. p.CLXXXVIII. num.7.

(b) Apud eumd. pag.CXC.num.1.

(c) Apud Grut. pag.CXCVIII.1.

(d) Apud eumd. pag. CCLII. 2. Vid. Spanhemius Diſſ. XII. p.466. 467. prior edit. de Uſ. & Pr. nu. ant.

(e) Apud Gruter. pag. CXCI. nu.1.

(f) Ex Latio apud Gr. p. CCLXIV. 6.

(g) Apud Reineſ. Cl.III. n.XXXI. pag. 311.

(h) Apud. Murat. in Theſ. Inſcrip. To.I.p.CCLIII.6

(i) Ex Faſt Panv. apud Gruter. pag. CXCII. 4.

(k) Lib. LXXII. pag.828. D. E.

(l) Dio Caſſ. Lib. LIII. p. 508. A.

ANIMADVERSIO VIII.

DE

CÆSARE OCTAVIO, OCTAVIAQUE SORORE

In Nummis Marci Antonii a Marco Oppio Capitone Cusis

Ad nummum secundum Tabulæ III.

I. DIximus (*a*), in nummo Oppii esse capita Antonii, & *Octavii* Cæsaris jugata, *Octaviæ* vero Antonii Uxoris adversum: at, quia eruditiss. Vaillantius (*b*) aliique Cl. Viri contendunt, caput jugatum cum illo Antonii esse *Antilli* hujus filii, non illud Cæsaris, adversum autem esse *Cleopatræ*, non vero *Octaviæ*, operæ pretium ducimus, heic rationes adferre, quibus in eam adducti sumus opinionem. Hoc autem fiet, si rebus recte dispositis, locus nummo debitus adsignetur; mox etenim patebit, ea capita ita esse *Cæsaris* & *Octaviæ*, ut *Antilli* & *Cleopatræ* esse non possint. Quod ut præstetur, Triumviratus tempora, ejusque res, quantum nostra respiciunt, disponamus, necesse est.

(a) In Comm. ad eumd. Numm.

(b) In Histor. Ptolem. pag. 193. 194

Probandum adsumitur, capita jugata in nummis Oppii esse Cæsaris & Antonii, adversum vero Octaviæ, non Cleopatræ.

Quum igitur convenissent Antonius, Cæsar, & Lepidus in parvam quamdam Insulam ejus fluvii, qui præter Bononiam labitur, statuerunt, Dione Cassio (*c*) teste, *ut ipsi quidem Triumviri Reipublicæ constituendæ administrandæque præficerentur, non tamen in perpetuum, sed in quinquennium, ita ut omnia ex ipsorum sententia, etsi neque ad Senatum neque ad Populum de his referrent, agere, Magistratus etiam, aliosque honores, quibus vellent, conferre possent.* Quod, quum Romæ, lata lege a Tribuno Plebis Titio, confirmatum fuisset, Magistratum hunc inierunt ante diem V. Kalendas Decembris anno U. C. DCCXI, ut in eo permanerent usque ad pridie Kalendas Januarias sextas, i. e. usque ad diem ultimum anni U. C. DCCXVI, uti ex hac marmoris Colotiani (*d*) inscriptione constat:

Triumviratus rerumque tum gestarum descriptio

(c) Libro XLVI. pag. 326. B.

C. VIBIVS. C. F. PANSA. A. HIRTIVS. A. F. (*e*)
..EMILIVS *M. Antonius* IMP. CAESAR. IIIVIR. R. C.
EX. A. D. V. K. DEC. AD. PR. K. IAN. SEXT.

(d) Apud Grut. p. CCXCVIII. 1.

(e) Coss. fuere an. U. C. 711.

Neque

Neque tamen diu manſit inter ipſos Triumviros concordia; ſed, ut de Lepido taceam, Antonius impellente Fulvia Uxore eo uſque cum Cæſare diſſenſit, ut ad arma ventum ſit. Mortua tamen non multo poſt Fulvia (*a*), ſtatim uterque armis poſitis in gratiam rediit. At, quum viderentur hæc fœdera majore quodam vinculo indigere, cenſuerunt omnes conjungendam eſſe Antonio *Octaviam* Cæſaris ſororem, ſperantes fore, ut hæc mulier forma, moribus, ingenioque præſtanti, una cum Antonio vivens, & ab eo, ut decens erat, amata, omnium rerum quies eſſet & ſalus. *Romam itaque profecti* Cæſar & Antonius Octaviæ *nuptias celebrarunt* (*b*): Ἐς δὲ Ῥώμην παρελθόντες ἐτέλουν τοὺς γάμους. In Faſtis Capitolinis legitur:

(a) Dio Caſſ. Lib. XLVIII. p. 374. A.

Plutarch. in Anton. pag. 929. E.

(b) Appian. Libro V. Bell. Civ. pag. 1127. al. 710. Plutarch. ibid.

IMP. CAESAR. DIVI. F. C. N. III. VIR. R. P. C.
OVA... QVOD. PACEM. CVM. M. ANTONIO. FECIT.
M. ANTONIVS. M. F. M. N. III. VIR. R. P. C.
OVA... QVOD. PACEM. CVM. IMP. CAESARE. FECIT.

Hinc ſubditur:

L. MARCIVS. L. F. C. N. CENSORINVS. COS. EX MACEDONIA AN. DCCXIIII. K. IAN. Ipſis ſcilicet *Kalendis Januariis*, quibus *Conſulatum* iniit, anno U. C. DCCXIIII. Capitolino, qui eſt Varronianus DCCXV, triumphavit ex Macedonia. Inde tempus elucet, quo Cæſar & Antonius in gratiam redierunt, nuptiaſque *Octaviæ* celebrarunt. At unum adhuc deerat, eratque in votis omnium, pax nempe Cæſaris & Antonii cum Sexto Pompejo Magni filio; qui, quum Siciliam teneret, frumentum Romam advehi prohibebat, infeſtabatque Italiam. Impellente itaque Populo fœdus cum ipſo inire coacti ſunt Triumviri. Convenit autem inter ipſos, Sextum Siciliæ, Sardiniæ, & Achajæ imperare, *ut tamen certam ſummam frumenti ad urbem mitteret* (*c*): σιτον τοῖς ἐς τῇ πόλει τακτὸν πέμποντα. Contigit hoc anno U. C. DCCXV: ac tum Antonius Ventidium cum exercitu præmiſit in Orientem ad reprimendos Parthorum impetus. Anſam (*d*) adſcribendi permultos in Senatum non modo e ſociis, militibuſve & libertinis, ſed ſervis etiam, hæc expeditio Antonii præbuit: unde & Magiſtratus alii in aliquot annos, καὶ τῶν ὑπάτων ἐς ὀκτὼ ὅλα προκατεστήσαντο, *& Conſules in octo totos annos tum ordinati ſunt*, Dione teſte. Qui & ad annum U. C. DCCXXIII. Varronianum ſubdit (*e*), *quum eſſent Conſules deſignati Cæſar & Antonius*, ὅτε ἐς τὰ ὀκτὼ ἔτη τὰς ἀρχὰς ἐσάπαξ προκατεστήσαντο, καὶ τό γε τελευταῖον ἐκεῖνο ἦν, *idque jam olim, quum in octo continuos,*

(c) Dio Caſſ. Lib. XLVIII. p. 379. A. Plutarch. in Anton. & Appian. Lib. V. Bell. Civ. pag. 1132., al. 713.

(d) Idem Dio Lib. XLVIII. p. 377. D. & 378. A.

(e) Lib. L. p. 424. C.

tinuos, ex quibus hic ultimus erat, annos Magiſtratus ordinaſſent, Antonio depoſito, Valerium Meſſalam, quondam ab his proſcriptum, cum Cæſare Conſulem fuiſſe. Quare, ſi ab hoc anno U.C. DCCXXIII. per annos octo retrocedamus, ad annum deveniemus DCCXV. Vergente vero ad finem hoc anno, Antonius re ſua Cæſari mandata, exceſſit Italia, *Octaviam in Græciam ſecum ducens, quum eis nata eſſet filia (a)*: τὴν δὲ Ὀκταβίαν ἄχρι τῆς Ἑλλάδος ἐπήγετο θυγατρίου γεγονότος αὐτοῖς Hibernavit autem Athenis cum ipſa *Octavia*, cœnam ibi græco more cum Græcis ſumens ea hieme frequenſque in ſolemnibus magna cum voluptate *unaque cum Octavia, cui admodum erat deditus (b)*, μετὰ τῆς Ὀκταουίας, πολὺς γὰρ καὶ ἐς τήνδε ἐῤῥύη, ut natura pronior ad amores mulierum.

(a) Plutarch. pag. 930. E.

(b) Appian. Libro V. Bell. Civ. pag. 1136. al. 715.

In his dum Antonius occupatur, Cæſaris Pompejique turbata ſunt fœdera. Hinc Cæſar (c) Brunduſium Athenis evocavit Antonium ad certam diem, ut de hoc bello conferret cum eo conſilia. Antonius quidem venit ad ſtatutam diem cum paucis; ſed, quum Cæſarem non inveniſſet, non expectavit; ſed in Græciam rediit, & ad bellum Parthicum profectus eſt. Paucis tamen rebus per Syriam compoſitis, Athenas rediit, & Ventidium, per quem Parthos vicerat, ut decuit, laudatum atque donatum, Romam remiſit ad triumphum. *Ineunte autem vere anni* U. C. DCCXVII. *Antonius ex Athenis Tarentum cum* CCC. *navibus adpulit, Cæſari auxilium ferens, ut promiſerat (d)*. Ἀρχομένου δ᾽ ἦρος, ὁ μὲν Ἀντώνιος ἐξ Ἀθηνῶν ἐς Τάραντα διέπλει ναυσὶ τριακοσίαις, τῷ Καίσαρι συμμαχήσων, ὡς ὑπέσχητο. At Cæſar mutato conſilio expectabat, dum nova claſſis perficeretur: rurſumque invitatus, ut Antonii adparatu ſuffecturo ad id bellum uteretur, excuſabat ſe diſtineri aliis negotiis, ut ſatis adpareret, aut rurſum aliquid querelarum eum habere contra Antonium, aut ejus auxilia contemnere, contentum propriis facultatibus. Id indigne ferens Antonius, tamen eodem loco manſit, vocavitque illum iterum. *Tum Octavia, ut inter eos arbitra profecta eſt ad Cæſarem (e)*. Ὀκταουΐα οὖν ἐχώρει πρὸς Καίσαρα διαιτήσουσα αὐτοῖς. Nam & ipſa cum Antonio ex Græcia navigarat, *eratque tum prægnans, & alteram jam filiam Antonio pepererat (f)*. Ἔγκυος μὲν οὖσα, ἤδη δὲ καὶ δεύτερον ἐξ αὐτοῦ θυγάτριον ἔχουσα. Amabat Antonium Octavia, amabaturque ipſa a fratre; utriuſque res curabat, conſulebatque Reipublicæ. Hinc *in gratiam Cæſar, & Antonius quodam modo redierunt Octaviæ præcipue opera (g)*: καὶ συνηλλάγησαν τρόπον τινὰ τῆς Ὀκταουΐας ὅτι μάλιστα τοῦτο πρασσούσης. Tum Antonius

(c) Id. pag. 1138. al. 717.

(d) Appian. ibid. pag. 1149. al. 725.

(e) Id. ibid.

(f) Plutarch. pag. 931. D.

(g) Dio Caſs. Lib. XLVIII. p. 390. D.

(a) Id. ibid.

nius (*a*) Cæſari naves ſuas dedit, aliaſque, quas mitteret, promiſit; viciſſim Cæſar milites Antonio donavit. *Quumque prius quinquennium* Triumviratus *jam exiſſet* ante aliquot menſes, *in aliud prorogaverunt ſibi Principatum* (*b*): ἑαυτοῖς δὲ τὴν ἡγεμονείαν ἐς ἄλλα ἔτη πέντε, ἐπειδὴ τὰ πρότερα ἐξεληλύθει, ἐπέτρεψαν. Tertius jam annus cœperat, ex quo *Octaviam* duxerat Antonius, pacemque cum Sexto Pompejo fecerant Cæſar & Antonius, ut ex dictis liquet. Quare ſi & tertium Præfecturæ Oppii annum tum cœpiſſe, immo & deſiiſſe probabimus, ſatis, ut credimus, evincemus, capita, quæ in ſuis nummis cum Antonio conjunxit Oppius, ita eſſe *Cæſaris* & *Octaviæ*, ut nullo modo *Antilli* & *Cleopatræ* eſſe poſſint. Quis enim perſuadeat ſibi, ita deſipuiſſe Oppium, tantumque auſum, ut, quum eſset Præfectus Claſſis Siculæ, [quod ex Triquetra in ejus nummis conſtat, nam Sicilia *dicta* (*c*) *eſt Trinacria pluribus, aut Triquetra a triangula ſpecie*], ſub oculis *Cæſaris* non ipſum *Cæſarem* & *Octaviam* ſororem cum marito Antonio exhibuerit in nummis, ſed *Antillum* hujus ex Fulvia filium, & *Cleopatram* Ægypti Reginam? Hac enim in re offendiſſet Oppius Antonium ipſum, utpote qui toto eo tempore deditus omnino fuerat *Octaviæ*, & ex ea duas jam filias ſuſceperat, expectabatque prolem tertiam.

(b) Idem Libro XLVIII. p. 390. E

(c) Plin. Lib. III. cap. 8.

Oppius Præfectum egit uſq; ad ann. U. C. 717, a quo anno ad illum U. C. 720. Præfectum egit Atratinus.

Nobis vero non multum adlaborandum eſt, ut probemus cœpiſſe tum tertium Præfecturæ Oppii annum, immo & deſiiſſe medio fere anno U. C. DCCXVII, quum inter hoc tempus & principium anni U. C. DCCXX. conlocandum ſit triennium ſaltem incœptum Præfecturæ ejuſdem Claſſis Atratini. Hic enim eodem modo atque Oppius *Præfectus Claſſis* dicitur, & navem ac Triquetram ſignat in nummis, &, quod animadvertendum præcipue eſt, ſe *Conſulem deſignatum* inſcribit. En ejus nummi.

(d) Theſaur. Medic. & in Muſeo Theup. p. 7. ubi dicuntur: Capita Antonii & Cleopatræ adverſa; & in parte poſtica: Antonius & Cleopatra ſtantes in curru &c. pag. 8.

1 M. ANT. IMP. TER. COS. *Marcus Antonius Imperator tertium Conſul*. Capita Antonii & Octaviæ, juxta noſtram opinionem, adverſa.

L. ATRATINVS PRAEF. CLAS. F. C. *Lucius Atratinus Præfectus Claſſis frumento convehundo* ſeu *fieri curavit*. Antonius & Octavia ſtantes in curru a quatuor equis marinis tracto.

(e) Pag. 8.

2 M. ANT. . . . . III. VIR. R. P. C. Capita jugata M. Antonii & Octaviæ. In Indice Muſei Theupoli (*e*), cujus eſt hic nummus, dicuntur *capita jugata M. Antonii & Cleopatræ* . . . . . . TINVS AVGVR. Navis cum velo expanſo, in imo A, id eſt, annus *primus*.

3 M.

3 M. ANT. IMP. TER. *Marcus Antonius Imperator tertium.* Capita Antonii & Octaviæ adverſa, pone illud Antonii lituus.

L. ATRATINVS AVGVR COS. DES. B. *Lucius Atratinus Augur Conſul deſignatus, anno ſecundo.* Navis velo expanſo: in alio (*a*) duæ Naves Prætoriæ; & in parte antica inſcriptio: M. ANT. IMP. TER. COS.

(a) Theſ. Med. & apud Haverc. in Theſ. Morel. Tab. IV. nu. VII. Fam. Anton.

4 M. ANT. IMP. TER. COS. *Marcus Antonius Imperator tertium Conſul* (*b*). Capita Marci & Cæſaris jugata, ex adverſo caput Octaviæ.

(b) Muſ. Theup. pag. 8. ubi dicunt Capita M. Anton. III. V. & M. Ant. ejus filii jugata, ex adverſo caput Cleopatræ.

L. ATRATINVS AVGVR COS. DESIG. Γ. *Lucius Atratinus Augur Conſul deſignatus, anno tertio.* Navis, & Triquetra.

5 M. ANT. IMP. TER. COS. DES. ITER. ET TER. III. VIR R. P. C. Capita adverſa M. Antonii & Octaviæ. Apud Cl. Havercampum in deſcriptione Theſauri Morelliani (*c*) dicuntur *capita adverſa M. Antonii & Cleopatræ.*

(c) Tab. V. nu. I. Famil. Anton. p. 26. & Tab. II. nu. II. Fam. Sempron. pag. 381.

L. ATRATINVS AVGVR PRAEF. CLAS. F. C. *Lucius Atratinus Augur Præfectus Claſſis Frumento Convehundo, ſeu Fieri Curavit.* Duæ junculæ in curru a quatuor equis marinis tracto, ſubtus littera Δ & arula, pone icunculas connexæ cernuntur in medio litteræ HS. Antonium & Cleopatram interpretatur Havercampus (*d*), & ad triumphum Antonii imaginarium Alexandriæ habitum hujuſmodi typum refert.

(d) Ead. pag. 26. & 381.

Ex eo itaque, quod *ſecundo* & *tertio* Præfecturæ Claſſis *anno Conſulem deſignatum* ſeipſum inſcribat Atratinus, certo colligimus, eum Claſſis Præfectum egiſſe ante annum U. C. DCCXX; Kalendis enim Januariis hujus anni ſuffectus eſt *Conſul.* Nam, quum apud Miſenum Cæſar & Antonius pacem cum Sexto Pompejo feciſſent, *deſignati fuerunt Conſules in quadriennium ante omnes quidem Antonius & Libo, ut tamen Antonio liceret alium pro ſe ſubſtituere* (*e*). Ἀπέφηναν δὲ τῆς ἐπιέσης Ὑπάτους ἐς τετραετὲς, Ἀντώνιον μὲν καὶ Λίβωνα πρώτες, ἀντικαθισάντος ὁμοίως Ἀντωνίου, ὃν ἂν βούλοιτο. Adveniente autem anno U. C. DCCXX, cui Conſulatus hic competebat, Antonius ſubſtituendum ſibi deſignavit Atratinum Præfectum Claſſis: ac tum Atratinus annum agens ſecundum Præfecturæ *Conſulem deſignatum* ſe inſcribere cœpit. Kalendis exinde Januariis ejuſdem anni U. C. DCCXX. *Antonius eadem die, qua iniit, depoſuit Conſulatum, ſuffecitq; ſibi ipſum Lucium Sempronium Atratinum* (*f*): Ἀντώνιος δὲ ἐν τέτῳ τῆς μὲν ἀρχῆς αὐθημερὸν ἐξέςη, Λέκιον Σεμπρόνιον Ἀτρατῖνον ἀντικαταςήσας. Quapropter

(e) Appian. Lib. V. Bell. Civ. pag. 1134. al. 714.

(f) Dio Caſs. Lib. XLIX. p. 414. E.

ejuſdem

ejusdem triennium *Præfecturæ* inter annum DCCXVII, quo desiit Oppius, & DCCXX, quo Atratinus ipse Consulatum iniit, necessario conlocandum est. Quare veniam dabit Havercampus, si ipsum non sequimur, ubi docet (*a*), Atratinum Antonio suffectum in Consulatu an. U. C. DCCXX. usque ad Kal. Julias, *sese mox in Ægyptum contulisse, atque ab Antonio Classi præfectum fuisse.*

(a) Com. in Tab. IV. nu. VII. Famil. Anton. Morell. pag. 25.

Idem Cl. Havercampus nummum Atratini inlustrans, quem quinto loco descripsimus, *littera* Δ, inquit (*b*), *tertium*, lege ipso monente Auctore (*c*), *quartum annum indicat, quo jam isto honore fungebatur Atratinus.* Postea similem Oppii nummum e Morellio exhibens atq; describens, ubi tamen sunt litteræ ΔI, hæc subdit (*d*): *In Atratini nummo litteram* Δ *de quarto præfecturæ in Sicilia anno explicavimus pag.* 26., [*quamvis ibi male tertium annum typi expresserint*]; *sed cum illo pugnare addita hic littera* I. *videtur; quæ quid sibi velit, ignoro; neque enim cognomen Jovis aliquod apud Siculos denotare credo, quum Latinis litteris reliqua in nummo concepta sint, & posterior littera in nummo Atratini desit; ut forsitan exstantia quædam in ære sit, quam pro littera* I. *Morellius acceperit, de quo videant, quibus præclarum hoc numisma coram inspicere datur facultas. Videtur enim simpliciter quartus annus præfecturæ indicari.* Quod si ita est, anticipari debet præfectura Atratini, ejusque principium cum fine præfecturæ Oppii conjungi poterit. At ego crediderim litteram Δ in nummo Atratini initialem esse vocis, quæ per litteras ΔI. in nummo Oppii indicatur: & sic omnia suo loco stant. Gesserit itaque Oppius ab anno DCCXV. ad DCCXVII. Præfecturam suam. Quis autem persuadeat sibi, ut hoc repetam, ita desipuisse Oppium ipsum, ut quo tempore inter Antonium & Cæsarem res maxime constabant sequestra *Octavia*, seque huic totum Antonius dederat, *Cleopatræ* vero ne quidem meminisse videbatur, Antonii filium & *Cleopatram* Ægypti Reginam exhibere in nummis voluerit, spretis, ut ita dicam, *Cæsare* & *Octavia*? Nimis certe insaniisset, iramque Cæsaris, quin & Antonii nequaquam effugisset. At longe abfuit ab hac insania Oppius, testesque habet nummos; nam, si quos ipse cudi curavit, cum iis conferantur, qui nomen & vultum Cleopatræ præseferunt, multum differre vultum mulieris, [*Octaviæ* scilicet], quam ipse cum Antonio cudit, a vultu *Cleopatræ* statim adparebit: & quemadmodum *ii, qui Cleopatram ipsam olim viderunt*,

(b) Pag. 26 Com. in Famil. Anton. Thesaur. Morell.
(c) Loco mox citando.
(d) Com. in Fam. Oppiam ejusdem Thes. litt. D. pag. 305.

viderunt, apertissime cognoscere quisq; potest, *neq; ætate neq; forma Octaviæ illam fuisse anteponendam (a)*. Οἱ Κλεοπάτραν ἑωρακότες, οὔτε κάλλει τῆς Ὀκταβίας, οὔτε ὥρᾳ διαφέρουσαν. Alter quoque vultus virilis, quem cum illo Antonii junxit Oppius, si cum vultu *Cæsaris* in nummis conferatur, statim hujus esse dignoscetur. Prudens itaq; Oppius, quum videret pacem inter *Cæsarem* & Antonium nonnisi ab *Octavia* sperari & haberi posse, hanc inter utrumq; in nummis exhibuit. Quin ex anno Præfecturæ Oppii *tertio* & ex typo nummum hunc Pisanum, quem inlustramus, cusum hariolamur anno U. C. DCCXVII, quum *Octavia* arbitra ab Antonio ad *Cæsarem* missa est, eaque sequestra pacem amicitiamque uterque confirmavit, ac copiosissimis muneribus sese invicem (b) donavit: nam tum *suspiciebant omnes Octaviam*, ut heic exhibetur, *duorum Imperatorum, alterius conjugem, alterius sororem (c)*. Νῦν μὲν γὰρ ἅπαντας ἀνθρώπους εἰς αὐτὴν ἀποβλέπειν, Αὐτοκρατόρων δυοῖν, τοῦ μὲν γυναῖκα, τοῦ δὲ ἀδελφὴν οὖσαν. Quæ quum ita sint, nullus mihi remanet dubitandi locus, quin capita, quæ cum illo Antonii in nummis Oppii conspiciuntur, sint *Cæsaris* & *Octaviæ*.

(a) Plutarch. in Anton. p. 942. D.

(b) Vid. Appian. Lib. V. Bell. Civ. pag. 1150. al. 726.

(c) Plutarch. in Anton. pag. 931. E

In nummis quoq; Atratini & Fonteji Octavia, non vero Cleopatra exhibetur.

II. Hoc autem ita mihi persuasum est, ut, quum idem caput muliebre in nummis etiam Atratini, quin & Fonteji cernam, horum quoque nummos ad *Octaviam* referam, minime vero ad *Cleopatram*; ita ut Spanhemius in Vaillantii opinionem nimis facile ivisse mihi videatur, quum in priori Atratini nummo hinc adversa *M. Antonii* & *Cleopatræ* capita, illinc *eosdem* in quadrigis Hippocamporum stantes conspici scribit (d); quemadmodum etiam, quum in Fonteji nummis expressa tradit jugata M. Antonii & *Cleopatræ* capita (e). Atratini porro nummi cusi sunt, ut probavimus, inter annum U. C. DCCXVII, & DCCXX; illi vero Fonteji cusi quidem sunt ante annum DCCXX, quo Consulatum secundum Antonius iniit, nam ipsum adhuc *designatum Consulem iterum* præseferunt; at, utrum concurrant cum Præfectura Atratini, an potius Oppii, nescimus. Sunt autem hujusmodi.

(d) De Usu & Præst. num. antiq. pag. 175.

(e) Pag. 176.

1 M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. *Marcus Antonius Imperator, Consul designatus iterum, & tertium (f)*. Capita Antonii & Octaviæ jugata; juxta Vaillantium & alios Capita Antonii & Cleopatræ.

C. FONTEIVS PROPR. *Cajus Fontejus Proprætor*. Navis expanso velo.

(f) Vaillant. pag. 191. Hist. Ptol. ex Patino vid. etiam Thes. Morel. Fam Roman. Tab. IV. Fam. Ant. n. V. & Com. Haverc.

2 C. FONTEIVS CAPITO PROPR. *Cajus Fontejus Capito Proprætor* (*a*). Capita Antonii & Octaviæ jugata; Cleopatræ vero juxta Vaillantium & alios.

(a) Id.Vaill.ibid. vid. etiam Thes. Mor. Fam. Rom. Tab. IV. Famil. Anton. nu.VI. & Com. Haverc.

M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. III. VIR. R. P. C. *Marcus Antonius Imperator, Consul designatus iterum & tertium, Triumvir Reipublicæ constituendæ.* Navis expanso velo.

Si itaque *Proprætorem* Classis egit C. Fontejus, quo tempore Oppius quoque agebat, quæ hucusque de hujus nummis disseruimus, satis evincunt, in nummis etiam Fonteji *Octaviam* cum Antonio exhiberi, non Cleopatram. Si vero *Proprætor* fuit Fontejus cum Atratino, quæ modo dicenda sunt, sufficere poterunt, ut rursum *Octaviæ*, non *Cleopatræ* adsignentur nummi hujusmodi.

Quamvis itaque anno U. C. DCCXVII. post pacem amicitiamq; cum Cæsare strictam, Antonius in Syriam bellum contra Parthos gesturus abierit, & *Octaviam* Romæ *apud Fratrem reliquerit* (*b*), τὴν Ὀκταουΐαν παρὰ τῷ ἀδελφῷ καταλιπών, non videtur tamen illico ad Cleopatræ amores rediisse; *nam in Italiam eundo; ac inde revertendo totum annum exegit* (*c*). Ἀντώνιος μὲν γὰρ ἔς τε τὴν Ἰταλίαν ἀφικνούμενος, καὶ ἐκεῖσε αὖθις ἐπανιὼν, πάντα τὸν ἐνιαυτὸν κατέτριψε. Postea quidem ingens calamitas diu dormitans Cleopatræ amor, qui sopitus melioribus consiliis, atque extinctus videbatur, eluxit ex integro, & excitatus est, ac postremo sicut contumax, ut ait Plato, atque lascivum animi jumentum calcibus repellens omnia honesta & salubria consilia, *Fontejum Capitonem ad Cleopatram in Syriam adducendam misit* (*d*). Καπίτωνα Φοντήϊον ἔπεμψεν ἄξοντα Κλεοπάτραν εἰς Συρίαν. At hoc Romæ dissimulabatur, atque in id omnes incumbebant, præsertim *Octavia*, ut pax inter ipsum & Cæsarem consisteret. Hinc, quamvis cladem magnam a Parthis accepisset Antonius, Romæ, etsi nihil eorum, quæ acta fuerant, ignotum esset, tamen publice ea non sunt indicata; *quin immo sacrificatum etiam est, & festi dies acti* (*e*): ἀλλὰ καὶ ἐβουθύτουν καὶ ἑώρταζον. Anno autem U. C. DCCXIX. Pompejo & Cornificio Coss. (*f*) bellum Regi Armeniæ quum facere instituisset Antonius, Cæsar (*g*) Romæ *Octaviam* sollicitabat, ut ad Antonium navigaret. Athenas itaque prætervecta litteras ab Antonio accepit, quibus jubebatur Athenis expectare, & simul se contra Parthos profecturum significabat. Secum tulerat *Octavia* vestem militarem complurimam,

(b) App. Lib. V. Bell.Civ. p.1151. alias 727.

(c) Dio Cass. Lib. XLIX. p.405. E.

(d) Plutarch. in Ant. pag.932. B.

(e) Dio Cass. Lib XLIX. p.410. E.

(f) Id. eod. Libro p.411. B. C.

(g) Plutarch. in Ant. p.940. A. B.

rimam, multa etiam jumenta, & pecunias, & dona, quæ Antonii familiaribus largiretur, & præterea militum delectorum duo millia, qui in cohortes redacti, & totius corporis armaturis mirabiliter ornati erant. Hæc omnia quum ad Antonium Niger quidam ab *Octavia* miſſus detuliſſet, & juſtis laudibus ornaſſet, timens Cleopatra *Octaviæ* adventum, ne forte probitate morum, & Cæſaris potentia Antonius flecteretur, hunc per amicos detinuit in Ægypto. Qui quidem dictante Cleopatra faſſi ſunt apud Antonium, *Octaviam rerum gratia per fratrem ipſi Antonio conjunctam Conjugis nomine frui, Cleopatram autem tot Populorum dominam, amantem Antonii vocari, neq; hoc nomen fugere, neque erubeſcere* (*a*). Ὀκταβίαν μὲν γὰρ πραγμάτων ἕνεκα διὰ τὸν ἀδελφὸν συνελθεῖν ϗ τὸ τῆς γαμετῆς ὄνομα καρποῦσθαι. Κλεοπάτραν δὲ τοιούτων ἀνθρώπων βασιλεύουσαν, ἐρωμένην Ἀντωνίου καλεῖσθαι. ϗ τοὔνομα τοῦτο μὴ φεύγειν, μηδ᾽ ἀπάξιουν ἕως ὁρᾷν ἐκεῖνον ἔξεστι ϗ συζῆν. Octavia (*b*) autem Romam rediens, neque Antonii domum deſeruit, neque filiorum ejus curam remiſit; ſed diligenter excoluit, non ſolum communes, ſed etiam ex Fulvia ante ſuſceptos. Amicos etiam Antonii, qui vel petendi Magiſtratus, vel ceterarum rerum gratia Romam veniebant, ſuſcipiebat, fovebatq;, &, ſi quid opus erat, pro illis a Cæſare impetrabat. Ipſemet Cæſar, *quum Sextus Pompejus mortuus eſſet* anno U. C. DCCXIX. *L. Cornificio & Sexto alio quodam Pompejo Coſs., ludos equeſtres exhibuit, Antonioque currum ante roſtra, & ſtatuas in templo Concordiæ poſuit, poteſtatemque dedit ibi cum conjuge & liberis convivandi, ſicut ante ſibi decretum fuerat* (*c*). Ὅτε Σέξστος ἐπί τε τοῦ Κορνουφικίου τοῦ Λουκίου ϗ ἐπὶ Σέξστου τινὸς Πομπηίου ὑπάτων ἀπέθανε. ϗ διὰ τοῦτο ϗ ὁ Καῖσαρ ἱπποδρομίαν τε ἐποίησε, ϗ τῷ Ἀντωνίῳ ἅρμα Καὶ τῷ Ἀντωνίῳ ἅρμα τε ἔμπροσθεν τοῦ βήματος, ϗ εἰκόνας ἐν τῷ Ὁμονοείῳ ἔστησε· τό τε ἐξουσίαν σύν τε τῇ γυναικὶ ϗ τοῖς τέκνοις ἑστιᾶσθαι ἐνταῦθα ἔχειν ἔδωκεν, ὥσπερ ποτὲ ϗ αὐτῷ ἐψήφιστο.

(a) Id. p.490. D.

(b) Id. pag.

(c) Dio Caſſ. Lib. XLIX. p.403. C.

Atque hæc fere ſunt ad rem noſtram, quæ ab anno U.C. DCCXVIII. ad DCCXX. acciderunt. Ex iis autem ſatis conſtare credimus, pacis inter Cæſarem & Antonium ſequeſtram fuiſſe *Octaviam*; qua de cauſſa ab univerſo Romano orbe, qui ſibi ab illorum diſcordia quam maxime timebat cavebatque, unice colebatur. Qua igitur fronte Cleopatram cum Antonio exhibuiſſent in ſuis nummis Atratinus & Fontejus, omiſſa *Octavia*? Qua, repetam, fronte in orbem Romanum, eumq; pacis adeoque *Octaviæ* amantiſſimum, hujuſmodi nummos evulgaſſent? Offendiſſent certe plurimos, maxime vero Cæſarem, ipſique

caussam ab Antonio diffidendi præbuissent; Cæsar autem facile arripuisset: nam eo fere tempore sollicitavit *Octaviam*, ut ad Antonium navigaret, non ipsius gratia, ut plurimi ajunt, sed ut illa repulsa, aut neglecta justam sibi caussam præberet belli contra Antonium ineundi *(a)*. Aliunde etiam offendissent Atratinus & Fontejus Romanum orbem, ejusque iram nequaquam evasissent; quum enim fateretur ipsa Cleopatra, *Octaviam* rerum gratia per fratrem Antonio conjunctam Conjugis nomine frui, se ipsam vero amantem Antonii vocari *(b)*: quis impune tulisset eorum audaciam, si spreta Uxore Concubinam cum Antonio exhibuissent? Quod si de Fontejo, qui cum Antonio erat, hoc credibile non est, eo minus credi poterit de Atratino, qui sub oculis Cæsaris, ejusque potestate, utpote Classis Siculæ Præfectus, omnino degebat, quique designatus erat Consul, anno DCCXX. sufficiendus Antonio. Fontejus etiam adire volebat Consulatum anno U. C. DCCXXI. a Cæsare ipso, qui eumdem annum Consulatu suo aperire debebat, sufficiendus; adeoque *Octaviam* ac Cæsarem ipsum offendere, injuriamque his eum inferre voluisse, nemo credet. Illud etiam accedit, quod ipsorum nummi multum ab illis Cleopatræ differunt. Hi enim Cleopatræ nomen, aut ambitiosos ejusdem titulos, ornatu præterea regio eam præferunt. Illi vero, quos Atratinus & Fontejus percusserunt, mulierem sine nomine, vultumq; ab illo Cleopatræ diversum, similemq; illi *Octaviæ*, prout in nummis Oppii exhibetur, repræsentant. Nondum enim apud Romanos Feminæ in nummis inscribi, aut regie ornari consueverant. Quis igitur jure credat, in nummis Atratini & Fonteji Cleopatram exhiberi?

(a) Plutarch. in Anton. pag. 940.

(b) Id. ibid.

Nummi quoque Bibuli Octaviæ adscribendi.

III. Ab hoc ego certe tantum absum, ut & nummos Lucii Bibuli, qui post Atratinum præfuit Classi Siculæ, *Octaviæ* adscribam, non Cleopatræ. Sunt autem hujusmodi:

1 M. ANT. IMP. TER. COS. DESIGN. TER. III. VIR. R. P. C. *Marcus Antonius Imperator tertium, Consul designatus tertium, Triumvir Reipublicæ constituendæ.* Capita jugata Antonii & Octaviæ.

L. BIBVLVS PRAEF. CLAS. *Lucius Bibulus Præfectus Classis.* Navis velo expanso. Exhibet hunc nummum Vaillantius e Museo suo *(c)*, qui & credit inesse in ejus parte antica *Capita Antonii & Cleopatræ sociata.*

(c) Hist. Ptol. pag. 197.

2 M. ANT. IMP. TER. COS. DESIG. TER. III. VIR.

VIR R. P. C. *Marcus Antonius Imperator tertium, Consul designatus tertium, Triumvir Reipublicæ constituendæ.* Capita adversa M. Antonii & *Octaviæ*, ex Vaillantio (*a*), Havercampo, & aliis Cleopatræ.

(a) E Thes. Gall. Reg. in Hist. Ptol. pag. 197. Haverc. in Fam. Ant. Morell. Tab. IV.

L. BIBVLVS M. F. PRO. SIC. *Lucius Bibulus Marci filius Proprætor Siciliæ.* Navis velo expanso.

3 M. ANTONIVS M. F. COS. ITER. III VIR R. P. C. *Marcus Antonius Marci Filius Consul iterum Triumvir Reip. Constituendæ.* Caput M. Antonii.

L. BIBVLVS M. F. PRAE. CL. F. C. *Lucius Bibulus Marci Filius Præfectus Classis frumento conuehundo*, seu *fieri curavit.* Navis sine velo remisque; nisi illa erosa sint.

Exhibet hujusmodi nummos Clarif. Havercampus (*b*), docetque, Bibulum, antequam Syriam Provinciam ab Antonio acciperet, multa illi commoda in militibus transvehendis contra Cæsarem præstitisse, utpote inter illos, qui classibus ejus præerant, haud postremum. Hinc titulo *Proprætoris Siciliæ* ab Antonio donatum fuisse, subdit: *habebat enim*, inquit, *aliquam insulæ ejus partem quoque Antonius expulso Pompejo.* Nullam tamen *Siciliæ* partem habuisse Antonium expulso Pompejo, nos credimus, ac etiam probare conamur. Quare PRO*prætor* SI*Ciliæ* nisi a Cæsare, cui ea Provincia parebat, creari non potuit. Hinc nec fieri potuit, ut tamquam *Proprætor Siciliæ* in nummis Antonii Cleopatram potius quam *Octaviam* exhiberet. Vaillantius autem docet (*c*), L. Bibulum anno U. C. DCCXX. ab Antonio Præfectum Classi nominatum fuisse post M. Oppium Capitonem, qui appellat in nummis suis Antonium tantum *Consulem designatum iterum*; & sic uterq; videtur viro Cl. fuisse Legatus *Proprætore Siciliæ* & *Præfectus Classi*, quæ stationem in Sicilia habebat.

(b) Thes. Morell. in Fam. Ant. Tab. IV. Vid. ejusdem Com. p. 24. & 25.

(c) In Hist. Ptol. a pag. 197.

Quum itaque Antonius dicatur *Cos. designatus tertium*, cusos liquet hos nummos post Kalendas Januarias anni U. C. DCCXX, quibus Antonius iniit, simulque deposuit (*d*) *secundum Consulatum*: ex eo autem, quod L. Bibulus dicatur *Proprætor Siciliæ*, ejus nummos *Octaviæ*, non vero Cleopatræ adscribendos esse crediderim. Parebat enim Sicilia Cæsari, qui & Prætores illuc mittebat: unde Cæsar ipse legitur post exactum inde anno U. C DCCXVIII. (*e*) Sextum Pompejum *indixisse tributum Siciliæ* MDC. *talenta, ac designasse Prætores Africæ & Siciliæ diviso exercitu in utramque.* (*f*) Σικελίᾳ μὲν ἐπέβαλλεν ἐσφορὰν, χίλια ταλαν-

(d) Vid. superius Pag. 167.

(e) Dio Cass. Lib. IL. usq; ad p. 403.

(f) Appian. Lib. V. Bell. Civ. pag. 1177. al. 745.

τάλαντα ϗ ἑξακόσια, ϛρατηγὺς δ' ἀπέφαινε Λιβύης ϗ Σικελίας, καὶ ϛρατὸν ἐς ἑκατέραν διῄρει. Quis autem credat, Bibulum ſub Cæſaris poteſtate Cleopatram potius quam *Octaviam* exhibere in nummis voluiſſe, ſive, ut melius dicam, potuiſſe? Anno quidem U. C. DCCXXII. (*a*), turbatis jam inter Cæſarem & Antonium rebus, quum omnibus, qui vellent ad Antonium abire, ut tuto id facerent, permiſiſſet Cæſar, ad Antonium Bibulus ſe contulit, *& Claſſi* poſtea *Præfectus copias ejus tranſvexit contra Cæſarem, acceptaque ab illo Syria provincia*, paullo poſt *in ea mortuus eſt.* (*b*) Βίβυλος δὲ ἐναυάρχησεν Ἀντωνίῳ ϗ Καίσαρι ἐς ἀλλήλυς ἐπόρθμευσε, ϗ ϛρατηγὸς ἀπεδείχθη Συρίας ὑπὸ Ἀντωνίυ, ϗ ϛρατηγῶν ἔτι αὐτῆς, ἀπέθανεν. At tum Præturæ Siciliæ ceſſerat, & Antonius *Octaviam* repudiarat. *Romam quippe miſit Antonius, qui Octaviam domo expellerent*, (*c*) εἰς Ῥώμην ἔπεμψε τὺς Ὀκταβίαν ἐκ τῆς οἰκίας ἐκβαλῦντας: quod factum eſt anno demum U. C. DCCXXII. (*d*), indicto jam ei a Cæſare bello: ante quod tempus neminem Romanorum Cleopatram exhibuiſſe in nummis cum Antonio, nos credimus.

(a) Dio Caſſ. Lib. L. pag. 420. B.
(b) Appian. Lib. IV. Bell. Civ. pag. 984. al. 611.
(c) Plutarch. in Ant. pag. 942.
(d) Dio Caſſ. Lib. L. pag. 419. D. 420. C.

IIII. Conſiderandus nunc Vaillantius. Is itaq; (*e*), quum in nummo Oppii Capitonis inſcripto M. ANT. IMP. COS. DES. IT. ET TER. III. VIR. R. P. C, in averſa parte M. OPPIVS CAPITO PROPR. A; *ex voce* PROPR. illum aliquam Antonii Provinciam Legati *Proprætore* nomine adminiſtraſſe dixiſſet, ex alio (*f*) ob epigraphen PRAEF. CL. eam fuiſſe ad mare ſitam, & in eam C. Fontejo ſucceſſiſſe, ex eadem inſcriptione COS. DESIG. ITER. ET TERT. auguratus eſt. Hinc animadvertit (*g*), Triquetra Siciliæ nota nummum Oppii in Siciliæ quadam Urbe, &, ſi augurari liceat, Panormi ſignatum denotari: in Panormi autem nummis Triquetram illam pro ſtemmate exhiberi ſolitam docet, & quidem M. Oppii Capitonis cura, quem partis ejus Inſulæ Legatum *Proprætore* M. Antonii fuiſſe exiſtimat: quod & confirmari ſubdit altero nummo L. Bibuli, qui ſe PRO. SIC, ideſt Legatum *Proprætore Siciliæ* inſcribit. Paullo tamen ante ſcripſerat Vir Clariſs., C. Fontejum, cui in Provinciam ſucceſſiſſe tradit Oppium, non Siciliæ, ſed Aſiæ Provinciam adminiſtraſſe. Præterea Fontejum in Præfectura Oppio præponit, quum hic Fontejum tempore præceſſerit. Quod ut manifeſtius appareat, rem plenius exſequemur. Vaillantius ipſe nummos duos profert L. Atratini ex Theſauro Mediceo, alterum (*h*) cum capitibus adverſis Antonii, &, ut ipſe credit, Cleopatræ,

(e) In Hiſt. Ptol. pag. 192.
Vaillantii pro adſerendis Cleopatræ nummis rationes.
(f) Ibid. e Muſeo Card. Max. Romæ
(g) Pag. 194.
(h) Pag. 195.

Cleopatræ, ac litteris M. ANT. IMP. TER. COS., in aversa parte cum Antonio & Cleopatra ſtantibus in curru a quatuor equis marinis tracto, & inſcriptione L. ATRATINVS PRAEF. CLAS. F. C. *Lucius Atratinus Præfectus Claſſis fieri curavit*: alterum (*a*), in quo capita Antonii, & juxta ipſum Vaillantium Cleopatræ adverſa cum litteris M. ANT. IMP. TER, pone caput Antonii lituus; in averſa parte Navis velo expanſo cum epigraphe L. ATRATINVS AVGVR COS. DES. TER, in area littera B. Ad primum notat (*b*), L. Atratinum ex gente Sempronia, quum ex lege fœderis cum Cæſare & Sex. Pompejo ſanciti Antonius inire deberet Conſulatum cum L. Scribonio Libone Pompeji ſocero anno U. C. DCCXX, & illum K. Januarii abſens abdicaſſet, in ejus locum ab illo ſuffectum fuiſſe uſque ad K. Julii; poſt quas credit Claſſis Antonii Præfecturam obtinuiſſe, & nummum cudiſſe, quum jam Antonius ob Armeniam occupatam *Imperatoris tertium* ſibi titulum adrogaſſet, ut nos edocere ab ipſo Vaillantio dicitur ejus epigraphe IMP. TER. Quoad ſecundum vero vir Cl. tradit, litteram B. in area nummi ſignatam *ſecundum* denotare Præfecturæ Claſſis Antonianæ *annum*, quam gerebat L. Atratinus, Lituumque ad Antonii Sacerdotium ſpectare, ideoque AVGVR*em* in averſa parte nummi renuntiari, ut & *Conſulem deſignatum tertium* ad annum U. C. DCCXXII.

(a) Pagina 196. Ex Theſ. Medic.

(b) Pag. 195. 196.

At in parte nummi poſtica legendum forte, non COS. DES. TER, ſed tantum COS. DES; idque tum referretur ad L. ipſum Atratinum, ſicuti & AVGVR*is* titulus. Quæ conjectura firmatur alio ejuſdem Atratini, quem ſupra retulimus, nummo hinc inſcripto M. ANT. IMP. TER. COS. *M. Antonius Imperator tertium Conſul*; illinc L. ATRATINVS AVGVR COS. DESIG. Γ; ubi certe *L.* ipſe *Atratinus* & *Augur*, & *Conſul deſignatus* dicitur *anno* Præfecturæ *tertio*; nam M. Antonius jam tum in parte nummi antica dictus eſt *Conſul*, & heic dici deberet *Conſul deſignatus iter.* aut *tert.* Video tamen, Cl. Vaillantio laudatum Havercampum (*c*) adſtipulari: quippe qui non putat, ad Lucium Sempronium Atratinum totam hanc averſæ partis inſcriptionem ſpectare, ſed partem ejus debere connecti cum inſcriptione, quæ exſtat in priori parte, ita ut ſimul juncta ad Antonium hæc omnia ſpectent, M*arcus* ANT*onius* IMP*erator* TER*tium* CO*n*S*ul* AVGVR CO*n*S*ul* DES*ignatus*. Ratio, quam addit vir Cl., eſt, quod

Vaillantii rationibus occurritur.

(c) Com. in num. VII. Tab. IV. Fam. Ant. pag. 25.

de Auguratu Atratini non constet, deinde quod suffecti Consules numquam *designati* dicantur in nummis; at vero Antonius passim in nummis legitur *designatus Consul*, & quidem *iterum*, & *tertium*. Ita Havercampus, cui si respondere licet, dicimus de Auguratu Atratini non quidem constare ex Scriptoribus, verum nec aliquid in contrarium haberi. Quis autem omnia, quæ in nummis occurrunt, etiam a Scriptoribus exigat? Porro in nummis Auguratus Atratini legitur. Exhibet Havercampus ipse nummum illum Atratini, quem quinto loco supra descripsimus; in cujus aversa parte dicitur L. ATRATINVS AVGVR PRAEF. CLAS. F. C. Heic autem *Auguris* nomen certe ad ipsum Atratinum adtinet. Quod autem suffecti Consules *designati* non inveniantur dicti in nummis, id inde evenire credi potest, vel quod forte nullus alius Cos. *designatus* præter Atratinum nummos cuderit: vel quod hujusmodi nummi ad nos minime pervenerint. Ceterum, quum designationes multo minores illa Consulari videamus in nummis, mirum esse non debet, si & Consularis occurrit. Passim, [ut alia exempla omittamus], in gente Sempronia, ex qua & Atratinus, *Ti. Sempronius Graccus Quæstor* DESIG*natus* dicitur in nummis apud ipsum Havercampum (*a*): cur non igitur & L. Atratinus COS. DESIG*natus* inscribi potuit? Veremur etiam, ne repetitio illa CO*nSulis* in Antonii inscriptione, prout hanc vir Cl. aptat, negotium Antiquariis facessat. Ex his autem duobus nummis discimus, L. Atratinum anno secundo Præfecturæ ab Antonio designatum fuisse Consulem: ex Dione vero habemus, Kalendis Januariis anni U. C. DCCXX, quibus iniit, deposuisse Consulatum Antonium, sibique suffecisse Atratinum. Hinc, quum per tres annos M. etiam Oppius Præfecturam Classis administrarit, & quidem ante annum U. C. DCCXX, nam in ejus nummis Antonius dicitur *Consul designatus iterum*, & *tertium*, Oppii Præfecturam anteponendam Atratini Præfecturæ diximus. Non tamen post Consulatum, sed ante ipsum, Classis Antonii Præfecturam Atratinus obtinuit; nam anno Præfecturæ *tertio* se *Consulem designatum* inscribit; ac præterea *Antonium* CO*nSulem* DES*ignatum* ITER*um* ET TER*tium* exhibet (*b*); quemadmodum nonnisi ante annum U. C. DCCXX. Antonius ipse fuit.

(a) Tab. I. Fam. Sempron. Thes. Morell.

(b) Num. 5. supra citat. pag. 167.

Sed nec satis adhuc persuasum habeo, quod tradit idem Clariss. Vaillantius de typo nummorum ejusdem Atratini, ubi duæ

duæ figuræ ſtant in curru a quatuor equis marinis tracto. Docet is (*a*), ut triumphum curru invectus Alexandriam Antonius de Armenia armis occupata egerat, in Cleopatræ gratiam, ſic Atratinum Reginæ adulantem maris triumphum ob illam victoriam in nummis exhibere voluiſſe, quaſi Cleopatra ad illud regnum invadendum ſuis navibus, ad exportandos homines, impedimenta, & commeatus plurimum contuliſſet; ideoque Antonium & Cleopatram ſtantes in curru quatuor equorum marinorum ab eo depictos; ſive penes eos maris imperium eſſe ob tot naves, quas ſimul ſuppeditare poſſent, ut volunt alii. Havercampus (*b*) quoque notat, L. Atratinum, quum eſſet claſſi Præfectus, convenientem rebus maritimis typum cudiſſe, ac *Antonium & Cleopatram, tamquam maris Deos in quadrigis marinis depinxiſſe*. Alium præterea eumque Oppii nummum hoc typo inſignitum e Morellio exhibet (*c*), & ab eo dicuntur (*d*) *Antonius & Cleopatra inſiſtentes quadrigis ab equis marinis tractis*. At nobis, quemadmodum in parte nummorum hujuſmodi anteriore Antonium, non quidem cum Cleopatra, ſed cum *Octavia* junctum interpretamur, ita in parte poſteriore *Octaviam* ipſam rurſus cum Antonio conjunctam explicare liceat. Antonio autem hujus generis typum aptarunt, tamquam maris præſidi, cuique ipſi Claſſis Præfecti navarent operam. Hinc ſicut in una, ita in altera nummi parte *Octaviam* uxorem, a qua ſejungi numquam voluiſſent Antonium, exhibuerunt. Ceterum obſervamus, hunc ipſum typum inſculptum olim cum epigraphe L. BIBVLVS M. F. PRAE. *Lucius Bibulus Marci Filius Præfectus*, in duplici latere columnæ roſtratæ, quam Romæ C. Duilio Conſuli poſt devictos mari anno U. C. ccccxciv. Carthaginenſes S. P. Q. R. erexit: unde antiquum maritimi dominii ſymbolum fuiſſe hujuſmodi currum intelligimus.

(a) Pag. 196.

De Typo nummorum Atratinicum duabus figuris vectis ab equis marinis.

(b) Com. in num. 1. Tab. V. Famil. Anton. pag. 26.

(c) Tab. I. gentis Oppiæ litt. D.

(d) Com. in ipſ. pag. 305.

V. Quantum ad nummos C. Fonteji ſpectat, cum Vaillantio convenimus, illum Legatum fuiſſe *Proprætore*, dum (*e*) Antonius Coſ. deſignatus erat iterum, & tertium, hoc eſt ante annum U. C. dccxx. [ita enim inſcribuntur M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. III. VIR. R. P. C. & in altera parte C. FONTEIVS CAPITO PROPR.]: *quando Conſulatus in quadriennium ex fœdere cum Cæſare & Pompejo, pace inter eos in Sicilia*, ſeu potius apud Miſenum (*f*) Campaniæ, *facta compararunt*. At in eo diſſentimus, quod ipſe tum

(e) Pag. 191.

(f) Dio Caſſ. Lib. XLIIX. p. 378. C.

heic, tum in nummis Oppii, & Atratini caput muliebre jugatum, ſive adverſum Antonio contendat eſſe Cleopatræ, nos *Octaviæ*. Neq; tamen in Hiſtoria Ptolemæorum, ubi eoſdem nummos producit, adſertionem ſuam de Cleopatra probat, ſed ad Notas & Obſervationes in Seguini numiſmata Lectorem advocat. Heic autem ſcribit, Romanos (*a*) illo tempore Principes feminas in nummis, etiam ſi illis ſtatuas darent, percutere minime ſolitos, nulloſque hactenus nummos cum *Octaviæ* vultu aut cum M. Antonio inſpectos eſſe; Cleopatræ autem ſine M. Antonii effigie, & cum ipſius capite quotidie Antiquariorum manibus teri; jus enim cudendæ monetæ Regina penes ſe habebat. At, quamvis antea Romani ſoliti non fuerint Principes Feminas, immo & Viros in nummis percutere; ex quo tamen id conceſſum fuit C. Julio Cæſari, plures poſt ejus necem ſibi uſurparunt hoc privilegium. Hinc Brutus, hinc Sex. Pompejus, hinc Triumviri Lepidus, Antonius, & Cæſar videntur in nummis. Quumque hi fere omnia loco ſuo moviſſent, ſuſque deq; ferrent, quis veterem de non cælandis in ære feminis conſuetudinem jure heic objiciat, maxime quum *Octavia duorum Imperatorum*, quibus paſſim cudebantur numiſmata, *alterius conjux*, *alterius ſoror ab omnibus ſuſpiceretur*? Hinc Vir eruditione Illuſtriſsimus Ezechiel Spanhemius (*b*) viro alteri Clariſ. Seguino adſentitur, ut non aliam quam *Octaviam* ſignet expreſſa in Oppii nummo mulieris facies cum junctis fratris Auguſti & mariti Antonii capitibus. Quo inſuper refert *etiam alium ſingularem nummum, quem una apud inluſtrem Matronam Fel. Rondanini inſpeximus*, inquit, *qui hinc caput Auguſti exhibet, illinc juncta M. Antonii & Octaviæ capita*. Quin occurrit in Corcyræ Hiſtoria (*c*) apud Andream Marmoram nummus hinc inſcriptus M. ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΟΚΤΑΒΙΑ, ideſt *Marcus Antonius & Octavia* cum eorum capitibus: illinc ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ ΦΙΛΩΤΑΝ, *Corcyræorum Philotam* cum Navi. Intra Italiam tamen retentum obſervamus, ut ipſius *Octaviæ* nomen in nummis minime inſcriberetur: Cleopatra vero, utpote quæ penes ſe regnum habebat, cum nomine ac diademate ubique apparet, adeo ut ipſi, de quibus contendimus, nummi ex hoc ipſo, quod Cleopatræ nomine careant, ablegari ab ea merito poſſint.

Aliis Vaillantii rationibus ſeu difficultatibus occurritur.

Neque etiam perſuadent, quæ de nummis Oppii ſubdit idem Cl. Vaillantius (*d*), *nummos ſcilicet illos, quos vidit, rei nummariæ*

(a) Pag. 405. edit. Pariſ. an. 1684.

(b) Tom. II. de Præſt. & Uſ. Num. ant. pag. 276.

(c) Libro III. pag. 156.

(d) Pag. 406.

nummariæ peritorum teſtimonio, etſi notam illam Triquetræ præferant, Ægyptiæ ſabricæ eſſe. Sed mutavit ſententiam, eoſq; in Sicilia cuſos eſſe, poſtea docuit. Monitum etiam volumus Lectorem, depingi quidem apud ipſum Vaillantium caput Antonii cum *Diademate* in eo nummo, quem profert (*a*) inſcriptum in una parte M. ANTONIVS IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT; in alia, ubi Bacchus ſtat muliebri habitu ſupra ciſtam, dextra cantharum ſiniſtra thyrſum, hinc & inde ſerpens ſeſe erigit, III VIR. R. P. C; at, quum ex conſimili typo Auguſti cum epigraphe ASIA RECEPTA, hi omnes nummi, ut etiam is notat (*b*), a Communi Aſiæ Provinciæ percuſſi videantur; nemo facile credet, ita deſipuiſſe Aſianos, ut ante annum U. C. DCCXX. Antonium cum regio *Diademate* repræſentarent. Quapropter in deſcriptione ejuſdem nummi *capita* dicuntur *Antonii laureati, & Cleopatræ diademata jugata;* at forſitan nec laurea Antonio convenit, neque heic Cleopatræ capiti locus; ita quippe Cæſarem offendiſſent Aſiani. Neque etiam recte, ſi quid ego judico, pingitur cum *Diademate* in ſequentibus Fonteji, Oppii, Atratini, ac Bibuli nummis caput alterum muliebre jugatum cum illo Antonii, aut adverſum; quippe, ni fallor, *Octaviæ*, quam *Diadema* non decebat, non autem Cleopatræ eſt. Sane nullus inter eos, quos ego quidem plures hujus generis vidi atque tractavi, nummus mihi adhuc occurrit cum *Diademate*. Hoc etiam adnotamus, caput illud muliebre omnino eſſe diverſum ab eo, quod cum nomine Cleopatræ habetur; alterum autem virile, cum illo Antonii in nummo Oppii jugatum, videtur nobis ſaltem, exhibere Cæſarem: neque vero mirum eſſe debet locum nobiliorem, ſiquidem hoc dici poteſt, Antonio Cæſarem ipſum ceſſiſſe, quum id ejuſdem ætati detuliſſe, paſſim videamus.

(a) Pag. 190. Hiſt. Ptol.

Nummi apud Vaillantium non bene depicti.

(b) Pag. 191. Hiſt. Ptol.

Vaillantius (*c*), quo nummos Bibuli Cleopatræ adſereret, obſervat notam in iis Triquetræ haberi, ac præterea legi PROP. SIC., advocatque teſtem Dionem Caſſium, qui Antonium, ſi Vaillantium ipſum audimus, Siciliæ partem poſt Sex. Pompeji ex hac inſula diſceſſum cum Cæſare obtinuiſſe, & huic L. Bibulum præfeciſſe, nos edocet. Quin & ſibi dubium de Triquetra Siciliæ nota, ſeu de Panormi Urbis ſymbolo eoſdem Bibuli nummos ſolvere tradit vir Cl. in nummo Oppii Capitonis, quem ſuſpicabatur ideo Legatum pro Prætore fuiſſe M. Antonii in Sicilia; ſed voces PROP*rætore* SIC*iliæ* hoc ſibi arcanum

(c) In Hiſt. Ptol. pag. 197.

 canum

canum aperuiſſe gratulatur in L. Bibulo. Dionis porro teſtimonium, quod profert, hujuſmodi eſt: *Denique quanta tandem portio Siciliæ eſt noſtri imperii?* inquit Antonius ad milites, prælium apud Actium cum Auguſto initurus. At vero ita habet Dio (*a*): Τὸ δ' ὅλον, πόστην μὲν ἡ Σικελία μερίδα τῆς ἄλλης ἀρχῆς, πόστην δὲ ἡ τοῦ Σέξτου δύναμις τῆς ἡμετέρας παρασκευῆς εἶχεν; *Deniq; quantamnum partem imperii noſtri æquat Sicilia? aut quotæ Sexti vires cum adparatu noſtro?* Ita ut ſenſus orationis ſit, Sextum a Cæſare olim victum, quod Siciliam tantum obtinebat, nec multas habebat vires; ſibi vero nihil timendum, qui vaſtiſſimum tenebat imperium, infinitoque inſtructus erat adparatu. Ea namq; occaſione, uti auctor eſt ipſe Dio (*b*), Antonio regiones Aſiæ continentis, Romanis parentes, Thraciæque, Græcia, Macedonia, Ægyptus, Cyrenaica cum finitimis, inſulæ etiam propinquæ, Regeſq; & Principes fere omnes, quotcumque tunc Antonio parentis imperii Romani fines adtingebant, alii ipſi, alii per ſuos opitulabantur. At vero Sicilia ab eodem Dione inter inſulas recenſetur, quæ Cæſarem adjuvabant, cum Italia, Gallia, Hiſpania, Illyrico, & Africa. Σαρδώ τε, inquit, δὲ Σικελία, καὶ αἱ ἄλλαι νῆσοι αἱ ταῖς εἰρημέναις ἠπείροις προσεχεῖς, συνεμάχησαν. *Sardinia, Sicilia, ac reliquæ Inſulæ prædictis terris continentibus vicinæ* pro Cæſare *ſtabant*. Cauſſas quoq; enarrans idem Dio hujus inter Cæſarem & Antonium belli, inter alias refert, (*c*), accuſatum ab Antonio Cæſarem, quod Lepidum Magiſtratu detruſiſſet, καὶ τὴν χώραν τήν τε δύναμιν τήν τε ἐκείνου, καὶ τὴν τοῦ Σέξτου, κοινὴν σφῶν ὀφείλουσαν εἶναι, ἐσφετέριστο: *Provincias & exercitum tum Lepidi, cum Sexti ſibi vindicaſſet* Cæſar, *quæ debuerant communia ambobus eſſe*. Apud Plutarchum (*d*) quoque accuſat Antonius Cæſarem, πρῶτον μὲν ὅτι Πομπηΐου Σικελίαν ἀφελόμενος, οὐκ ἔνειμε μέρος αὐτῷ τῆς νήσου: *in primis quod extortam Pompejo Siciliam non eſſet ſecum partitus*. Quapropter haud recte cum Plutarcho agere videri poteſt Vaillantius, ubi ipſum Plutarchum, qui cum Dione conſentit, velut ab hoc diſſentientem aberrantemque traducit.

(a) Lib. L. p. 430. D.

(b) Eod. Lib. L. pag. 422. C.

(c) In princ. Lib. L. pag. 419. B.

(d) In Anton.

Nummi Oppii ex Morell. apud Havercamp.

Quum Atratini, Fonteji, & Bibuli nummos jam deſcripſerimus, res poſtulat, ut & illos Oppii, cujus gratia hæc diſſeruimus, deſcribamus. Hos porro exhibet e Morellio Vir Cl. Havercampus (*e*) ejuſdem Oppii nummos, & ita deſcribit.

(e) Tab. I. Fam. Oppiæ ac in Com. pag. 305. & 306.

I M. ANT. IMP. COS. DES. ITER. ET TERT. Caput M. Antonii nudum.

M. OP-

M. OPPIVS CAPITO PROPR. PR. CLAS. F. C. Navis, ſupra quam littera S. eſt, quæ forſitan ſignificat Siciliam.

2 M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. IIIVIR. R. P. C. F. C. Capita jugata M. Antonii & filii Antonii, ſive Antylli ex Fulvia nati; ex adverſo caput Reginæ Cleopatræ eſt. *Eſt etiam apud Vaillant. in Hiſt. Ptol. pag. 193.*

M. OPPIVS CAPITO PROPR. PRAEF. CLASS. Triremis cum velo & navigantibus; infra eſt littera Γ., & Siciliæ ſymbolum, tria crura. Littera Γ. tertium Præfecturæ Oppianæ in Sicilia annum indicat.

3 M. ANT. IMP. TERT. COS. DES. ITER. ET TERT. IIIVIR R. P. C. Capita adverſa M. Antonii & Cleopatræ.

M. OPPIVS CAPITO PROPR. PRAEF. CLASS. F. C. Antonius & Cleopatra inſiſtentes quadrigis ab equis marinis tractis; retro ſunt litteræ HS; ſub equo ara ignita eſt inter litteras ΔI.

4 M. ANT. IMP. COS. DES. IT. ET TER. III. VIR R. P. C. Capita jugata M. Antonii & Cleopatræ.

M. OPPIVS CAPITO PROPR. . . . . Triremis cum velo & remigantibus. Littera A, qua primus præfecturæ annus deſignatur, additur.

5 M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TER. IIIVIR R. P. C. Capita jugata M. Antonii & Cleopatræ.

M. OPPIVS CAPITO PROPR. PRAEF. CLASS. F. C. Navis cum velis & remis, ſubtus littera A, & terrarum globus eſt, quaſi denotans debitum Antonio & Cleopatræ in illas imperium.

6 M. AN. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. III. VIR R. P. C. M. Antonii & Cleopatræ capita adverſa. *Eſt etiam in Theſaur. Gall. Regio apud Vaill. pag. 193. Hiſt. Ptol.*

M. OPPIVS CAPITO PRAEF. C. . . . . . Navis cum littera B.

Conſuli porro vult Havercampus (*a*), quæ conlegit eruditiſſimus Abbas Petrus Seguinus (*b*), ubi primus nummum illum protulit ſine epigraphe, in quo ſunt duo capita virilia jugata, & ex oppoſito caput muliebre: in parte vero poſtica litteræ . . . . ITER PRAEF. . . . . cum Triremi & inferius littera Γ. ac Siciliæ ſigno, tribus nempe cruris. Quum autem exiſtimaſſet Seguinus, nummum hunc pertinere ad pacis conditiones inter Antonium atque Cæſarem cum Sexto Pompejo,

(a) Com. in Tab. II. litt. B. Famil. Anton. pag. 21.

(b) Select. Num. pag. 95. edit. pr., ſive p. 106. ed. ſec.

pejo, *vultumq; muliebrem esse Octaviæ, Sororis Cæsaris, Antonio pro firmæ pacis vinculo conlocatæ*, optimum virum in errorem inductum fuisse subdit Havercampus injuria, quam a tempore & ærugine nummus ejus, utpote æreus, passus fuit: idque itidem contigisse Comiti Mediobarbo, dum ex Indice Polatio, a Josepho Magnavacca composito, profert hanc hujus nummi mentionem: *Capita M. Antonii, C. Cæsaris, Octaviæ jugata . . . . . Navis expansis velis: epigraphe non legitur.* Concinit vir alter Cl., eodem fere tempore scribens, Christianus Sigismundus Liebe (*a*), quippe ait: *Sane in eo* numo, *quem Cl. Seguinus edidit* (*b*), *eumdem* Octaviæ *vultum haud quæsierim, tametsi viri elegantissimi sententia suffragio se illustris viri Ezech. Spanhemii tuetur. Ita enim ille* (*c*): „ OCTAVIA se quoque numo conspiciendam præbet, recenti beneficio rarissimi numi, quem Cl. Seguini industria detexit. Facile enim „ optimo rei antiquariæ promicondo assentior, ut non aliam „ signet expressa mulieris facies cum junctis fratris Augusti & „ mariti Antonii capitibus ". *Quæ quidem omnia*, subdit Liebe, *ut loco suo facile relinquo, ita fieri tamen potest, ut verior sit Vaillantii sententia* (*d*), *qui vultus tres numi illius, quem & in ectypis Morellianis Familiarum Romanarum, perinde ut apud Seguinum extat, delineatum reperio, ad Antonios, patrem ac filium itemque Cleopatram refert.* Nummus itaq; integrior dicitur ab Havercampo omnem litem penitus tollere, & obductam olim tuentibus caliginem ab oculis discutere; ille videlicet, quem in gente Oppia vulgavit Vaillantius, quemque Morellius multo integriorem dedit nitidioremque in Familia Oppia littera C: [est secundus in ordine ex iis, quos modo descripsimus, convenitque cum nostro Pisano]. *Est enim*, inquit Havercampus, *muliebre quidem illud, Cleopatræ caput, --- duo virilia autem, Antonii sunt Triumviri, atque filii Antonii majoris, sive Antylli, ut Vaillantio placet; verum ego malim Cæsarionis, sive Julii, Cleopatræ ex Cæsare filii, quem hoc anno* DCCXX. *adpellavit Regem Regum. Videtur autem eodem tempore cum superioribus cusus esse, anno* U. C. DCCXX. Ita vir Cl., qui postea (*e*) hunc alium describit Oppii nummum: M. ANT. IMP. IT. COS. DESIG. IIIVIR. R. P. C. *Capita adversa M. Antonii & Cleopatræ, retro quod prora cernitur.*)(......... PRAEF. CLASS. F. C. *Triremis Prætoria.* Integram inscriptionem esse subdit: *M. Oppius Capito Proprætore, Præfectus Classi, Fieri Curavit*; ita enim

(a) Thes. Frider. cap. XII. de Selec. num. pag. 403.
(b) Select. num. pag. 106.
(c) Tom. II. pag. 376.
(d) Not. & obser. ad Seguin. p. 405. & seqq.
(e) Tab. XI. Fam. Ant. num. II. & in Com. pag. 30.

enim ex Vaillantii nummo reſarciri debere tradit; qui ad caput legit quoque amplius COS. DESIG. IT., ubi etiam annus alter Præfecturæ Oppii littera B. ſub Triremi notatur. Hinc ſubdit: *Panormi navale habuit Antonius, partem enim Siciliæ poſt expulſum Sextum Pompejum poſſedit ad pugnam uſque Actiacam. Oppius videtur Legatus Proprætore in ea provincia fuiſſe; ejuſdem enim Oppii plures nummi in gratiam Antonii & Cleopatræ cuſi in gente Oppia adparent*. Hæc vir eruditiſs. At nos bona ejuſdem pace, in primis notamus, hujuſmodi nummos non quidem anno U. C. DCCXX, ſed antea cuſos; quippe Antonium exhibent *Conſulem deſignatum iterum*; Kalendis autem Januariis anni U. C. DCCXX. *Conſul iterum* proceſſit Antonius, adeoque *deſignatus iterum* eſſe deſiit. Sed nec ullam Siciliæ partem expulſo Pompejo Antonium poſſediſſe credimus. Præterea, etiam ſi aliquam partem poſſedit, credere non poſſumus, Oppium ſub oculis Cæſaris, qui majorem ſaltem provinciæ partem poſſidebat, Cleopatram cum Antonio, & non potius *Octaviam*, alterius quidem ex provinciæ Imperatoribus ſororem, alterius vero uxorem in nummis exhibuiſſe. Obſervo, nummum hinc ſine epigraphe, præferentem capita jugata Antonii, &, ut Vaillantius vult, Cleopatræ, quorum illud laureatum eſt, inde nomine ANTON. ac leone inſignitum, ab eodem Havercampo deſcribi, ſicq; explicari (a): *Aſt ego, uti ſæpe, ita hic quoque a Cl. Vaillantio diſſentio, &, quam ille credidit Antonii Cleopatram, ego ſuſpicor Octaviam*. Hinc probare nititur hujuſmodi nummum a Lugdunenſibus cuſum in gratiam Antonii & Cæſaris tum, quum maxime illorum floreret amicitia, & exempta rerum naturæ Fulvia, muliere furioſa, *Octaviam* Cæſaris ſororem in matrimonium recepiſſet Antonius. Veniam porro dabit Havercampus, ſi etiam nos in deſcriptis Oppii & aliorum Claſſis, præſertim Siculæ ejuſque provinciæ Præfectorum nummis exhibitam non credimus Cleopatram ſed *Octaviam*, tum, quod aliqui cuſi ſunt, quando maxime Antonii ac Cæſaris florebat amicitia; ceteri vero, quum eamdem amicitiam reſtituere, aut firmare per *Octaviam* univerſus Romanus orbis ſtudebat. Aliqui etiam cuſi apud Siciliam Cæſaris provinciam videntur, ita ut in iis Cleopatra exhiberi nec debuerit, nec potuerit. M. Oppius Capito creditur ab ipſo Havercampo (b) ille fuiſſe, qui ædilitatem plebis ſummo civium ſtudio geſſit, atque mortuus in Campo Martio crematus & ſepultus fuit, ut notat Dio Caſ-

ſius

(a) In Com. ad Tab. IV. nu. VIII. Fam. Anton. pag 25.

(b) Com. in Fam. Oppiam Tab. I. litt. B. pag. 305.

sius (*a*). Videtur autem ei hic M. Oppius Antonii partes amplexus fuisse, atque postea cum pluribus ejus amicis, desperatis ejusdem rebus, ad Cæsarem Octavianum se contulisse. Dum staret a partibus Antonii, *Siciliæ* ab illo & classibus ibidem præfectum fuisse subdit, ut nummi docent, qui *tertium* ejusdem annum ibi exactum commemorant. At ego animadverto, Ædilitatem Oppii ad annum U. C. DCCXVII. aut sequentem referre Dionem, qui scribit (*b*), ἀποθανὼν οὐ πολλῷ ὕστερον, eumdem *paullo post mortuum*. Res itaque desperatas Antonii videre non potuit hic Oppius: &, si is fuit, qui Præfectum egit Classis Siculæ, inter annum U. C. DCCXV. & DCCXVIII. recte nos ejus præfecturam conclusimus. Jure etiam credidimus, in ejus nummis non quidem Cleopatram sed *Octaviam* exhiberi, tum quod recentes essent *Octaviæ* cum Antonio nuptiæ, eamque pacis inter Antonium ac Cæsarem sequestram omnes suspicerent; tum etiam quod sub oculis Cæsaris, cui maxime serviebat Classis Sicula, Cleopatra cum Antonio sine maximo *Octaviæ* dedecore Cæsarisque offensa jungi non potuit. Exhibetur quidem in Morellii apud ipsum Havercampum tabulis caput muliebre, de quo controvertimus, aliquibus in nummis Marci Oppii, sicut & in duobus aliis, quorum unus cusus est ab Atratino (*c*), Diademate regio ornatum: at ego in iis, quos quidem inspexi, numquam Diadema observavi; prout nec conspicitur in ceteris apud ipsum Morellium, aut in Pisano, quem inlustramus.

(a) Lib. XLVIII. pag. 390. A. B.

(b) Ibid.

(c) Tab. IV. Fam. Anton. litt. C. & V. num. I.

Nummi Oppii in Museo Theupolo.

Occurrit in Museo Theupolo (*d*) nummus hinc inscriptus M. ANT. IMP. ITER. COS. DESIG. ITER. ET TER. III. VIR R. P. C. & *capita M. Antonii & Cleopatræ sociata* ibi censentur.

(d) Pag. 7. confer. cum correct. errat. in calce Tom. II.

In alia parte legitur M. OPPIVS CAPITO PROPR. PRAEF. CLASS. & habetur *Navis Prætoria cum velo expanso, cum littera* A. *in imo*. Subjunguntur ibidem nummi Atratini, quos supra (*e*) descripsimus, & in quibus *M. Antonius* dicitur IMP*erator* TER*tium*. Unde constat, Oppium gessisse Præfecturam Classis ante Atratinum, ut diximus. Titulum porro IMP*eratoris* ITER*um*, qui in nummo Oppii legitur, peperit Antonio Ventidius, contra Parthos dimicans (*f*), unde & sibi triumphum Ventidius ipse meruit. Triumphasse legitur in Fastis Capitolinis

P. VENTIDIVS. P. F. PRO. COS. EX. TAVRO. MONTE. ET. PARTHEIS. AN. DCCXV. V. K. DECEM.

(e) Pag. 166. & 167.

(f) Vid. super. pag. 164. & 165.

Annus

Annus Capitolinus DCCXV. eſt Varronianus, quo nos utimur, DCCXVI. Hoc itaque anno, ſeu etiam ſuperiore titulum IMP*eratoris* ITER*um* adquiſivit Antonio Ventidius; atque hoc tempus correſpondet anno *primo*, quem adſignavimus (*a*), Præfecturæ Claſſis Oppii. Eſt etiam alius nummus in eodem percelebri Muſeo Theupolo (*b*), ſed eroſus, in cujus antica parte reſtant litteræ DESIG. TER. ac rurſus *capita adverſa Marci Antonii & Cleopatræ* ibidem adſeruntur. In parte averſa M. OPPIVS CAPITO ..... *Navis cum velo expanſo*. Si recte ſe haberent litteræ partis anticæ, dici deberet, Oppium continuaſſe Præfecturam poſt Kalendas Januarias anni U. C. DCCXX, quibus Antonius iniit ac depoſuit *Conſulatum ſecundum*, & exinde *Coſ. Deſignatus Tertium* audiit: at legendum videtur in nummo DESIG. ITER, ut alii ejuſdem Oppii nummi præferunt.

(a) Pag. 166. 167. 168.

(b) Pag. 7.

Sententia Card. Quirini confirmatur Auctoris opinio.

VI. Præſtat heic noſtram de *Octavia* opinionem Viri purpura ſcientiaque ſplendiſſimi ſuffragio tueri, quin ſententia comprobare. Is eſt Eminentiſs. S. R. E. Card. Angelus Maria Quirinus, qui bono Reip. Chriſtianæ Litterarumq; natus ac vivens, nova quotidie eaque magna edit Religionis ac ſtudiorum monumenta, adeo ut homo eſſe nemo debeat, qui umquam mentionem ejus ſine ejus ſumma laude faciat. In eruditiſſimo itaq; illo Opere, quo *Primordia* (*c*) *Corcyræ* deſcribit & inluſtrat, meminit ejus nummi, in quo M. Antonii & *Octaviæ* icones ſimul conjunguntur, & in averſa parte *Corcyræorum* nomen exprimitur hoc pacto M. ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΟΚΤΑΒΙΑ ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ. Refert Marmora hoc numiſma ad nuptias Antonii cum *Octavia*, quas Corcyræ contigiſſe ſcribit ex Xiphilino in Dionis epitome. At ex Xiphilini textu id minime argui, & præterea adeſſe textum ſatis apertum Plutarchi in Vita M. Antonii de iiſdem nuptiis Romæ firmatis, pariter in Appiano de Bell. Civil. Lib. V., docet Eminentiſs. Purpuratus. Qui & notat, hujus numiſmatis, in Muſeo etiam Fucoltiano exſtantis, haberi diligentem explanationem in Tomo III. libri *Hiſtoire de l'Acad. Royale des Inſcr. & Bel. Let.* pag. 210. & ſeqq., ibiq; Antonium *Galland* recte animadvertere, Corcyræos, non mandante M. Antonio, ſed ſponte ſua eumdem cum *Octavia* cuſo numiſmate honoraſſe; quum probabile ſit Antonium, trajicientem in Græciam, aliquo tempore cum *Octavia* Corcyræ ſubſtitiſſe. At non recte hæſitare quodammodo Cl. Auctorem in adſerendo M. Antonii & *Octaviæ* ad Corcyram acceſſu, ad

(c) Cap. XXIII. p. 191. edit. Brix. an. 1738.

Romanorum morem unice confugientem, qui ex Italia in Græciam trajicientes, ad eam infulam adpellere folebant, fubdit idem Eminentifs.; nam præfto effe poterant eidem manifefta Dionis, præftantiffimi Romanæ Hiftoriæ Scriptoris, teftimonia, quibus ipfe firmius, quam Romanorum confuetudini, inniteretur. Etenim ad calcem libri IIL. hæc habet: Α'μέλει καὶ τὴν Ο'κταουίαν αὐτὴν εὐθὺς ἐκ τῆς Κερκύρας ὁ Α'ντώνιος ἐς τὴν Ι'ταλίαν, ἵνα, δὴ μὴ συγκινδυνεύσῃ οἱ τοῖς Πάρθοις πολεμοῦντι, ἀπέπεμψεν: *Octaviam quidem Antonius ftatim a Corcyra in Italiam remifit, ne fui in Parthico bello periculi confors ei foret*. Et Lib. L. Antonium, ad Italiam curfum intendentem, Corcyram primum advenifse fcribit. Non erat igitur, cur Plutarchi filentium Virum Clarif. dubium redderet de re ex Dione omnino comperta. Dubium etiam fe exhibet Gallandus in adfignanda caufla, cur M. Antonii icon lauro coronata in eo numifmate repræfentetur, & conjecturam fuam profert de victoria, ab eodem fimul cum Augufto adverfus Brutum & Caffium relata. At triumphus Alexandriæ a M. Antonio fumma pompa actus, exiguo tempore antequam Corcyram adiret, & ipfe diligentis Critici obtutum effugere minime debuiffe dicitur ab ampliffimo Cardinali, cujus fententia in rem noftram hæc fequitur. *Verum quidem eft, M. Antonium infenfo animo tunc temporis erga Octaviam fuiffe, quin ipfam repudiaffe; at non propterea a verifimilitudinis fpecie abhorret, Corcyræos, Octaviæ nomini addictiffimos, honores, quibus antea illam afficiebant, integros eidem etiam poft libellum repudii fervaffe. Fuit fortaffe Corcyræis idem fenfus, ac Romanis, qui tefte Plutarcho in Vita M. Antonii indigniffime ferebant, Cleopatram Octaviæ a M. Antonio præferri*, καὶ μᾶλλον οἱ Κλεοπάτραν ἑωρακότες οὔτε κάλλει τῆς Ο'κταβίας, οὔτε ὥρᾳ διαφέρουσαν, *& maxime hi, qui Cleopatram viderant, neque forma, neque ætatis flore Octaviæ præcellentem*. Ita Eminentifs. Purpuratus, cujus fententia, qua a verifimilitudinis fpecie non abhorrere ftatuitur, Corcyræos, etiam quo tempore M. Antonius infenfo animo erga *Octaviam* erat, quin ipfam repudiaverat, honores, quibus antea *Octaviam* ipfam adficiebant, integros eidem etiam poft libellum repudii fervaffe, dubitare non finit, Corcyræos ipfos ac multo magis Siculos *Octaviam* ante libellum repudii, ac quo tempore addictiffimus ei erat Antonius, tum aliis honoribus adfeciffe, tum ipfam cum Antonio cufis numifmatibus honoraffe. Sane Corcyræi inter eos erant (*a*), qui in imperii divifione Antonio

(a) Vid. Dio Lib. XLVIII p. 374. B. & Appian. Lib. V. Bell. Civil. pag. 1126. al. 709.

nio contigerant: at vero Classis Sicula ac dein ipsa Sicilia Cæsari Octavio servivit, paruitque. Si igitur Corcyræi, qui in potestate erant Antonii, etiam, postquam *Octaviam* repudiaverat, seseq; totum Cleopatræ dederat, ipsi adhuc *Octaviæ* nummos cudere, eamque cum Antonio repræsentare potuerunt, inde certo evincitur, Præfectos Proprætoresque Classis Siciliæ, quæ insula Cæsari *Octaviæ* fratri frumentum suppeditabat, aut parebat, nonnisi ipsam *Octaviam* cum Antonio, numquam vero *Cleopatram* in nummis exhibere debuisse, aut potuisse. Ab omni itaque verisimilitudinis specie abhorrere nobis videtur, quod in nummis ab hujusmodi Præfectis Proprætoribusq; cusis Cleopatra, & non potius *Octavia* sit exhibita.

VII. Quod si quis Servium objiciat, ubi ad illud Virgilii (*a*) *quos dives Anagnia pascit*, hæc adnotat: *Dives Anagnia aut fertilis, aut alludit ad historiam. Nam Antonius Augusti sorore contempta, postquam Cleopatram duxit uxorem, monetam ejus nomine in Anagnia civitate jussit fieri*. Servium ipsum quid humani passum heic credimus: nam concors omnis historia testatur, nedum Anagniam, quæ parum Roma distabat, sed & totam Italiam Cæsari paruisse, non Antonio; adeoque fieri non potuisse evincitur, ut Antonius maxime post Augusti sororem contemptam, ductamque Cleopatram, monetam hujus nomine in Anagnia civitate cudi jusserit.

(a) Lib. VII. v. 684.

Respond. Servio.

Objici quoque potest, Oppium, Atratinum, Fontejum, ac Bibulum Antonio navasse operam, quod ex vultu & nomine ipsius Antonii in eorum nummis, tum etiam ex iis, quæ notavimus, quæque notari adhuc possent, suadetur, adeoque vivo ac tenente Siciliam Pompejo, *Præfecturam Classis Siculæ*, atque Propræturam ejus Insulæ obtinere nequaquam potuisse; ibi namque Pompejus imperabat, & Magistratus ac munera distribuebat. Relicta autem a Pompejo eadem insula, partem saltem aliquam ipsius obtinuisse Antonium hinc constat, quod is *Præfectos Proprætoresque* ibi constituit. At respondemus, hujusmodi *Præfecturas* ac *Propræturas* non fuisse terrestres, sed navales, unde *Nauis Prætoria* in nummis Oppii, Atratini, Fonteji, & Bibuli passim occurrit; sed tamen subjici illis Oræ etiam maritimæ potuerunt (*b*). Navalia porro hæc munera contigisse Antonio in divisione imperii, satis indicant *Naves* ipsæ, quæ in ejusdem nummis cum LEG*ionibus* frequentes conspiciuntur (*c*).

Alia objectio.

(b) Vid. sup. pag. 156.

(c) Vid. Thesau. Morell. Fam. R. in Fam. Ant. Tab. 7. 8. 9. & 10. Thes. Theup. 9. & 10

Monumentum, quo turbari videtur superior chronologia.

Restat, ut aliquid de Chronologia addamus. Eum porro in designandis distribuendisque Triumviratus rebus ordinem tenuimus, quem meliora documenta potioresque Scriptores insinuare, nobis visum est. At turbat hunc ordinem Kalendarium ante centum annos effossum in Amiterni ruinis juxta oppidum Sancti Victorini, ac nuper editum (*a*) a Cl. doctissimoque viro Ludovico Antonio Muratorio, quem rursus honoris caussa nomino. In hoc quippe Kalendario, seu parte Kalendarii, continet enim solum sex posteriores anni menses a Julio ad Decembrem, eosque nec integros, ad diem tertiam Septembris hæc leguntur: F. III. NP. FER. ET SVPPLIC. SALVT. OMNIA PVLVINARIA QVORVM EO DIE CAES. DIVI F. VICIT IN SICILIA CENSORINO ET CALVIS. COS. Notatur Victoria Cæsaris Triumviri de Sexto Pompejo in Sicilia relata; nonnisi enim maximas easq; decretorias victorias continet hujusmodi Kalendarium; quod imperante Tiberio scalptum videtur, ejus enim meminit ad diem XIII. ejusdem Septembris, quum cetera spectent ad Jul. Cæsarem & Augustum. Hinc ad diem II. ejusdem mensis legitur: E. IV. NP. FER. EX. S. C. QVED EO DIE IMP. CAES. DIVI F. AVGVSTVS APVD ACTIVM VICIT SE ET TITIO COS. & ad diem IX. Augusti: E. V. NP. FER. Q. E. DIE C. CAES. C. F. PHARSALI DEVICIT. *Censorinus* porro & *Calvisius*, quibus *Coss.* vicisse dicitur *in Sicilia* Augustus, habentur in Fastis Capitolinis ad annum U. C. DCCXIV, seu Varronianum DCCXV. Dio autem Cassius, quem nos sequimur, tum etiam alii Auctores ac monumenta, quorum meminimus, & usi sumus, eam Augusti victoriam in annum U. C. DCCXVII. Capitolinum, qui est Varronianus DCCXVIII., referunt.

(a) Tom. I. novi Thes. Vet. Inscr. pag. CL. Tab. B.

Respondetur propositæ difficultati.

In primis itaq; respondemus, quod, si hujusmodi Kalendario standum est, in ordinem quidem redigi debet chronologia a nobis aliisq; tradita: at vero quoad nummos, de quibus egimus, integra manent, quæ diximus. Neque enim ex Kalendario aliquid desumi potest, quod Cleopatræ potius quam *Octaviæ* nummos ipsos adserat. Quin *Octaviæ* potius quam Cleopatræ Kalendarium ipsum favet. Victoriam quippe Cæsaris de Pompejo ejusq; in *Sicilia* dominium anticipat, atque adeo præcludit omnem aditum, omnemque tollit occasionem *Proprætoribus Siciliæ Præfectisque Classis Siculæ* cudendorum Cleopatræ numis-

numiſmatum: immo eoſdem ſollicitat, tum etiam cogit ad exhibendam in ipſis nummis *Octaviam*. Ceterum tanti non eſt hujuſmodi Kalendarium, ut illud ſolum rejectis aliis monumentis admittere ac ſequi debeamus. Quin, ut ab eo recedamus, poſtulare neceſſitas videtur. Neque enim ſoli ſunt Scriptores, qui ab eodem Kalendario diſſentiunt, uerum etiam diſſentiunt Faſti Capitolini: nam in his victoria Cæſaris *in Sicilia* ad annum U.C. DCCXVII, Varronianum DCCXVIII, cum Scriptoribus refertur. Hujus enim anni *Coſs. L. Gellio L. F. L. N. Poplicola, M. Coccejo M. F. Nerva* in ipſis Faſtis legitur: IMP. CAESAR DIVI F. C. N. II. IIIVIR R. P. C. II. OVANS EX SICILIA A. DCCXVII. IDIB. NOVEMBR. Dicitur II, nempe *iterum ovans*; nam prima ejuſdem *ovatio* recenſetur, ut notavimus (*a*), in iiſdem Faſtis Capitolinis, quando is *pacem cum M. Antonio fecit*. Qua tamen in re diſcordat Suetonius, quippe apud hunc (*b*) Cæſar prima vice *ovans ingreſſus eſt Urbem poſt Philippenſe bellum*. In ſecunda tamen ovatione concordant; nam etiam a Suetonio (*c*) hæc ponitur *poſt Siculum bellum*. Marmor itaq; marmori opponimus & quidem ſtipatum agmine Scriptorum ac rerum, a quibus mire defenditur: ita ut neminem futurum ſperamus, qui nobis, ſi Kalendarium illud non ſequimur hac vice, dicam erroris aut temeritatis impingat. Videndum præterea, utrum hæc marmorea tabula, quæ monente laudato Muratorio (*d*) *in plura fruſta ſciſſa erat*, recte eo loci compacta ſit.

(a) Pag. 164.
(b) In Vit. c. 22.
(c) Ibidem.
(d) In Notis ad eam Tab.



ANIMAD-

ANIMADVERSIO IX.

DE

URBIBUS POPULISQUE NEOCORIS.

Neocori erant Sacri Deorum Ministri.

I.  Rbes Populosq; *Neocoros* consideraturi, prius de voce deque Viris singularibus *Neocoris* aliquid dicemus. Vox itaque Νεωκόρος ex Νεώς Attice pro Ναός, *Templum*, & κορέω, *purgo*, composita est, ac eum significare potest, qui purgando verrendoq; Templo operam suam impendit. Quia tamen κορεῖν est etiam καλλωπίζειν, *adornare*, ὅθεν καὶ Νεωκόρος, (*a*) *inde quoque Neocorus* dicitur. Quin usu receptum (*b*) legimus, ut *Neocorus* ille potius appellaretur, ὁ τὸν νεὼν κοσμῶν καὶ εὐτρεπίζων, ἀλλ' οὐχ ὁ σαρῶν, *qui Templum ornabat instruebatque, quam qui idipsum verrebat*. Æditimus (*c*) apud Latinos vocabatur, h. e., qui ædes servabat, quasi ædis intimus, pro quo postea *æditiuus* appellatus est. Quemadmodum itaque apud ipsos Latinos *Æditui* (*d*) *erant* nedum *Templorum Custodes*, sed etiam *Sacerdotes, dicti ab æde & sacris tuendis*, ita apud Græcos *Neocori*. Hinc Plato ait (*e*), καταστατέον ἱερέας τε καὶ ἱερείας, Νεωκόρους γίγνεσθαι τοῖς Θεοῖς, *constituendi sunt Sacerdotes mares ac feminæ, qui sint Diis Neocori*. In Ægypto Sarapidis *simulacrum* (*f*) *Neocororum turba custodiebat*. His vero præerat unus dignitate conspicuus: adeoq; occurrit (*g*) Marcus Aurelius Asclepiades, qui & Hermodorus, Ο ΠΡΕΣΒΥΤΑΤΟΣ ΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ, *Senior* seu Princeps *Neocororum Magni Sarapidis*, simul & *Pontifex universæ Xysti, per vitam palæstræ Magistri, & Balneorum Augusti Præfectus, Alexandrinus, Hermopolites, Puteolanus, Neapolitanus, & Elejus, Atheniensis Senator*, etc. Apud Daphnen quoque Antiochiæ plures erant *Neocori*, quorum duo memorantur a Theodoreto (*h*), filii cujusdam Sacerdotis; Νεωκόρω γὰρ ἤστην, τὰ βασιλέως ἐδέσματα περιῤῥαίνοντες: *qui, quum essent Neocori, Jmperatoris* Juliani *cibos aqua lustrali adspergebant*. Utrimque etiam ad januas Templi Fortunæ *adstasse*, subdit (*i*), *Neocoros*, εἱστήκεισαν Νεωκόροι περιῤῥαντηρίοις τοὺς εἰσιόντας προκαθαίροντες, ὡς ἐνόμιζον, *qui lustralis* pariter *aquæ adspersione ingressuros purgarent, ut quidem ipsi existimabant*. At hi inferioris classis Neocori, erant vero & superioris ordinis. Hinc non tantum Cassius Eutyches (*k*) ΝΕΩΚΟΡΟΣ

(a) Aristophan. Schol. in Nephel.
(b) Apud Suid.
(c) A. Gell. Noct. Att. Lib. XII. c. 10. ex Varrone.
(d) Vet. Horatii Comm. ad Ep. I. Lib. II.
(e) Libro VI. de Leg.
(f) Jul. Firm. de error. prof. Relig. cap. 14.
(g) Apud Grut. p. CCCXIV. 1.
(h) Lib. III. Hist. Eccl. cap. 14.
(i) Eod. Lib. c. 16.
(k) Apud Reines. Clas. I. num. 199.

ΚΟΡΟΣ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ, *Neocorus Magni Sarapidis*, ſed & Statius Quadratus occurrit (*a*) ΚΡΑΤΙϹΤΟϹ ΝΕΩΚΟΡΟϹ, *Præſtantiſſimus Neocorus*. Cuſum etiam videmus (*b*) nummum Cotyænſium ΕΠΙ ΙΟΥ. ΚΟΔΡΑΤΟΥ ΝΕΩ. ΑΡΧ. *Sub Julio Quadrato Neocoro Summo Sacerdote*, ſeu *Archonte*: alios vero habemus Alexandro Imperatori dedicatos Μ. ΕΥΓΕΝΟΥϹ ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΑΙΓΕΑΙΩΝ, (*c*) a *Marco Eugene Neocoro Ægeænſium*. Lapis quoque nobis exhibet (*d*) Alphenum Arignotum Νεωκόρον τῆς λαμπροτάτης Κυζικηνῶν Μητροπόλεως, *Neocorum ſplendidiſſimæ Cyzicenorum Metropolis*. In alio vero, Smyrnæ reperto legimus (*e*) T. Flavium Oneſimum Paternianum fuiſſe ΝΕΩΚΟΡΟΝ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΘΕΩΝ ΝΕΜΕΣΕΩΝ, *Neocorum Magnarum Dearum Nemeſium*. Præterquamquod Ariſtides ſæpe meminit *Neocori Æſculapii* apud Pergamum. Quin & Romæ *Kal. Feb. Dn. Fl. Valentiniano Aug. III. & Eutropio Conſſ.* (*f*) *dedicata* eſt inſcriptio (*g*) *Vettio Agorio Pontifici Veſtæ, Pontifici Solis, Quindecimviro, Auguri, Tauroboliato, Curiali*, NEOCORO, *Hieroſantæ, Patri Sacrorum*. Ex quibus omnibus ſatis conſtat, *Neocoros* fuiſſe perſonas ſacras Deorumque miniſteriis addictas.

(a) Apud eumd. Cl. I. nu. 290.
(b) Apud Jebb in Coll. Hiſt. Ariſtid. ad an. U. C. 920. nu. 9.
(c) Apud Vaill. in Græc.
(d) Apud Van Dale Diſ. IV. de Neocor. cap. 1. p. 305. ex Smith & Veler.
(e) Inter Mar. Oxon. num. CXVI. pag. 148.
(f) Ann. U. C. 1140. Chr. 387.
(g) Gruter. pag. MCII. 2.

Aliorum de ſignificatione Neocori ſententiæ & primum Goltzii.

II. Neque vero diverſo ſenſu accipiendam eſſe hanc vocem, ubi de Urbibus Populiſque *Neocoris* agitur, ego credo. Antequam tamen id probo, aliorum ſententias exhibere placet. In primis itaq; Vir eruditiſs. Goltzius nummum inluſtrans C. Cæſaris inſcriptum ΙΛΙΩΝ ΒΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Ilienſium*, inquit, (*h*) *novo hominum cœtu ſecundo frequentatorum; vel deductis novis colonis ſecundo frequentatorum*. ΒΙΣ *pro* ΔΙΣ *&* ΚΟΡΟΣ *inter cetera Hominum cœtum ſive multitudinem ſignificat*. Antonio autem Auguſtino Viro Cl. (*i*) ΝΕΩΚΟΡΟΣ idem eſt, quod in Romanis inſcriptionibus ſæpe legitur, *Devotus Numini Majeſtatique ejus*. Numerus vero, qui voci Græcæ adjungitur, annum imperii Imperatoris ex ipſo oſtendit, vel iterum tertiumve cuſum eſſe nummum in ejus Dei Deæve, aut Hominis honorem. At bona ipſius pace annos imperii Imperatoris huiuſmodi numeris minime oſtendi, ex nummis Epheſiorum Macrino cuſis ſatis evincitur; in iis enim inſcribuntur ipſi Epheſii Γ., *ter*, immo ΤΕΤΡΑΚΙΣ, *quater Neocori*; quum tamen Macrinus nonniſi ἐνιαυτῷ τε γὰρ καὶ δύο μησὶ, τριῶν ἡμερῶν δέουσιν ἦρξεν (*k*), *anno uno & duobus menſibus, tribus demptis diebus imperaverit*. Præterea cur annos dumtaxat primos imperii oſtendunt numiſmata, ita ut *quartum* non excedant, ſæpius vero *ſecundum* & *tertium* præferant? Aut cur

(h) Dict. & Inſcript. Græc. interpret. pag. 219. Lib. I.
(i) Dial. V. Antiq. pag. 77. B.
Ant. Auguſtini.
(k) Dio Caſs. Lib. LXXVIII. pag. 905. E.

cur *iterum tertiumve* cuſum nummum in Deorum Dearumve aut Hominum honorem, non ultra ſignant? Quin ſuperioribus temporibus majorem aliquando numerum, quam inferioribus, nummi ejuſdem urbis habent. Seldenus itaque vir & ipſe eruditiſs. ſibi perſuaſum ſatis eſſe ſcribit (*a*), τὰς Νεωκόρους ad Panegyres illas ſeu certamina ſacra, ſive pentaeterica, ſive aliis tempeſtatibus annuis, pro vario ritu, innovata, quæ Provinciarum communium erant, adtinuiſſe; etiam Numinum, quibus ſacra illa dicata, plane Æedituos fuiſſe, curatoreſque & vindices; ipſaſq; urbes, velut ædes ſacras ad Communium nempe ſacra illa peragenda. *Temporum autem notæ, ſeu numeri ſæpius adjecti, non annos*, ab eo putantur, *non agones, continuos, ſignare, ſed tantummodo muneris* τῶν Νεωκόρων *vices continuas; unde fieret, ut intermiſſa prorogatione, alia nimirum ad ædituandum urbe ſuffecta, Cives, qui hoc munere antea bis, ter, quaterve continenter functi eſſent, vices ſuas ſeu prorogationes denuo minime unquam dinumerarent, ſed a prima vice, ſi quando iterum pluries* Νεωκόροι *fierent, ſimiliter, ut primo, redauſpicarentur*. Ita Seldenus, cui tamen adhærere non poſſumus; nam, ſi *Neocori* ad Panegyres ſeu certamina ſacra majora præſertim & pentaeterica, h. e. quinquennalia, aut etiam minora & annua Provinciarum Communium adtinebant; ac numeri ſæpius adjecti ſignant muneris *Neocororum* vices continuas; quomodo eodem imperante Caracalla, qui αὐταρχήσας ἔτη τε ἓξ καὶ μῆνας δύο, καὶ ἡμέρας δύο (*b*), *annos* dumtaxat *ſex, menſes duos, duoſque dies imperium tenuit*, Epheſii, Pergameni, Sardiani, atq; Smyrnæi, & quidem omnes in eadem Aſiæ Proconſularis Provincia, *ter Neocori* ſimul eſſe potuerunt; ſive *Neocororum* munere *ter* ſinguli continenter fungi, immo Epheſii *quater*, bis etiam Cyziceni, *ſemel*que Tralliani? Hoc animadvertit Clariſs. Harduinus, &, ut difficultatem effugeret, hæc ſacra atque certamina nec quinquennalia nec annua facit, quo plura parvo etiam temporis ſpatio concludat. Scribit (*c*) itaque Νεωκόρους dictos primum fuiſſe ſacrarum ædium curatores, quos Latini *Æedituos* appellavere; translatam deinde hanc nomenclationem ad populos civeſque, qui intra ſua mœnia vel fanum alicui Deo, vel Numini, Majeſtatique Auguſtorum erexiſſent, vel ſacra totius Provinciæ communia pro ſalute Principis ibi facerent, vel communia item certamina edi curarent. Hinc ſubjungit: *Atqui ſub eodem Principe non modo ſemel, ſed bis, ter, quaterve, hos ludos,* hæc

Seldeni.

(a) In Notis ad Smyr. Donar. Recenſ. inter marm. Oxon. num. XXVIII. p. 99. & in edit. Lond 1726. Vol. II. p. 1574.

(b) Dio Caſs. Lib. LXXVIII. pag. 891. D.

Harduini.

(c) In num. Popul. ad vocem ΑΒΟΛΛΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Harduin. laudat Jacobus de Vilde in not. ad Selecţ. Numiſmata ſui Muſei, ſc. ad num. ær. 14. Tab. II.

hæc ſacra, hæc certamina, ut ederent, depoſcebant, & eximii honoris loco ducebant. Quare occurrit in nummis δὶς, τρὶς, τετράκις Νεωκόρων. Adhuc tamen nemo facile credet, eodem imperante Caracalla toties hos ludos, hæc ſacra, hæc certamina, & quidem quater ab Epheſiis, quatuordecim menſium, quibus Macrinus (*a*) imperavit, ſpatio edita fuiſſe. Nummum porro ejuſdem Caracallæ inſcriptum ΛΑΟΔ. ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ hoc modo Vir laudatus interpretatur (*b*): *Laodicenſium, qui primi ter Neocori fuere*, hoc eſt, qui Caracallæ principatu omnium primi ex Aſiæ civitatum incolis, in Cæſaris gratiam ludos edi tertium, & ſacra fieri curaverunt, ex Senatuſconſulto ſcilicet, ut præmonuerat. Ita vero interpretatur (*c*) etiam nummum ejuſdem Caracallæ cum inſcriptione ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, nempe *Pergamenorum, qui primi, a tota Provinciæ Communitate delecti, ludos & ſacra fecere tertium in illo tractu, pro ſalute Principis*. Atque ita demum explicat (*d*) nummum Smyrnæorum ſimiliter inſcriptum cuſumque Caracallæ. Quare Laodicenſes, Pergamenos, atq; Smyrnæos ejuſdem Provinciæ, ſeu Aſiæ Proconſularis populos ſimul facit *Primos ter Neocoros*, hoc eſt, qui Caracallæ principatu omnium primi ex Aſiæ civitatum incolis, in Cæſaris gratiam ludos edi tertium, & ſacra fieri curarunt.

(a) Dio Caſs. Lib. LXXVIII. pag. 905. E.

(b) Ad num. Laodic.

(c) In Not. ad numm. Perg.

(d) Not. in num. Smyrn. Caracallæ cuſum.

Sperlingii de Neocoris opinio.

Sperlingius (*e*) vero Vir & ipſe Clar. eſt auctor, Νεωκόρυς Civitates non fuiſſe Æдituos aut Tutores Templorum gentilium, quod hactenus perſuaſum pleriſque ſcribit, ſed totas Civitates Νεωκόρυς appellatas, non ob nullam cauſſam, ſed quod totius civitatis ſumptibus nova Templa poſita ſint Imperatoribus & curata, hoc eſt, Sacerdotibus Auguſtalibus, victimis, ſacrificiis, omnibuſque, quibus Dii colebantur, inſtructa: &, quum bis, vel ter ejuſmodi Templa Auguſtis procuraſſet una eademque civitas, hinc factum tradit, quod δὶς, καὶ τρὶς Νεωκόροι in nummis audiant. Egregie vero facere ad hanc rem ſubdit nummum Caracallæ, apud Dn. de Triſtan. Tom. II. pag. 211., ubi Pergameni τρὶς Νεωκόροι dicuntur, ob tria Templa Caracallæ poſita, vel ſimul, vel per vices. Adſunt illa tria Templa oculis in nummo ſubjecta, in quorum ſuperiore, ſi Sperlingium ipſum audimus, colebatur ut Juppiter, in binis aliis ſub alterius Dei forma: adſcribitur ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΤΡΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΕΠΙ ϹΤΡ. Μ. ΚΑΠΙΤΩΝΟϹ ΑΤΤΑΛΟΥ. Illud itaque Πρώτων, vel explicari poſſe docet, quod *Primi Pergameni*

(e) Diſs. ad num. Tranquill. p. 60. & ſeqq.

fuerint in Myſia Majore; ubi ad Caycum fluvium ſiti, hoc eſt, *Caput totius Provinciæ*; vel quod *Primi* in iſta Provincia Νεωκόροι, qui Templis integris Imperatorem honorarunt; vel etiam quod *Primi* fuerint, qui tria Templa ſimul eidem Imperatori ſtruxerunt. Id, quod fatetur ſibi magis placere, quum ante Caracallæ ætatem in nummis, quos ipſe quidem vidit, ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΟΙ non reperiantur præter Pergamenos; quod exemplum ſecutos eſſe ſcribit Nicomedienſes Bithyniæ in Valeriano & Gallieno & Valeriano Cæſare honorandis, quorum nummum rariſſimum æreum producit Cl. Choul pag. 116; ubi tria Templa poſita ſunt, & adſcriptum ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ; ſed abeſſe ΠΡΩΤΩΝ animadvertit, quod Nicomedienſes non fuerint *Primi* Νεωκόροι, qui tria Templa Imperatoribus ſtatuerunt. Ita quoque Smyrnæi ex ipſo Sperlingio Γ. Νεωκόροι dicti in nummo Gallieni, quod tria Templa erexerint; ſed non πρῶτοι, quod hic honos Pergamenis ſolis deberetur, ideoque τρὶς Νεωκόροι πρῶτοι appellati ſint. Aliud eſſe ſubdit in nummo Gordiani, ubi Seleucienſes Νεωκόροι πρῶτοι dicti ſunt; hoc enim ſignificare tradit, Seleucienſes, Ciliciæ populum, primos omnium, Templi divinos honores Gordiano decreviſſe.

Hæc tamen Clariſs. Sperlingii de voce ΠΡΩΤΩΝ explicatio non ſatis perſuadet: nam, ni nos fallimur, alio *Primorum* titulus, alioque ille *Neocororum*, ſeu *bis*, *terve Neocororum* reſpicit. *Primorum* titulus Primatum (*a*) inter alias civitates ſignificat; ille vero *Neocororum* ad res ſacras pertinet. Obſtant præterea Sperlingio nummi; nam, ſi quos ipſe vidit, favere illi videntur, quos alii conſpexerunt, contra faciunt. Non ſunt itaque ſoli *Pergameni*, qui in nummis Caracallæ inſcribuntur *Primi ter Neocori*; ſunt etiam *Smyrnæi*, qui cum titulo ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ (*b*), *Primorum ter Neocororum* habentur: ac præterea nummum Laodicenſium Harduinus (*c*) deſcribit cum eodem titulo ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Primorum ter Neocororum*. Nequaquam igitur illud ΠΡΩΤΩΝ in nummis Pergamenorum explicari poteſt, quod *Primi* fuerint, qui tria Templa ſimul eidem Imperatori ſtatuerunt.

(a) Vid. de Tit. Primor.

(b) Apud Vaill. in Græc. & Hard. in num. Popp.

(c) Inter num. Popp. ſuo loco.

Examinatur adhuc Sperlingius.

Nunc reliqua Sperlingii videamus. Pergit itaque, & animadvertit vir eruditiſs. ſolos Epheſios Δ. Νεωκόρους adduci in nummo Gallieni, & antea in nummis Antonini & Commodi δὶς Νεωκόρους, & in nummo Licinii Valeriani τρὶς; at in nummo Mamææ ſimpliciter Νεωκόρους dici; quod miratur, quum τρὶς

Νεω-

Νεωκόροι esse possent ætate Mamææ, qui jam tempore Antonini & Commodi *bis* illam dignitatem obtinuerant; ut nondum statuere se posse fateatur, an Civitates δὶς, τρὶς, ϰ τετράκις Νεωκόροι dictæ fuerint ob duo, tria, vel quatuor Templa uni Imperatori posita, an pluribus, ut loquuntur, successive; ita ut Gallienus quartus sit Imperator, cui Templum tamquam Deo erexerint Ephesii; *vel an Imperator sit, cujus honoribus quatuor Templa dicarint; in quam sententiam magis propendet. Nam, si Ephesii*, inquit, *sub Antonino Pio jam* δὶς Νεωκόροι *fuerunt, ut patet ex nummis, cur non sub Commodo ter Neocori, & sub Mamæa quater Neocori fuissent, quibus Templa sua consecrarunt? At, quum Commodo duo Templa, Mamææ unum erexissent, ideo in Commodi nummo* δὶς Νεωκόρυς, *in Mamææ solum* Νεωκόρυς *dictos esse Ephesios, proclive fuerit credere*. Bona tamen ipsius venia non est mihi proclive credere, eo adulationis urbes processisse, tantoq; sumptu gravare se voluisse, ut non unum dumtaxat unicuique Imperatori Templum, sed sæpius bina singulis, multoties terna, aliquando etiam quaterna, ipsis quoque feminis Augustis, aut eorum filiis erexerint atq; curarint, hoc est, Sacerdotibus Augustalibus, victimis, sacrificiis, omnibusque, quibus Dii colebantur, instruxerint. Certe ipse Sperlingius numquam in eam propendisset sententiam, si ob oculos habuisset plurimos illos, qui nunc occurrunt, urbium Νεωκόρων cusos Imperatoribus Augustæque familiæ nummos, eosque numeris δὶς, τρὶς refertos observasset.

Hinc impensas Urbibus minuere volens Antonius Van Dale, *mea fert*, inquit (*a*), *opinio sub uno eodemque Imperatore, vel pluribus una imperantibus Imperatoribus, Urbes, quandoque semel, quandoque bis, quandoque ter, quin & aliquando quater, factas fuisse Neocoras* --, *sive id unico tantum constituto Templo fieret* ---, *sive duobus diversis in uniuscujusque honorem dedicandis*. Si autem Ludi sacri accederent, eo magis sese potuisse ostentare Νεωκόρυς docet; sive Ludi isti anniversarii essent, sive Quinquennales: ob quos Ludos ita iteratos tamen minime de novo fierent Νεωκόροι. Nec putat ludos illos permansisse; sed solum, quamdiu ista adulatio perduraret; aut hisce abolitis ob novos Cæsares eodem tali honore condecorandos, iterum horum jam imperantium bis, semel, aut pluries Νεωκόροι fierent: sive sic horum Augustorum, sive Senatus indultu nova Templa consecrarent: atque ita vel semel, si id unico Augusto, vel pluries,

(a) Differt. IIII. Antiq. cap. 4. pag. 336.

Van Dale.

ries, si id pluribus simul Augustis fieret, evaderent *Neocori*. Exempli gratia, si uni Severo, *semel*, adeoque Νεωκόροι τοῦ Σεβαστοῦ; si Severo ac Juliæ Domnæ, *bis*; si Severo, Juliæ, atque Antonino Caracallæ simul, *ter*; sicque essent τρὶς Νεωκόροι τῶν Σεβαστῶν illorum, quamvis in unico Templo, quod principio soli Severo posuerant, etiam hos ceteros simul post consecrarent. At sæpe plura Templa pluribus, id est, unicuique proprium ædificatum fuisse Templum, subdit Vir eruditiss. Atque hinc putat, Pergamenos tria Templa, vel Caracallæ & Juliæ Domnæ & Getæ, vel Caracallæ & Juliæ Domnæ & Severo, in nummis signasse; Perinthios vero, ut qui id solis Caracallæ & Juliæ Domnæ, vel Caracallæ & Getæ facerent, tantum duo Templa expressisse; simulque ludorum seu certaminum signa & præmia per duas urnas ac palmas, vel & ipsorum Augustorum capita designasse. Ita pervadit per omnes fere Imperatores, aptans illis Urbium Neocorarum nummos, facili quidem juxta sua principia, sed, si quid ego judico, non æque probabili ratione; hoc nempe ordine, ut, quum *Neocoræ* absq; nota sunt Urbes, ad Augustum tum imperantem, vel ad eum eamve, cujus est nummus, titulum hujusmodi referat: quum vero *bis*, *ter*, aut *quater Neocoræ* inscribuntur, tum ad simul imperantes, aut ad alios Augustæ domus sive mares sive feminas referat. Quod si non sufficit Augusta familia, aliunde petit, quos conjungat.
(a) Pag. 343. Notandum itaque subdit (*a*), posthabitas fuisse *Neocorias* præcedentium Augustorum, jam novo imperante; nisi is simul aliquorum ex his rationem haberi voluisset. Hinc docet, sub Elagabalo Ephesios tum simplici vice *Neocoros* fuisse, quum nempe adhuc ipsi soli Templum dedicarent, tum & τρὶς, quin & τετράκις, prout alii aliæve huc adsumerentur, iisque vel tribus, vel quatuor simul unicum, vel singulis contra proprium Templum constitueretur. Etenim sibi probabile esse scribit, sub Elagabalo tandem & Marcum & Severum & Bassianum adsumptos, seu sponte Urbium, seu potius ipsius nutu mandatoque, eo quod ille quam maxime Antoninus haberi vellet; adeoque eos hinc *quater Neocoros* fuisse factos putat: eamdemq; rationem fuisse, cur etiam *Nicæenses* sub eodem *quater* ita *Neocori* facti fuerint; ut ex hac nummi apud Harduinum inscriptione patet: ΝΙΚΑΙΕΩΝ ΤΕΤΡΑΚΙ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Ephesios τετράκις Νεωκόρους *quater Neocoros* factos porro fuisse tradit Alexandri Severi ac trium Antoninorum, Marci, Commodi, & Bassiani; idque ex his Senatus

natus ad Alexandrum post necem Elagabali verbis (*a*) deducere conatur : *Injuriam Marci tu vindica; injuriam Bassiani tu vindica. Pejor Commodo solus Elagabalus, nec Imperator, nec Antoninus* : quamvis animadvertat, ex Antoninorum numero, licet indirecte, Commodum quoq; exclusum. Nec per ipsum obstat, quod Alexander, post multas postulationes frustraneas, non Antoninus, sed *Aurelius Alexander Augustus* sit salutatus. Mox vero inscriptionem (*b*) CMΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑCΙΑC Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, h. e. *Smyrnæorum Primorum Asiæ ter Neocororum*, explicat de ipso Alexandro, Mamæa Matre, ac *Severo*, *cujus*, inquit, *nomen a militibus Alexandro quoque inditum est*; ut a quo ipsum quoq; progenitum volebant. Sed in his, quæ placere fortassis possunt, persuadere non possunt, diutius morari non vacat. Hoc tamen innuere non prætermittimus, in eam virum pereruditum descendisse opinionem, quum illi visum sit (*c*), quod, si exempli gratia *Ephesus sub Nerone prima vice* Νεωκόρος *facta*, *sub Hadriano bis* Neocora *exstitit*, *ac tertia sub Caracalla*, *& si ita procedere debuit*, *jam sub Valeriano decies quinquies ac pluries Neocora esse debuerit*. At hoc minime sequitur, nam Ephesus ita imperante Nerone primum Neocora facta est, iterum imperante Hadriano, tertiumque imperante Caracalla, ut a Nerone ad Hadrianum Neocora prima vice substiterit, ab Hadriano ad Caracallam bis *Neocora*, exinde ter quaterque perduraverit. Neq; vero obstat id, quod Van Dale objicit, Ephesios scilicet, ut exemplum teneamus, postquam sub diversis Principibus se ter Neocoros inscripserunt, post sub aliis aut simpliciter *Neocoros*, aut etiam bis, quin contra quater, non addito ϗ τῆς Ἀρτέμιδος nuncupasse. Populi etenim pluries *Neocori* ad minorem numerum retrahi potuisse, reque ipsa retractos fuisse inferius ostendemus. Van Dale autem in eo consentit cum amplissimo Gisberto Cupero (*d*), quod etiam hic existimavit sub uno eodemque Imperatore unam eamdemque urbem bis, ter, quaterque factam fuisse Neocoram. Quin & Clariss. dignitate ac doctrina Philippus Bonarota (*e*) credit, iteratos multiplicatosque ab una eademque urbe Neocororum titulos concessos fuisse a Senatu & ab Imperatoribus, non quidem successive, ita ut, qui primum alicui urbi datus est, semel illam Neocoram faceret, secundus vero in honorem alterius Imperatoris concessus, iterum Neocoram redderet; sed una eademque concessione, necnon unius ejusdemque festi & Imperatoris

(a) Apud Lampr. in Alex. cap. 7.

(b) Pag. 345.

(c) Pag. 348.

(d) Apud ipsum Van Dale p. 336.

(e) Osservaz. istoriche sopra alcuni Medaglioni antichi pag. 160.

peratoris ratione, urbes factas esse simpliciter *Neocoras*, aut *bis*, *terve* Neocoras, existimat.

Rubenii de Neocoris sententia.

III. Accedimus nunc ad principem in hac re sententiam, quæque ab Alberto Rubenio in eruditissima illa de Urbibus *Neocoris* Diatriba sic exponitur. Ut antea, inquit (*a*), in Asia atque alibi Νεωκόροι Dianæ, Jovis, Neptuni &c. vocari solebant urbes illæ, quæ habebant ædes sacras, ubi Panjonia aliive Gentium Conventus celebrabantur; ita, postquam Templa & Ludi sacri Imperatoribus a communi Provinciæ institui cœpere, Civitates illæ, in quibus Templa Cæsarum, decreto Senatus, exstructa erant, se *Neocoros* Imperatorum appellabant, ob commissam sibi curam Templi & cæremoniarum Cæsaris illius, cujus Νεωκόροι erant: immo etiam publice *numini ejus in perpetuum colendo* se obligabant, ut adparet ex inscriptione Aræ Narbonensis apud Gruterum pag. CCXXIX. Quapropter ad hunc Cæsarum cultum pertinere existimat vir eruditiss. pleraque numismata, in quibus urbes Asiæ, Bithyniæ, Syriæ, ceterarumque Provinciarum se *Neocoros* appellarunt, non adscripto alterius Dei nomine; certe omnia illa post Augusti imperium signata, in quibus numerus ΔΙC, ΤΡΙC, ΤΕΤΡΑΚΙC voci ΝΕΩΚΟΡΩΝ adjicitur. Sed, quum eadem vigente adulatione novi semper honores novis Principibus dandi essent, plura procedente tempore una in urbe Cæsarea exstructa fuisse tradit, a quorum numero Civitates illæ se ΔΙC, ΤΡΙC, ΤΕΤΡΑΚΙC ΝΕΩΚΟΡΟΥC vocabant. Præterea animadvertit Dionem scribere, Saoterum Nicomediensem, qui postea occisus est a Cleandro, magna apud Commodum gratia fuisse: *Καὶ διὰ τοῦτο, καὶ οἱ Νικομηδεῖς καὶ ἀγῶνα ἄγειν, καὶ νεὼν τοῦ Κομμόδου ποιήσασθαι παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβον. Ob quod Senatus Consultum Nicomedienses, qui antea *Neocoros* se inscribebant ob Templum Augustæum illic a Communi Bithyniæ erectum, ut in nummo (*b*) Marci Aurelii & Commodi, tunc titulum ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *bis Neocororum* adsumpsisse observat, ut in alio numismate Commodi, quod duo Templa præfert, & in medio triremem cum inscriptione (*c*) ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Nicomediensium bis Neocororum*. Qui idem titulus iis tribuitur in multis aliis nummis (*d*) Severi & Caracallæ atque etiam Albini: nam male Goltzium existimat legisse ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ Δ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, quum non dubitet scriptum fuisse ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ. [At latere Rubenium non debuit, idem sæpe significare litteram solam Δ, ac ΔΙC; neq; enim litteram ipsam Δ semper

(a) Habetur ejusdem Diatrib. de Neocoris To. XI. Ant. Rom. Grævii pag. 1347.

* *Adeoq; per eum Nicomedienses impetraverunt a Senatu, ut certamina celebrarent, Templumq; Commodo facerent.* Lib. LXXII. pag. 822. D.

(b) Occo fol. 296. Tristanus Tom. I. fol. 747.

(c) Apud Occon. f. 362. & 363.

(d) Apud Occon. f. 385., Stradam fol. 87.

ΤΕΤΡΑ-

ΤΕΤΡΑΚΙϹ, h. e. *quater* significare, necesse est; sed initium est sæpius vocis ΔΙϹ]. Nummos porro Nicomediensium titulo ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ notatos planissimam opinionem suam de *Neocoris* confirmare Rubenius adserit; *exhibent enim plerique duo Templa, ut etiam alii (a) Caracallæ tria Templa cum inscriptione* ΤΡΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Quem tamen titulum deinde intermiserunt*, inquit, *quum Templum Caracallæ (b) imperfectum remanserit, ut suspicor: itaque rursus in Juliæ Mammææ (c) nummis se* ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΟΥϹ *appellant: atq; in pulcherrimo numismate Gordiani, in quo Templum signatum est, ramis frondibusque & eximie adornatum. Sub Valeriano deinde rursus resumpsere Nicomedienses nomen* ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *ut indicant nummi duo apud Occonem (d), quorum unus exhibet aram inter tria Templa, alter aram non habet, sed Templa solummodo*. Ita eruditiss. Rubenius, cui celebriores Antiquarii adhærent, & inter alios adstipulantur, qui de hac re postremo scripsere, (e) Clar. Viri Vaillantius atque Valesius. Proposuerat Vaillantius hanc opinionem in notis ad nummos Græcos (f), inde anno vulgaris epochæ MDCCVI. Dissertationem exaravit, in qua & uberius illam exposuit, & confirmare conatus est. Eodem fere tempore Valesius, cui ignota erat Vaillantii Dissertatio, eamdem opinionem & quidem simillima ratione litteris mandavit.

(a) Apud Erizzum fol. 426.
(b) Occo f. 408.
(c) Apud Trist. To. II. fol. 517.
(d) Occo fol. 566. & fol. 467.
(e) Vaill. Differt. habetur Tom. II. part. II. Memor. Litt. Academiæ Regiæ Inscript. p. 204. Valesii fit mentio Tom. I. Hist. Academiæ Regiæ pag. 75.
(f) Pag. 216.

Examinatur Rubenii opinio.

At, siquidem tantis Viris reponere aliquid nobis licet, animadvertimus, quod, ut vera sit eorum opinio, nullos esse nummos posteriori tempore oporteret, qui minorem numerum *Neocoriarum* haberent, quam ii habent, qui superiori tempore cusi sunt. Animadvertit hoc ipsum Vaillantius, sibique objiciens, aliqui, inquit (g), dicent, occurrere apud auctores nummos, qui, quum Populos *ter Neocoros* jam prætulerint, postea temporis *bis* tantum *Neocoros* exhibent. At vero respondet, inspiciendos esse hujusmodi nummos, quum falli potuerint Auctores, sive quod male eosdem legerint, sive quod inscriptio erosa, aut etiam corrupta his temporibus fuerit. At non meminit vir erud., se quoque hujusmodi nummos descripsisse (h), testatum antea (i), *firmum se in ea sententia perstitisse, nullos ut describeret nummos, quos non ipse suis manibus contrectasset, certum nec falli, nec fallere*. Aliud tamen sibi paravit effugium (k) Cl. ipse Vaillantius, illud nempe Rubenii, quo *suspicatur titulum* ΤΡΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ *Nicomedienses deinde intermisisse, quum Templum Caracallæ imperfectum remanserit*. At, utcumq; de unico

(g) Ead. Differt. pag. 224.
(h) In indice Græcorum.
(i) In eorumd. Præfat. num. III. in fine.
(k) Ibid.

apud

apud Nicomedienses Templo id concederetur, quis hoc de illis apud Sardianos sibi umquam persuadeat? Exhibet itaq; Vaillantius ipse nummos *Sardianorum* imperante Caracalla cusos, cum titulo Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *ter Neocororum*; adnotatque nummos hujusmodi, Sardianos tertiam *Neocoriam* sub Caracalla accepisse, nos docere. Hinc alios in Alexandro, Mamæa, Maximo Cæsare, ac Gordiano Pio exhibet cum epigraphe CAPΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Sardianorum bis Neocororum*. Rursus in Gordiano aliquot describit cum titulo Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *ter Neocororum*; atque heic etiam scribit, *Sardianos tertiam sub Gordiano Neocoriam accepisse*. Adhuc tamen in Otacilia, Philippo juniore, ac Gallieno alios profert inscriptos tantum Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *bis Neocororum*. Demum duos exhibet Saloninæ, Gallieni uxoris, cum epigraphe CAPΔΙΑΝΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Sardianorum ter Neocororum*. Judicet nunc Lector, an probabile sit, Sardianos toties titulum *ter Neocororum* intermisisse, quia totidem apud eos Templa Imperatorum imperfecta remanserint.

Addit Rubenius, nummos Nicomediensium titulo ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *bis Neocororum* notatos planissimam opinionem suam de *Neocoris* confirmare; quum exhibeant plerique duo Templa, ut etiam alii Caracallæ tria Templa cum inscriptione ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ, *ter Neocororum Nicomediensium*. At sunt multo plures tum ipsorum Nicomediensium, tum aliorum Populorum nummi, in quibus *Neocoriarum* numeri cum Templorum numeris non concordant. Nam, quod ad Nicomedienses spectat, præter nummum illum Gordiani, quem Rubenius ipse citat, satius autem omisisset, sunt (*a*) alii ejusdem Gordiani, Caracallæ, Commodi, Severi, Juliæ Domnæ, Getæ, Maximini, Maximi, Philippi & Etruscillæ; in quibus cum titulo ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *bis Neocororum* unicum Templum habetur. Nimius vero essem, si nummos aliarum Urbium describere vellem, qui pariter cum titulo *bis Neocororum* unum solummodo Templum præferunt. Videri possunt apud Vaillantium (*b*), apud quem sunt etiam nummi ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ (*c*), *Ephesiorum bis Neocororum* cum tribus Templis; & ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΩΝ CΕΒΑCΤΩΝ (*d*), *Trallianorum Neocororum Augustorum* cum duobus Templis; quum tamen *Tralliani sub Caracalla* ex eodem Vaillantio *Neocori facti*, ad secundam *Neocoriam* non pervenerint.

IV. Laudati viri clarissimi, aliique, qui *Neocorias* Urbium Templis

(a) Apud Vaill. in Græc.

(b) Ibid.

(c) In Anton. Pio.

(d) In Caracall.

Templis Imperatorum apud ipsos erectis adfigunt, Dionis auctoritate niti sibi videntur. Scribit itaq; Dio Cassius (*a*), Au- *Superior. senten. fundamenta examinantur.*
„ gustum cum alia quædam constituisse, tum Templum Urbi (a) Lib. LI. pag. 453. A.
„ Romæ ac Patri Cæsari, quem Divum Julium nominavit,
„ Ephesi & Nicææ fieri permisisse; [hæ etenim tum urbes
„ Asiæ & Bithyniæ clarissimæ habebantur]; utque ab incolis
„ Romanis coleretur; extraneis autem hominibus, quos Græ-
„ cos ipse appellabat, concessisse, ut sibi quoque Templa fa-
„ cerent, Asiani quidem Pergami, Bithyni vero Nicomediæ.
„ Id, ab hoc initio tractum, reliquorum in honorem Impera-
„ torum non tantum in Græcis Provinciis factum esse, *subdit*
„ *Dio*, sed etiam apud alios omnes populos Romanis subditos.
„ Nam Romæ quidem & in Italia nemo umquam alicujus pre-
„ tii homo id facere ausus est. Quamquam illic quoq; defun-
„ ctis Imperatoribus, qui imperio recte usi erant, cum alii di-
„ vini honores dabantur, tum sacraria tribuebantur. Perga-
„ menis quoque, ut ludos, quos sacros vocabant, in honorem
„ Templi ejus celebrarent, permissum fuisse tradit". Tacitus vero ita scribit (*b*): *decrevere Asiæ urbes Templum Tiberio Matrique ejus ac Senatui; & permissum statuere.* Hinc *Legatos Asiæ ambigentes*, inquit (*c*), *quanam in civitate Templum statueretur*, Tiberius ipse *plures per dies audivit. Undecim urbes certabant pari ambitione, viribus diversæ. Rogati* (*d*) *sententiam Patres, Smyrnæos prætulerunt.* Hæc itaque sunt, quibus nituntur viri illi Clarissimi, ceterique, qui cum eis sentiunt. Sed aut inde infertur, singulas Provincias Templum unicuique Imperatori erigere instituisse; adeoque Urbem aliquam in omnibus Provinciis unoquoque imperante Augusto factam esse Neocoram, seu multiplicasse Neocorias; & hoc modo urbes, quæ occurrunt *Neocoræ*, non sufficient Imperatorum numero: aut dicitur, non omnibus Imperatoribus, sed aliquibus tantum erecta fuisse a Provinciis Templa; & hoc pacto digniores omissos animadvertere poterimus Imperatores; & uni eidemque Imperatori unam eamdemque Provinciam plura statuisse hujus generis templa dignoscemus. Sane imperante Hadriano Cyzicus & Sardis Neocoræ, Smyrna vero & Ephesus *bis Neocoræ* factæ sunt; imperante autem Caracalla urbes illæ priores bis Neocoræ, hæ cum Pergamo *ter Neocoræ* evaserunt; quum etiam Laodicea & Trallis primam *Neocoriam* obtinuerint. Plura itaque Templa in una eademque Provincia, [erant enim omnes

(b) Annal. Libro IV. cap. 15.
(c) Eod. Lib. c. 55.
(d) Cap. 56.

Asiæ Proconsularis urbes], uni eidemq; Imperatori erecta sunt; quin plura duobus illis Imperatoribus quam reliquis omnibus simul, uti nummos conferenti patet, statuta sunt. Illud accedit, quod, quemadmodum in Asia Proconsulari abundant urbes *Neocoræ*, ita in aliis reliquæ Asiæ Provinciis vix inveniuntur. Demum Augustus *Templa (a)* in Provinciis *communi suo Romæque nomine recepit*; quin ei mortuo (*b*) multis in locis fana exstructa sunt a populis partim volentibus, partim invitis: & tamen urbes *Neocoras* paucas habemus, maxime si cum Templis, quæ aliis etiam Imperatoribus erecta sunt, comparentur.

Urbes Neocoræ juxta Auctoris opinionem.

V. Quæ, quum ita sint, nos suspicamur, Urbes *Neocoras* fuisse urbes *sacras*; Urbes vero pluries *Neocoras* eas fuisse, quæ majoribus hac de caussa gauderent privilegiis. Quod ut constet, altius repetenda res est. Notum jam cuique est, Hebræorum Gentem terramque, quam ii colendam obtinuere, sacras Deo Optimo Maximo fuisse. Ex Ægypto igitur in eam terram Hebræi deducti dicuntur a Josepho (*c*), οὓς ὁ Θεὸς ἑαυτῷ Νεωκόρȣς ἦγεν, *ut essent Deo Neocori*. Quumque Nabuchodonosor (*d*) transtulisset omnem Hierusalem in captivitatem, revertentes postea in Judæam Hebræi, πάλιν τὸν αὐτῶν σύμμαχον ἐνεωκόρȣν, *iterum facti sunt Auxiliatori suo Neocori*, teste eodem (*e*) Josepho: erant quippe Deo sacri, eratque ארץ יהוה (*f*), *terra* ipsius *Dei*, quam habitandam susceperant, maxime vero ירושלים הקרושה (*g*), *sancta* erat *Hierusalem*, ut in ejusdem nummis legitur. Hinc & Demetrius Soter Syriæ Rex voluit, ϗ Ἱερȣσαλὴμ ἦτω ἁγία (*h*), *ut* ipsa *Hierusalem esset sancta*, id est ἱερὰ ϗ ἄσυλον (*i*), *sacra & inviolabilis*; & Antiochus Evergetes ejusdem Syriæ Rex similiter decrevit, *Hierusalem (k) sanctam esse & liberam*. Tyro etiam, exemplo fortassis Hierusalem, eumdem concessit honorem; nam occurrunt ejus nummi (*l*) cum epigraphe ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥ., *Tyri sacræ & asyli*, h. e. *inviolabilis*. Hinc legimus (*m*), Demetrium Antiochi fratrem & in regno successorem, quum victus ab Alexandro Zebina, undique circumstantibus malis premeretur, ad postremum etiam ab Uxore filiisque desertus esset, relictum cum paucis servulis, *Tyrum religione Templi se defensurum petiisse*. Nec multo post comparet in nummis (*n*) etiam *Antiochia Ptolemaidis* cum titulo ΙΕΡΑΣ ΑΣΥΛΟΥ, *Sacræ & Asyli*. Creverunt in eadem regione Urbes sacræ, adeoque in nummis, Imperatorum Romanorum tempore cusis, passim occurrunt (*o*) cum hoc titulo Antiochenses

(a) Suet. in Aug. cap. 52. & 59.
(b) Dio Cass. Lib. LVI. pag. 600. B.
(c) Libro V. de Bell. cap. 9. al. 11.
(d) Lib. IV. Reg. cap. XXIV. v. 14.
(e) Ibid.
(f) Hos. IX. 3.
(g) In Siclis.
(h) Lib. I. Machab. c. 10. v. 31.
(i) Joseph. Lib. XIII. Antiq. c. 5. nunc 2.
(k) Lib. I. Mach. cap. XV. 7.
(l) Apud Vaill. in Hist. Reg. Syr. pag. 304.
(m) Apud Justin. Libro XXXIX. cap. 1.
(n) Apud Spanh. Diss. IX. de Præst. p. 587. Est etiam numm. Laodicensium cum tit. Sacræ in Antiocho Grypo ab Havercampo edendus.
(o) Apud Hardu. in num. Populor. Spanhem. eadem Diss. IX. num. V. & Vaill. in Græc.

ſes ad Daphnen & ad Hippum; item Apamea, Arethuſa, Byblus, Dora, Damaſcus, Cæſarea, Capitolias, Laodicea, Samoſata, Seleucia, Tripolis, ac Tyana. *Sacram* porro Urbem eamdem fuiſſe cum *Neocora* arguimus, quod legitur ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΙΕΡ. ΚΑΙ. ΑΣΥ. ΥΠ. ΠΑΝΕΙΩ (*a*): *Cæſarea Auguſta Sacra & Aſylum ſub Panio*; tum ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΝΕΩΚΟΡ. (*b*), *Cæſarea Auguſta Neocora*; ſeu ΚΕΙΣΑΡΕΩΝ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ (*c*), *Cæſarienſium Philippopolitarum Neocororum*. Dicta nempe eſt *Cæſarea Philippi*, quod φίλιππος ὁ Πανεάδα, τὴν πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ Ἰορδάνου κατασκευάσας; ὀνομάζει Καισάρειαν, (*d*) *Philippus* Tetrarcha, Herodis filius, *quum Paneadem ad Jordanis fontes conſtruxiſſet, Cæſaream appellavit*. Exhibentur quoque nummi Laodiceæ inſcripti (*e*) ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Laodicenſium ſacræ & ſuis legibus utentis*; ac ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΠΡ. ΣΥΡΙΑΣ, *Laodicenſium Neocororum Primorum Syriæ*. Ita quoque in Aſia Proconſulari ſunt nummi ΕΦΕΣΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ (*f*), *Epheſiorum* urbis *ſacræ & ſuis legibus utentis*; paſſim vero ΕΦΕΣΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, (*g*) *Epheſii Neocori* dicuntur. Sacra itaque, ſeu *Neocora* erat Epheſus, quod οἱ Ἐφέσιοι πολιορκεόμενοι ὑπὸ Κροίσου, ἀνέθεσαν τὴν πόλιν τῇ Ἀρτέμιδι, ἐξάψαντες ἐκ τοῦ νηοῦ σχοινίον ἐς τὸ τεῖχος (*h*), *obſeſſi a Crœſo Epheſii urbem Dianæ conſecrarunt, fune ex ejus æde ad murum adligato*. Hinc Paulli Apoſtoli tempore, Scriba Epheſiorum in publico Aſiæ conventu exclamans ait (*i*): τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος, ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν Νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος; *Quis eſt hominum, qui neſciat Epheſiorum civitatem Neocoram*, i. e. ſacram, ſive, ut vertit Interpres Sacrorum Actuum, *cultricem eſſe Magnæ Dianæ?* Nec aliter *Hierocæſarea*, ſacra nempe Cæſarea dicta eſt, quam quod *Perſicam* (*k*) *apud ſe Dianam* ejuſque *delubrum Rege Cyro dedicatum* haberet. Hinc Tiberio Imp. a Legatis *memorabantur* (*l*) *Perpernæ, Iſaurici, multaque alia Imperatorum nomina, qui non modo Templo, ſed duobus millibus paſſuum eamdem ſanctitatem tribuerant*. Magnetes quoque ad Mæandrum ſe ΝΕΩΚΟΡΟΥΣ ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ (*m*), *Neocoros Dianæ* inſcribunt: quum & ipſi Λευκοφρύνην Ἄρτεμιν ἄγουσιν ἐν τιμῇ (*n*), *Leucophryenen* Dianam *colerent*; & L. Scipio ac L. Sulla eos decoraſſent, uti ejuſdem *Dianæ* (*o*) *Leucophryenæ perfugium inviolabile foret*. Videmus etiam ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑΣΥΛΟΝ ΙΕΡΟΝ (*p*), *Pergæorum Neocororum inviolabile Templum*, ratione ſcilicet ΠΕΡΓΑΙΑΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ (*q*),

(a) Apud Haduin. & Vaillantium.
(b) Spanhem. ad Cæſ. Juliani p. 30. Edit. Amſtelod. an. 1728.
(c) Apud Occon.
(d) Joſeph. Libr. XVIII. Ant. c. 3. nunc 2. & de Bel. Lib. II. c. 8. nunc c. 9. Edit. 1725.
(e) Apud Spanh. Differ. IX. p. 582. & apud Vaill. in Græc. Caracallæ.
(f) Apud Hardu. in num. Populor.
(g) Apud eumd. ibid. & Vaillant. in Græc.
(h) Herodot. Lib. I. cap. 26.
(i) Act. Apoſtol. cap. XIX. v. 35.
(k) Tacit. Lib. III. Annal. cap. 62.
(l) Id. ibid.
(m) Numm. apud Hardu. & Vaill.
(n) Pauſan. in Attic. cap. 26.
(o) Tacit. ut ſup.
(p) Apud Spanh. & Harduinum in num. ant. Pop.
(q) Gord. Pii apud Hard. & Vaillan.

Pergææ Dianæ, ut fert alius nummus. Pone enim Pergam in ſublimi loco τὸ τῆς Περγαίας Ἀρτέμιδος ἱερόν (*a*), *Templum* erat *Dianæ Pergææ*, ad quod ſingulis annis ſacer erat conventus; & hoc *Fanum antiquiſſimum & ſanctiſſimum* erat ex (*b*) Cicerone. Smyrnæi (*c*) vero & Tralliani ΝΕΩΚΟΡΟΙ CΕΒΑCΤΩΝ *Neocori Auguſtorum* dicuntur; quippe apud ipſos Augusti cultum obtinebant; quod de Smyrnæis palam eſt etiam ex Tacito paullo ante (*d*) laudato. Quin Epheſii Auguſtorum quoque Neocori, & non tantum Dianæ fuerunt; ita quippe alicubi inſcribuntur ΕΦΕΣΙΩΝ ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΑΙ ΤΗC ΑΡΤΕΜΙΔΟC, (*e*) *Epheſiorum ter Neocororum ac Dianæ*; & alibi (*f*) Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΕΦΕΣΙΩΝ, *bis Neocororum Auguſtorum Epheſiorum*. Quum autem æque aliorum ac Dianæ *Neocori* dicantur, & Dianæ *Neocori* eo, quod eidem *ſacri* fuerint, nuncupentur, adhuc magis conſtat, Urbes Populoſque, quia erant Urbes Populique ſacri, *Neocoros* dictos fuiſſe.

(a) Strabo Libro XIV.
(b) In Verrem I. cap. 20.
(c) In Nummis.
(d) Pag. 201. Vid. Marm. Oxon pag. 277. & 296. & Sponii Itiner. Tom. I. pag. 401.
(e) Apud Hardu. & Vaill. in num. Caracal. & Getæ.
(f) Theſ. Inſcr. Murator. Tom. I. P. CLXXXIV. 1

Ordo conſecrandi Urbes.

VI. Juvabit heic ordinem conſecrandi Urbes referre, exemplo a Tejis ſumpto. Quum itaque Urbem ac regionem Baccho Teji (*g*) conſecrare decreviſſent, Legatos ea de re miſerunt ad Iſtronios; qui ab his impenſiſſima cura ſtudioque contenderent, τὰν καθιέρωσιν τῷ Διονύσῳ, τᾶς τε πόλιος ϗ τᾶς χώρας τᾶς Τηίων ϗ τὰν ἀσυλίαν (*h*), *de permittenda tum Urbis tum Regionis Tejorum Baccho conſecratione & jure Aſyli*. Quibus Iſtronii in hæc verba reſponderunt: τάν τε καθιέρωσιν τῷ Διονύσῳ τᾶς τε πόλιος ϗ τᾶς χώρας ὑμῶν, ἔτι δὲ ἱερὰν ϗ ἄσυλον εἶναι δίδομεν (*i*), *conſecrari Baccho tum urbem tum regionem veſtram, & ſacram haberi & inviolatam concedimus*. Quum etiam ad Saxios Legati Tejorum veniſſent, in concionem introducti (*k*), decretum reddidere, deque facienda urbis ac regionis Baccho conſecratione omni cura atque ſtudio diſſeruere, tum etiam de Aſylo: & hæc a Saxiis obtinuerunt. Facta vero conſecratione, iterum Legatos huc atq; illuc miſerunt, qui confirmari curarent conſecrationem, peterentque privilegia. Hinc Ætoli reſponderunt (*l*): ὑπαρχεῖν δὲ αὐτοῖς παρὰ τῶν Αἰτωλῶν τᾶς τε πόλιος ϗ τᾶς χώρας τὰν ἀνιέρωσιν ϗ ἀσυλίαν, *ratam eſſe ab ipſis & urbis & regionis illorum conſecrationem & jus Aſyli*, uti Legati poſtulabant. Eleuthernæi quoque (*m*) omnia veneranda & honorifica Baccho & Tejis conceſſere, urbemque eorum ac regionem ſacram & inviolatam declararunt; & majora etiam promiſerunt, quæ alii conceſſiſſe leguntur. Saxii (*n*) enim & Rhaucii (*o*) Legatis inſuper

(g) An. ante Chr. 193.
(h) Monum. Teja apud Chishull pagin. 111.
(i) Pag. 112.
(k) Pag. 115.
(l) Pag. 105.
(m) Pag. 108.
(n) Pag. 115.
(o) Pag. 117.

ſuper eos rogantibus, ut ἰσοπολιτείαν ϗ ἔκτησιν γᾶς ϗ οἰκίας ϗ ἀτέλειαν, *communitatem civitatis, poſſeſſionemque terræ & domicilii, quin & immunitatem* concederent, obſecuti ſunt. Rogati quoque Romani, tale reſponſum dedere (*a*): Κρίνομεν εἶναι τὴν πόλιν ϗ τὴν χώραν ἱερὰν, καθὼς ϗ νῦν ἐστιν ϗ ἄσυλον, ϗ ἀφορολόγητον ἀπὸ τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαίων: *Urbem veſtram & regionem ſacram, ut & nunc eſt, decernimus habendam, inſpoliatam etiam, & ratione Populi Romani a tributo immunem.* „ Porro conabimur adaugere tum „ honorem erga Deum, tum humanitatis erga vos officia; „ ita ſi & vos etiam in poſterum benevolentiam erga nos ſervaveritis “. Hæc de Tejorum conſecratione, in quibus animadvertere præſtat, plures a Tejis requiſitos, qui eam ratam haberent, inviolataſque confirmarent urbem & regionem, ex quo factæ ſunt Baccho ſacræ: inde vero conceſſam cum aliis indulgentiis immunitatem; alia demum reſervata, quibus & honoris erga Deum officia, & humanitatis erga populum adaugerentur. Ipſe Deus Optimus Maximus, ex quo Hieruſalem ſanctificavit, beneficiis cumulare urbem illam non deſtitit. Demetrius quoq; Soter Syriæ Rex, ubi illam declaravit ſacram, ſcripſit (*b*): ϗ νῦν ἀπολύω ὑμᾶς ϗ ἀφίημι ὑμῖν πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἀπὸ τῶν φόρων. Καὶ (*c*) Ἱερουσαλὴμ ἤτω — ἀφειμένη, ϗ τὰ ὅρια αὐτῆς, αἱ δεκάται, ϗ τὰ τέλη: *abſolvere ſe Judæos omnes a tributis, & Hieruſalem liberam eſſe cum finibus ſuis, & decimas & tributa ipſius eſſe.* Quæ omnia confirmavit (*d*) ejus filius, Antiochus Evergetes. Delphos etiam ob ſanctitatem Templi αὐτονόμους ϗ αὐτοτελεῖς, ϗ αὐτοδίκους (*e*), *ſuis legibus, ſuis vectigalibus, ſuiſque judiciis*, Athenienſium ac Lacedæmoniorum decreto relictos legimus.

(a) Pag. 103. 104.
(b) Libro I. Machab. cap. X. v. 29.
(c) Ibid. v. 31.
(d) Lib. I. Mach. cap. XV. v. 5.
(e) Thucyd. Lib. V. cap. 18.

Urbes bis terve Neocoræ quæ.

VII. Hinc elucet, ordinem quemdam fuiſſe privilegiorum Urbibus ſacris ſeu *Neocoris* augendorum; indeque deducimus, urbes, quæ majori ſacrorum pompa majoribuſque fruebantur privilegiis, inſignioris ordinis exſtitiſſe, ac forte *bis, terve Neocoras* inde dictas. Cultum igitur ſacrorum celebriorem præſtantiores quoque ſequebantur honores, parique gradu utriq; procedebant. Primi ordinis ſacris ſeu *Neocoris* urbibus conceſſum inter alia privilegia *Aſylum* credimus; hoc enim conjunctum cum ipſa conſecratione videmus, eamque conſequi par erat. *Ea* (*f*) autem *religione & eo jure ſancto, quo ſunt Templa, Aſyla Græci appellant.* Hinc Seleucus Callinicus Syriæ Rex ſancivit, non modo Fanum Veneris Stratonicidis, quod erat Smyrnæ, *aſylum fore* (*g*): ἄσυλον εἶναι, ϗ τὴν πόλιν ἱερὰν ϗ ἄσυλον:

(f) Livius Libro XXXV. cap. 6.
(g) Marm. Oxon. I. pag. 5.

ſed & Urbem ipſam ſacram & Aſylum. Secundi ejuſque majoris ordinis *Neocoras* urbes eas fuiſſe opinamur, quæ & majori pompa Deos aut Imperatores colebant, & inſignioribus gaudebant privilegiis. Inter hæc autem eluceſcere nobis videtur *Immunitas*; hanc enim Aſylo ſuperadditam, nec continuo Urbibus *Neocoris* conceſſam animadvertimus. Porro præter ea, quæ de Hieroſolymis Tejoque adducta ſunt, legimus (*a*), Imperatorem Claudium retuliſſe ad Senatum *de immunitate Cois tribuenda; precibuſque ejus dandum* dixiſſe, *ut omni tributo vacui in poſterum Coi, ſacram & tanti Dei*, Æſculapii ſcilicet, *Miniſtram inſulam colerent*. Sacram & *Miniſtram* vocavit, quam Græci appellaſſent Νεωκόρον, *Neocoram*. Smyrnæi vero inter ea, quibus facti ſunt *bis Neocori*, ita perſpicue *Immunitatem* recenſent (*b*): Καὶ ὅσα ἐπετύχομεν παρὰ τȣ̃ Κυρίȣ Καίσαρος Ἀδριανȣ̃ διὰ Ἀντωνίȣ Πολέμωνος, ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΔΩΓΜΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ, ΚΑΘ Ο ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΙ ΓΕΓΟΝΑΜΕΝ, ΑΓΩΝΑ ΙΕΡΟΝ, ΑΤΕΛΕΙΑΝ, ΘΕΟΛΟΓΟΥΣ, ΥΜΝΩΔΟΥΣ. *Et quæ accepimus a Domino Cæſare Hadriano per Antonium Polemonem, ſecundum Senatus Conſultum, quo bis Neocori facti ſumus, Certamen ſacrum, Immunitatem, Theologos, Hymnorum Cantores*. Sacrorum itaque Miniſtrorum numero, feſtorumque pompa aucti Smyrnæi, ac præterea *Immunitate* donati, *bis Neocori* evaſerunt. Hinc *ter quaterve Neocoras* urbes eas fuiſſe credimus, quæ adhuc majori pompa ſacrorum, potioribuſque decoratæ erant privilegiis. Notamus enim, Antiochum Evergetem, ubi *Hieruſalem* (*c*) *ſanctam & liberam* declaravit, *ſtatuitque ei omnes oblationes, quas remiſerant ei ante illum omnes Reges, & quæcumque alia dona remiſerant ei*, hæc addidiſſe: *Quum autem obtinuerimus regnum noſtrum*, δοξάσομεν τὸ ἱερὸν δόξῃ μεγάλῃ, *glorificabimus Templum gloria magna, ita ut manifeſtetur gloria veſtra in univerſa terra*. Eleuthernæi quoque, quo tempore veneranda & honorifica Baccho & Tejis conceſſere, urbemque ipſorum ac regionem ſacram & inviolatam declararunt, in majus etiam hæc provehere ſe conaturos eſſe (*d*) ſpoponderunt: quod & Saxii (*e*), Rhauciique (*f*) fecerunt. Similiter Romani (*g*), adaucturos ſe tum honorem erga Deum, tum humanitatis erga Tejos officia promiſerunt.

(a) Apud Tacit. Lib. XII. Annal. cap. 61.

(b) Inter Marmor. Oxonienſ. Num. XXVIII. P. 93.

(c) Lib. I. Mach. cap. XV. v. 5. 7. & 9.

(d) Monum. Teja pag. 108.

(e) Ibid. pag. 115.

(f) Pag. 117.

(g) Pag. 104.

Quomodo Urbes, quæ prius erant bis ter quaterve Neocoræ, poſtea ſint ad minorem numerum redactæ.

VIII. Hinc porro explicamus, quomodo urbes, quæ prius *ter quaterve Neocoræ* inſcribebantur, poſterius minori numero *Neocoræ* dicantur. Fieri itaq; potuit, ut effuſus nimis graviſque urbibus cultus Numinum & inde etiam privilegia minuerentur;

vel

vel hæc aliunde demererentur urbes. Sane imperante Tiberio, quum *crebefceret (a) Græcas per urbes licentia atque impunitas Afyla ftatuendi, facta (b) funt Senatus Confulta, quis multo cum honore, modus tamen præfcribebatur. Objecta (c) vero publice Cyzicenis incuria cæremoniarum Divi Augufti, amifere libertatem.* Nec vero mirum, fi plures urbes imperante Hadriano *bis Neocoræ*, imperante autem Caracalla *ter Neocoræ* evaferunt; hi enim Principes in honorandis urbibus indulgentiores fuerunt. Macrinus vero, qui Caracallæ fucceffit, Pergamenos iis (*d*), quæ ab ipfo Caracalla acceperant, fpoliavit: adeoque *ter Neocori*, prout a Caracalla facti erant, Macrino imperante minime comparent. Duas porro obfervo urbes, quæ fe modo majori, modo minori numero Neocoras infcribunt, Ephefum atq; Sardes. Quod ad Ephefum pertinet, contendunt plurimi cum Vaillantio (*e*), modo *ter* infcribi, quando ΣΕΒΑΣΤΩΝ, i. e. *Auguftorum* tantum fe *Neocoram* appellat; modo *quater*, quando fe etiam Artemidis *Neocoram* nominat; unde illius infcriptio: (*f*) ΕΦΕCΙΩΝ ΜΟΝΩΝ ΑΠΑCΩΝ ΤΕΤΡΑΚΙ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Ephefiorum, qui foli omnium quater Neocori*. Si tamen *quater Neocori* præter Dianæ Neocoriam aliquando fuerunt Ephefii, imminuta eis poftea privilegia dici debent: quod procul dubio Sardianis accidit, qui, quum propenfiorem habuerint Caracallam, ita ut *bis terq, Neocori* ab eo facti, primifq; in Afia urbibus æquati fuerint, ad fecundam *Neocoriam* retracti poftea videntur; &, quamvis iterum *ter* Neocori evaferint, iterum tamen in priftinum ordinem funt redacti: donec tertium *ter Neocori* imperante Gallieno ftatuti funt. Defcribit Harduinus nummum (*g*) *Laodicenfium*, Caracallæ cufum cum titulo Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *ter Neocororum*, quum tamen Laodicenfes nonnifi fimpliciter *Neocori* alibi occurrant. Quin & nummum Elagabali promit (*h*) infcriptum ΝΙΚΑΙΕΩΝ ΤΕΤΡΑΚΙ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Nicæenfium quater Neocororum*; & adhuc alium Crifpinæ Commodi uxoris ita defcribit (*i*) ex Occone pag. 334. ΙΕΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ Δ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Hieropolitarum quater Neocororum*, & ad *Hierapolitas* Phrygiæ refert; quamvis jam fcripfiffet (*k*), *ante Caracallam*, qui fuit Commodo pofterior, *nulli Civitati in Afia propria*, ubi & Phrygia, *eum honorem obtigiffe*, ut effet *quater Neocora*. At, præterquam quod littera Δ in hoc Hierapolitarum nummo pro initiali ΔΙΣ, qua *bis* indicatur, accipi poteft, ac forte debet, ut in aliis pluribus, Hierapolitæ, quin & Nicæenfes non folum

(a) Tacit. Lib. III. Annal. cap. 60.
(b) Ibid.
(c) Ibid.
(d) Dio Cafs. Lib. LXXVIII. pag. 897. C.
(e) In Græc. pag 218.
(f) Num. Elagab. apud eumd. pag. 127.
(g) In Num. Pop.
(h) Ibid.
(i) Pag. 71. col. 2. in fine.
(k) Pag. 59.

ſolum *bis*, *terve*, *quaterve Neocori* nullis aliis in nummis, quos ego ſciam, inveniuntur, ſed nec prima vice *Neocori* ullibi occurrunt: adeoq; nummos illos pro ſuſpectis habere quis poterit. Quod ſi vere exſtant, probique ſunt, dicendum eſt, privilegia & ſacra, quæ conſtituendis pluries *Neocoris* Urbibus, quæq; ſeparatim concedi ſolebant, ſimul illos accepiſſe, ſimulque etiam amiſiſſe; ſi præter id tempus, quo eos nummos cuderunt, non fuerunt *Neocori*. Omittere tamen in nummis aliiſq; monumentis potuerunt hunc titulum; at perpetuo omiſſum nemo facile credet: ſicut nec facile ſibi quiſquam perſuadebit, his Urbibus id omne ſimul conceſſum, quod reliquis vix longo tempore datum.

Senatus Romanus decernebat Neocorias.


IX. Notari porro mecum velim & animadverti id, quod de Smyrnæis ex Marmore Oxonienſi paullo ante deſcripſi, eos ſc. fateri factos ſe ab Hadriano *bis*, ſeu *iterum Neocoros altero* ſive *ſecundo Senatus Conſulto*; inde enim infertur, Decretis Senatus Romani deferri ſolitas fuiſſe *Nocorias*, & ita quidem, ni ego fallor, ut *primo Decreto prima Neocoria*, *ſecundo ſecunda*, *tertioque tertia*, & ſic ceteræ, ſi quæ fuerunt, deferri conſueverint. Quapropter in aliis lapidibus (*a*) inſcribitur Γ., ſive ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΣ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΑ ΔΟΓΜΑΤΑ ΤΗΣ ΙΕΡΩΤΑΤΗΣ ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ --- ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΟΛΙΣ, *Ter Neocora Auguſtorum juxta Conſulta*, ſeu *Decreta Sacratiſſimi Senatus --- Smyrnæorum Civitas*. Eſt etiam nummus (*b*) *Laodicenſium* ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΔΟΓΜΑΤΙ CΥΓΚΛΗΤΟΥ, *Neocororum Decreto Senatus*. Hinc arguimus, *Neocoriam*, quum a Senatu deferretur, non fuiſſe rem mere ſacram, quæq; tantum expenſas & honorem adferret; ita enim a Conlegio Pontificum & ab ipſis Urbibus Populiſq; procedere potuiſſet. Quare diximus, in Neocoriis fuiſſe etiam privilegia civilia; quod conſtat de *Immunitate* Smyrnæis cum *ſecunda Neocoria* a Senatu conceſſa: & Cyziceni propter *incuriam cæremoniarum Divi Auguſti* (*c*) *amiſere libertatem*. Notavimus etiam (*d*), *facta* fuiſſe *Senatus Conſulta*, quibus præſcribebatur modus *Aſylis*, quum *crebeſceret Græcas per Urbes licentia atq; impunitas Aſyla* ipſa *ſtatuendi*, imperante ſc. Tiberio, quando *Neocoriæ* crebeſcere cœperunt: qua etiam de cauſſa primo *Neocoriarum* ordini *Aſylum* ipſum adfiximus. Atque hæc in re obſcura & incerta a nobis expoſita ſint ſatis.

(a) Oxonien. pag. 277. & 296. Spon. Itin. Tom. I. pag. 401.

(b) Apud Vaill. in Græc. Caracal.

(c) Tacit. Lib. III. Annal. cap. 60.

(d) Pag. 207. ex eod. Tacit. ibid.



ANIMAD-

ANIMADVERSIO X.

DE

PRIMATU URBIUM.

I. 
Aximum in Asia Festum, & ob cujus celebrationem præcipue Asiæ Civitates Νεωκόροι *Neocoræ* dicebantur, fuisse Κοινὸν τῆς Ἀσίας, *Commune Asiæ*, scribit Vir Cl. Seldenus (*a*). Hoc etenim in honorem Imperatoris celebratum fuisse tradit ab omnibus Asiæ Proconsularis incolis; atque ideo civitatem, ad quam ad hoc festum celebrandum conveniebant, quod hoc totius Provinciæ ad eam facto congressu honorem, qui inter civitates Asiæ summus erat, consecuta earum Metropoleως vice fungeretur, omnium *Primatum* pro eo tempore sibi vindicasse, atque ea tum in vulgus sparsisse numismata, quibus se Πρώτην τῆς Ἀσίας, *Primam Asiæ* gloriabatur: atq; inde factum subdit, quod nunc Ephesus, nunc Smyrna, nunc Pergamus in antiquis numismatibus hoc titulo insigniuntur. At nihil minus ex Aristide, quem tamen paullo post citat Seldenus: quin contra ex eo liquet, Smyrnam atque Ephesum eo ipso tempore, quo Commune Asiæ celebrabatur Pergami, de *Primatu* contendisse cum ipsa Pergamo. Πρῶτον μὲν τοίνυν περὶ τῆς ὅλης συστάσεως ἐνθυμηθῶμεν, εἰς ἣν ἅπαντες οἱ ταύτῃ συντελοῦμεν, ὁμίους μείζους καὶ ἐλάττους. (*b*) *Primum igitur*, inquit, Pergami agens in publico Asiæ Concilio Orator, *totam Nationem, sub qua omnes, qui heic sumus, parvi simul & magni censemur, consideremus*. Inde contentionem de *Primatu* exponit, eamq; sedare conatur.

(a) De Primatu Urbium Seldeni sententia in Not. ad Marm. Oxon. II. pag. 68.

(b) Orat. ad Asiat. Civit. de Concor. pag. 320. Edition. Londin. an. 1722.

Jam notavimus (*c*), Virum eruditiss. Sperlingium docere (*d*), illud ΠΡΩΤΩΝ *Primorum*, quod legitur in nummis *Pergamenorum*, explicari posse, quod *Primi* Pergameni fuerint in Mysia Majore, ubi ad Caycum fluvium siti, h. e. *Caput totius Provinciæ*. At, si hoc admittitur in Mysia, quomodo in Jonia *Primæ* simul esse potuissent Smyrna & Ephesus (*e*), aut in Bithynia Nicæa atque Nicomedia (*f*), quas urbes cum titulo *Primarum* habemus in nummis, & de *Primatu* inter se contendisse, discimus ex Auctoribus?

(c) Animadv. de Urb. Neoc. Num. II. pag. 193.

(d) Ad Nummum Tranquil. p. 61.

(e) In Nummis.

(f) Dio Chrysost. Orat. XXXVIII.

Porro Cl. Rubenius (*g*) suspicatur, omnes civitates, quæ Conventum habebant, *Primas* se vocasse: quamvis Antoni-

(g) Diat. de Urb. Neoc. p. 1361. C. Tom. XI. Antiq. Roman. Grævii.

nus Pius in epiſtola ad Commune Aſiæ, quam refert Modeſtinus lib. VI. ff. de Excuſat., Maximas Urbes definiat τὰς Μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν *, in ſecunda vero claſſe locet eas, quæ licet Metropoleως titulo non eſſent ornatæ, *Conventus tamen Forenſes habebant*, τὰς ἐχέσας ἀγορὰς δικῶν. At nos obſervamus, plures fuiſſe Aſiæ Proconſularis Urbes, quæ Conventum Forenſem habebant, & tamen tres ſolæ erant, quæ de *Primatu* contendebant, Epheſus, Smyrna, & Pergamus. *Juriſdictiones*, ſive *Conventus juridici* hi ſunt ex Plinio (*a*), *Cibyraticus*, *Synnadenſis*, *Apamenſis*, *Alabandenſis*, *Sardianus*, *Smyrnæus*, *Epheſinus*, *Adramyttenus*, ac *Pergamenus*. Præterea unaquæq; Juriſdictio, ſeu Conventus juridicus intra definitos terminos jus præſtabat; at vero *Primatus* Provinciam univerſam reſpiciebat, teſtibus Ariſtide atque nummis.

* *Metropoles Gentium*.

(a) Lib. V. cap. 29., & 30.

Subdit Rubenius (*b*), quum res ſæpe ad ſeditionem ſpectarent, vel ab Imperatoribus Romanis decretum, vel communi partium conſenſu ſtatutum fuiſſe, ut *Primatus*, de quo diſſentiebant, cederet Urbi Metropoli, quæ plurium aut celebriorum Templorum communium Νεωκόρος *Neocora* eſſet. Sed novam hinc rurſus rixarum Iliadem exortam dicit, dum unaquæque Templorum Feſtorumque ſuorum magnitudinem & pulchritudinem extollens, primas occupare partes conatur. At neque hoc placet; nam legimus quidem apud Ariſtidem (*c*), Regem maximum & omnium doctiſſimum, ſc. M. Aurelium Imperatorem his de rebus mox initio diſerte ſcripſiſſe, atque eos pro optimis ac fortiſſimis habiturum ſe promiſiſſe, qui concordiam fuiſſent ultro auſpicati; attamen nullibi occurrit, *Primatum*, de quo erat contentio, cedere debuiſſe Urbi Metropoli, quæ plurium aut celebriorum Templorum communium Neocora eſſet. Et, uti jam innuimus, alio *Neocoratus*, alio *Primatus* ſpectabat: diverſa quoq; erat ratio Urbis *Metropolis* Urbiſque *Primæ*. Res ſacras reſpiciebat *Neocoratus* (*d*), & eſſe poterat Urbs *prima*, quæ non erat *Metropolis*. Hinc ad Nicomedienſes Dio Chryſoſtomus ait (*e*): ἂν ᾗ τὸ μὲν τῆς Μητροπόλεως ὑμῖν ὄνομα ἐξαίρετον ᾖ, τὸ ᾗ τῶν Πρωτείων κοινὸν ᾖ, τί κατὰ τῦτο ἐλαττῦσθε; *Si vobis Metropolis nomen peculiare eſt, Primorum vero commune* cum Nicæenſibus, *quid per hoc minores efficimini?*

(b) Pag. 1362. A.

(c) Orat. de Concord. ad Aſiat. Civ. pag. 536.

(d) Vid. Animad. de Neocor.

(e) Pag. 479. Orat. XXXVIII.

Vaillantii opinio.

Cl. Vaillantius docet (*f*), urbem *Primam* denotare ſecundum ipſum Dionem (*g*), quæ tributa quædam ab aliis accipiebat, Conventuum ac Judiciorum ſedes erat, in qua diſceptarent aliæ urbes, & Prætores in oppida mitteret, unde ad eam illorum provo-

(f) In not. ad n. græc. p. 209. Ed. Amſtel. an. 1700.

(g) Orat. eadem XXXVIII.

provocationes ſpectarent: quod jus Codicillis a Cæſaribus aut Senatu ſecundum eorum provincias obtinebatur, ſed amoveri poterat; quæque ſacrorum pro Auguſtis & Certaminibus curam etiam habebat ex Ariſtide. Verum, ut de ſacrorum Certaminumque cura, quæ *Neocoratum* potius, quam *Primatum* reſpiciebant, nihil dicamus, laudatus Dio Chryſoſtomus contraria habere nobis videtur. Quum itaque totus ſit Orator in extenuando *Primatu*, hæc etiam per interrogationem illi ſic detrahit (*a*). Ἡμεῖς δ' ἂν ἀπολάβωμεν τὸ πρωτεῖον, ἀμαχεὶ παραδόντων αὐτὸ τῶν Νικαίων, πότερα ληψόμεθα τοὺς φόρους, οὓς νῦν ἐκεῖνοι λαμβάνουσι; ἢ τὰς πόλεις τὰς συντελούσας εἰς τὸ παρ' ἐκείνοις δικαστήριον ἐνταυθοῖ καλέσομεν; ἢ πέμψομεν αὐτοῖς ἁρμοστάς; ἢ τί ἔσαι, ἢ τί ἡμῖν γενήσεται πλέον; *Nos*, Nicomedienſes, *ſi accipiamus Primatum traditum nobis a Nicænſibus abſque pugna, utrum tributa accepturi ſumus, quæ nunc illi accipiunt? an Civitates ad illorum convenire ſolitas judicia, huc vocabimus? an mittemus illis Prætores? aut quid tandem erit, quidve inde nos plus conſequemur?* Quæ omnia per interrogationem negat Chryſoſtomus. (a) Pag. 476. A. ejuſd. Orat.

Harduini de Primatu opinio.

Eruditiſſimus Harduinus (*b*), quum Epheſii, Smyrnæi, atque Pergameni in nummis πρῶτοι Ἀσίας, *Primi Aſiæ* appellantur, ac Nicæenſes quoque fortaſſis ipſi quum πρῶτοι τῆς Ἐπαρχίας, *Primi Provinciæ* vocantur, cavere nos vult, nudum eum eſſe ſine re titulum credamus, quum ſolida ſit maxime prærogativa; quod, ſi quid litium haberent finitimarum Urbium Cives, apud ſe ſuoque in foro coram Prætore diſceptaturi venirent. Conventum inde Epheſinum, Smyrnæum, Pergamenumque vocari a Plinio animadvertit. At, uti notavimus, vocat Plinius (*c*) etiam Conventum *Cibyraticum*, *Synnadenſem*, *Apamenſem*, *Alabandenſem*, *Sardianum*, ad quos, ſi quid litium haberent finitimarum Urbium Cives, coram Prætore diſceptaturi veniebant; & tamen Urbes ipſæ, apud quas erant hujuſmodi Conventus, *Primæ Aſiæ* neutiquam appellantur in nummis. Quin Pergamus, Smyrna, & Epheſus inter ſe de *Primatu* contendebant, quamvis Conventum unaquæque proprium haberet. (b) Ad num. Amaſiæ inter illos Popul. pag. 14. (c) Lib. V. c. 29. 30.

Spanhemii opinio

Hinc inluſtriſſimus Spanhemius (*d*) ſcribit, ex Ariſtidis Oratione id omnino percipi, de Aſiæ *Primatu* contentionem inter Epheſum, Smyrnam, & Pergamum inde emanaſſe, quod communia eſſent gentis Concilia, communia inſuper totius Provinciæ Templa & Sacra, & quidem in hono- (d) Diſſ. IX. de Præſt. &c. p. 640.

rem Romæ, Senatus, vel Imperatorum, communes inſuper ludi ſeu agones, in quibus apud ſe celebrandis *Primatum* ſibi præ duabus aliis ejuſdem Provinciæ urbibus deberi contendebant ſingulæ illæ tres *Primariæ* & inſignes Proconſularis Aſiæ civitates. Id autem aperte utique ac citra ambages tradi ab Oratore Smyrnæo adſerit his verbis (*a*): Θαυμάζω δ' ὅτι σεμνύνεσθε μὲν, ὄχ ἥκιστα τοῖς ναοῖς, καὶ τοῖς ἀγῶσιν, ὃς κοινοὺς νομίζετε, ὑπὲρ δὲ αὐτῶν τούτων διεςήκατε, καίτοι ὅταν οἷς ὡς κοινοῖς ἀγάλλεσθε, ὑπὲρ τούτων ἐρίζητε, ὑπὲρ τοῦ λοιπὸν ταῦτα φρονήσετε. *Miror autem vos, quum de Templis & certaminibus, quæ communia ducitis, non leviter ſoleatis gloriari, nunc de iiſdem inter vos diſſidere. Atqui, quum de iis rebus, quibus tamquam communibus gaudetis, inter vos contenditis, de qua re tandem conſentietis?* Quibus addit Orator, quod, quum has appellationes velut contra ſeditionem iis rebus imponerent, nempe (*b*) κοινὰ μὲν τὰ βουλευτήρια, κοινοὺς δὲ τοὺς νεὼς, καὶ τοὺς ἀγωνάς, κοινὰ δὲ πάνθ', ὡς εἰπεῖν, τὰ μέγιστα προειρήκατέ, *communia Concilia, communia Templa, communes ludos, & maxima quæque nominarent communia*, inde alterutrum ii neceſſario peccarent, quod de iſtis, quæ communia erant, merito gloriarentur, adeoq; pudere eos deberet de iis contendere: ſi vero ea nullius forent pretii, cur de iis adeo ſe efferrent? Quo ſpectare etiam ſubdit Vir erudit. hæc Philoſtrati (*c*) de Smyrnæ cum Epheſo diſſenſione: ἤριζεν ἡ Σμύρνα ὑπὲρ τῶν νεῶν καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς δικαίων: *contendebat Smyrna de Templis eorumque juribus*: ut vero addit, ἀπῆλθεν ἡ Σμύρνα ἡ πρωτεῖα νικῶσα, *abiit Smyrna Primatus victoriam conſecuta*. Hinc depicta ſubinde Templa, modo unum, modo etiam plura, in earumdem Epheſi vel Smyrnæ urbium nummis, cum illo ΠΡΩΤΩΝ ΑCΙΑC, *Primorum Aſiæ*, quod ſibi in iis tribuunt, elogio, idem animadvertit Spanhemius. Qui & ſubdit (*d*), abunde liquere nec de aliqua fori juriſdictione, neque de *Primatu* ratione magnitudinis vel pulchritudinis earumdem urbium, quod a Viro inſigni harum antiquitatum peritia aliiſque ornamentis, [Philippum Bonarotam intelligit] (*e*) ſtatuitur, immo nec de *Neocoratu* ſolum inter tres illas urbes Proconſularis Aſiæ diſceptationes exortas, & adſumptum inde ab iis in earum nummis ΠΡΩΤΩΝ ΤΗC ΑCΙΑC, *Primorum Aſiæ* elogium. Spanhemii ſententiam laudat Cl. Liebe (*f*) in eruditiſſimo opere de Theſauri Fridericiani numiſmatis.

Phil. Bonarotæ de Primatu opinio.

Bonarotam itaque Virum doctiſſimum notat heic laudatus Spanhemius, ubi ille ſc. ſcribit (*g*), titulum *Primorum* nihil

(a) Orat. de Concord. pag. 534. al. 330.
(b) Ead. pag. 534. al. 331.
(c) De vit. Soph. Lib. I. pag. 538.
(d) Pag. 642.
(e) Oſſerv. ſopra Medagl. pag. 198.
(f) Goth. num. cap. IX. 18. p. 381.
(g) Cit. pag. 198. Obſervat.

nihil aliud initio fuiſſe, quam purum putum titulum, qui prærogativas nobilitatemque urbium reſpiceret, ut denotari videtur eo Caracallæ nummo (*a*), qui inſcribitur CMTPN. ΠΡΩΤΩΝ ΤΩΝ CEBACTΩN ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ, *Smyrnæorum Primorum Auguſtorum Pulchritudine & Magnitudine;* ac multo magis hac Inſcriptione (*b*)

(a) Apud Occo. p. 388.

(b) Append. ad Marm. Oxon. p. 296. nu. 15. vid. etiam pag. 277. num. 143.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗΙ
Η ΠΡΩΤΗ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ
ΚΑΙ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ ΚΑΙ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΚΑΙ Γ ΝΕΩΚΟΡΟΣ
ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΑ ΔΟΓΜΑΤΑ ΤΗΣ ΙΕΡΩΤΑΤΗΣ
ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ ΚΑΙ ΚΟΣΜΟΣ ΤΗΣ ΙΩΝΙΑΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ
ΠΟΛΙΣ
Λ ΣΕΠΤΙΜ ΑΥΡ ΣΤΕΦΑΝΟΝ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΟΝ ΚΑΙ
ΣΜΥΡΝΑΙΟΝ ΠΑΝΚΡΑΤΙΑΣΤΗΝ

h. e. *Cum bona Fortuna. Prima Aſiæ pulchritudine & magnitudine & ſplendidiſſima & Metropolis & ter Neocora Auguſtorum* (*c*) *ſecundum decreta ſacratiſſimi Senatus & ornamentum Joniæ Smyrnæorum Civitas L. Septimium Aurelium Stephanum Thyatirenum & Smyrnæum Pancratiaſtem* honorat.

(c) Sive Auguſtalium, quaſi Templorum Auguſtis dicatorum.

II. Nequaquam itaque de communibus gentis conciliis communibuſque totius Provinciæ Templis & ſacris, Ludis, & agonibus contentionem fuiſſe, nos animadvertimus; ſed, ut docuit Bonarota, [quem honoris & amicitiæ, quæ inter nos, dum viveret, intercedebat, cauſſa nomino], *Primorum* titulus Urbium prærogativas nobilitatemque reſpexiſſe nobis videtur, & ita quidem, ut nullum jus nullamque potentiam contineret, ſed ordinis tantum & honoris eſſet. Quod ut clarius eluceat, conſiderandæ intime ſunt, quas de hac re habuerunt celeberrimi Sophiſtarum Ariſtides Dioque Chryſoſtomus, orationes.

Bonarotæ opinio laudatur.

Nullam potentiam continebat Primatus, ſed erat tantum ordinis & honoris.

Et ut ab Ariſtide incipiamus, poſtquam profeſſus Orator eſt Urbes, quæ de *Primatu* contendebant, quantum liceret, ſe laudaturum, adhibitis rite laudum capitibus, a Pergamo, quæ Conventum Aſiæ communem tunc excipiebat, quæque ei dicenti curiam præbebat, exorditur. Arcem itaq; illius primo laudat, utpote tantæ magnitudinis, ut longe ab omni introitu refulgeret, velut communis quidam totius gentis vertex. Sub ipſa vero reliquæ urbis partes, aliæ alibi varios habuiſſe ſitus ac formas ab eo dicuntur, ita ut viderentur multa oppida in unum congreſſa habitari, & eſſe quædam quaſi

Pergamum commendat Ariſtides ex Arce, Urbe, & Templo Aeſculapii Deoq; ipſo.

Orat. de Concor. ad Aſiat. Civitat. pag. 519 al. 503.

finitimæ

finitimæ urbes, quæ progreſſu temporis, quum utrinque ſemper auctæ fuiſſent, in unum conveniſſent. His accedere ſubdit ornamenta tum vetera tum nova, quæ per totam diſtendebantur civitatem; quorum quodlibet etiam toti poſſet urbi ſufficere. Ac multa de aliis quoque narrare ſe poſſe tradit, ſive partes, ſive eſſent oppidula vocanda, omnium vero honorificentiſſimum atque omni memoria digniſſimum pronuntiat extremum Urbis ſegmentum, quod Æſculapio conſecratum erat, ejuſque Templo ornabatur; indeque multus eſt in Æſculapio ipſo commendando.

Smyrnæ laus ex pulchritudine.

(a) Pag. 521. al. 305.

Hinc ad laudandam Smyrnam converſus Orator (*a*), ipſam vile quid & fortuitum videri non poſſe ait, ſed, qui conſpexiſsent, Deorum opus eamdem arbitrari, ſicut Homerus Achillis clypeum, &, quæ erant in illo, urbes Vulcani dixit eſſe fabricam. Adſpectus porro tum e terra tum e mari magnam excitare potuiſſe contentionem inter eos, qui adpellerent, & qui ſolverent, utri majore perfunderentur voluptate. Exſtabat enim figura quadrata, [ſi baſim in littore quis poneret, verticem in plano ſuperioris lateris], ab agro atque convallibus pedetentim per æqualia ſublata. Sed non hæc tantum ſpectanda fuiſſe tradit, quum longe præſtarent interiora. „ Quantus enim, *inquit*, ornatus cum uſu conjunctus eſt, „ ita ut & corpori recreationes præbeat utiles, & animo facul„ tatem atque alacritatem ad laborandum ſuppeditet: totus e „ Templis, lavacris, porticibus, curriculis conflatus eſt. Ὥς' ἐδεὶς ἐςιν, ὅςις ἂν σχολάσειε μεγίςην αὐτὴν προσειπεῖν, τῇ πρεσβείᾳ τȣ̃ κάλλȣς γεγοητευμένος (*b*). *Quo fit, ut nemo ſit, qui eam cunctetur appellare maximam, pulchritudinis excellentia faſcinatus*. Hinc mare, fluvios, & ſuburbia cum ſe mutuo, tum civitatem decere tradit, quaſi non ſorte potius eſſent, quam judicio adtributa. Atque adeo illud Smirnæi Poetæ uſurpat: Ἀφήτωρ, ἀθέμιςος, ἀνέςιός ἐςιν ἐκεῖνος, ὅςις ȣ̓ πρότερον τȣ̃ τῆς Σμύρνης κάλλȣς ἐρᾷ ἔπειθ' ȣ̃τως ὅτȣ δὴ τύχοι: *Impius ille tribuque carens tectoque vocetur, qui non prius Smyrnæ quam alterius cujuſque forma capiatur*. Maximum autem omnium ac dictu digniſſimum judicat Muſarum ac Gratiarum choros, Urbem perpetuo pervagantes; quorum opera non jucundiores modo, ſed etiam meliores ſolerent hoſpites dimitti.

(b) Ead. pag. 521. al. 306.

Demum tertiæ, Epheſi nempe tamquam libationis memoriam colit. Λεγὼ δὲ ἀριθμῷ τρίτην, ȣ̓ τάξει ταυτῶ (*c*). *Numero*

(c) Pag. 522. al. 307.

autem

autem tertiam dico, inquit, *non ordine;* ne mihi quiſquam verborum auceps ſermonem in contrarium trahat. Quæ verba notanda ſunt. Cavit nempe Orator, ne unam alteri ex his urbibus, quæ de *Primatu* contendebant, præponeret etiam *ordine;* quippe de hoc ipſo erat contentio; adeoq; ne videretur Ariſtides alteri præ ceteris *Primatum* concedere, uno eodemq; ordine ſingulas habuit. Hoc igitur primum de Epheſo maximum dici poſſe teſtatur, quum duæ eſſent urbes iſtæ, de quibus multa dicta forent, aliquid tamen etiam de hac dicendum reſtare, quod ſimul & diverſum eſſet, & dicto non inutilius. Inde exiſtimat, cunctos, quotquot inter Herculis columnas & Phaſim fluvium habitabant, recte facturos, ſi Epheſum ſibi familiarem feciſſent, idque partim ſocietate portuum, partim aliis omnibus ſuſceptionibus. Eam quippe vocat Aſiæ ærarium & neceſſitatis refugium: neque tam eſſe quemquam querulum credit, ut ejus urbis terminos reprehenderet. Nam & mari terraque longe extendebatur, & ubique ſufficiebat ad ea, quibus erat opus, præbenda, cunctaſque vitæ rationes, quibuſcumque uti homines vel poſſent vel vellent, ſuppeditandas. Quumq; Perſarum temporibus tanta reverentia Dianam proſecuti eſſent barbari, cur jam, inquit, quum præter Templum ſolito majus erectum, imperium quoque maximum & auguſtiſſimum eſt conſtitutum, non vel honorem dumtaxat eum, quo & urbem Dea adfecit, & ipſa debet ab omnibus hominibus adfici, ad civitatis gloriam ſufficere credamus? Εἶεν ἃ μὲν δὴ κοινῆ τοῖς γένεσι τοῖς σ̣ωτελᾶσι ϗ ταῖς πόλεσι ταῖς τᾶ πρωτεία ἀντιποιᾶμέναις, ἀποδοθῆναι προσῆκεν, εἴρηται διὰ πάσης, βραχύτητος ὡς γ᾽ ἐμοὶ φαίνεται. (a) *Atque ita quidem ea, quæ gentibus irreconjunctis atque urbibus de Primatu contendentibus communiter erant tribuenda, breviſſime, ut quidem mihi videtur, dicta ſunt.* Hæc & alia hujuſmodi, de quibus infra, Ariſtides; unde apparet quibuſdam prærogativis nobilitatique Urbium ad efflagitandum *Primatum* fidiſſe Cives.

(a) Pag. 523. al. 309.

Hinc ad pacis concordiæque ſtudium illas adhortans, ſubdit Orator, ea omnia, quæ commemoravit, & quæcumque ſunt ejus generis, *qualia ſunt publicorum ædificiorum ornamenta, ampla ſepta, ſitus pulcher, potentia terreſtris vel navalis*, & quæcumque huc pertinent, fortunæ dici poſſe, quæ horum ſingula tum donet, tum auferat, quum libuerit. Vult itaque, ut paullo minus lapides admirentur cives, ac ſe ipſos pluris quam

ædificia

ædificia faciant, & antiquum illud vere dictum esse credant, ὐ τείχη, ὐδὲ ὠδεῖα, ὐδὲ στοαὶ, ὐδὲ ὁ τῶν ἀψύχων κόσμος αἱ πόλεις εἰσὶν, ἀλλ' ἄνδρες αὐτοῖς εἰδότες θαῤῥεῖν (a), *nec mœnia, nec odea, nec porticus, nec mutum ornatum Civitates conficere, sed viros, qui sibi possint ipsis confidere.* Concordiam vero rursum urgens, eamque verum urbium concentum esse, plurimumque valere docens, οὗτος ὁ τῶν πόλεων κόσμος ἀληθινὸς, τοῦτο μέγιστον φυλακτήριον, τοῦτο σχῆμα κάλλιστον, *hic est*, inquit, *Urbium verus ornatus, hoc maximum munimentum, hæc species pulcherrima* „. Hæc eorum sunt, qui „ sursum respiciunt, non in fossas & lapides, quique veram „ naturam, non lapidum, nec lignorum conspexerunt “. Hæc itaque & alia hujusmodi habet Orator, ex quibus aperte constat, de Urbium prærogativis & honore certasse Smyrnam, Ephesum, ac Pergamum. Hinc etiam patet, *Primatum*, quem hac de caussa adfectabant, honoris fuisse, non potestatis.

(a) Pag. 535. al. 332.

III. Certe non fuisse de potentia contentionem, fidem etiam facit ipse Aristides; ubi ad urbes de *Primatu* contendentes in hunc sensum disserit (b). „ Vos cogitare velim, & „ Lacedæmonios olim & Athenienses atque insuper Thebanos habuisse aliquem rerum earum, quas inter se gerebant, „ prætextum: etenim Græcorum Principatus, & imperandi „ ac dominandi opinio, atque aditus ad ipsos eorum, qui re „ aliqua indigebant, & pecuniæ conlectæ, aliaque similia con- „ tentionis occasionem præbuerunt. Et, quamquam res illæ „ non prorsus erant expetendæ, [nam quis id sapiens dixerit?] „ habebat tamen, ut ita dicam, rationem aliquam seditio. At „ vos Jones, & vos, sive indigenæ, sive Arcades mavultis vo- „ cari, si quis ex vobis contentionis, seditionis, ac tumultus „ caussam quærat, quid sitis, obsecro, responsuri? Ὑπὲρ ποίας ταῦτα ποιεῖν ἡγεμονίας, ἢ τίνων συμμάχων, ἢ ποίων λιμένων, ἢ τριήρων, ἢ φόρων, ἢ τόπων, ἢ τί τοσοῦτόν ἐστι τὸ νικοῦν τοὺς λογισμούς; *Cujus imperii caussa vos id facere diceretis, vel quorum sociorum, qualiumq; portuum, triremium, tributorum, locorumque gratia, vel si quid aliud rationem vestram movere possit?* „ Ceterum, quod ad res nostras ad- „ tinet, & constitutos bonis avibus ritus, quis tam puer vel „ tam senex delirus est, “ ὅστις οὐκ οἶδεν ὡς μία μὲν πόλις ἡ πρώτη καὶ μεγίστη πᾶσαν ὑφ' αὐτῇ τὴν γῆν ἔχει, εἷς δ' οἶκος ἅπαντα ἐξηγεῖται (c), *qui nesciat unam Urbem Primam & maximam toti imperare terrarum Orbi*, [nempe Romam], *unamque familiam* [Imperatorum]

Primatus, de quo certabant Smyrna, Pergamus & Ephesus, non erat potentiæ ex Aristide.

(b) Pag. 532. al. 328.

(c) Pag. 533. al. 329.

cuncta

cuncta administrare? „ Prætores vero quotannis ad nos ex „ lege commeare, quibus omnia tum magna tum parva ſe„ cundum ipſorum arbitrium permiſſum ſit gerere? " Quapropter eos, quos adloquitur Orator, abſurde adfectos dicit, quod pro iis rebus, a quibus nihil expectare poſſunt boni, contendant atque decertent. Non fuit itaque de *Primatu* poteſtatis inter eas urbes contentio ex Ariſtide.

Ex Dione quoque Chryſ. conſtat, contentionem fuiſſe de honore, non de potentia.

Ex Dione quoque Chryſoſtomo, qui tempore ſuperior fuit Ariſtide, quippe qui imperante Trajano floruit, Ariſtides autem eam, de qua hucuſque, orationem imperante M. Aurelio habuit, idipſum conſtat. In primis itaque ex eo diſcimus, eamdem de *Primatu* contentionem jam ſuo tempore inter Smyrnæos exarſiſſe & Epheſios; deinde non fuiſſe contentionem de potentia, quin de puro puto titulo inanique gloria actum eſſe, certi ab eo reddimur. Σμυρναῖοι πρὸς Ἐφεσίους ἐρίζουσι, περὶ ὄνου σκιᾶς, φασὶ, διαφέρονται· τὸ γὰρ προεστάναι τε καὶ κρατεῖν, ἄλλων ἐστὶν (a). *Smyrnæi cum Epheſiis*, inquit, eos deridens apud Tarſenſes Dio, *contendunt; de Aſini umbra, ut dicitur, diſſident: præeſſe enim & imperium gerere aliorum eſt.* Innuit autem ibidem Ægæenſes quoque cum iiſdem Tarſenſibus, quemadmodum & Apamenſes cum Antiochenſibus de hujuſmodi *Primatu*, ſeu de eadem *aſini umbra* contendiſſe. Integram vero hac de re Orationem (b) eamq; diſertiſſimam ad Nicomedienſes habuit, quo tempore de *Primatu* certabant cum Nicæenſibus, vicinis ejuſdem provinciæ populis. Heic igitur aperte tradit, non pugnaſſe illos pro *terra* aut *mari*, neque pro *reditibus*, aut *conſuetudinibus*, ſed neque etiam pro *Diis*, eorumque *Feſtis*, aut aliqua alia re, quæ veniam impetrare poſſet. De ſolo autem nomine illos contendiſſe, innuit, quum interrogat, *pro quo primatu decertent? & utrum opere & re tradito, an de nomine ſolum illis pugna ſit?* Hinc ſubdit, bellum quidem geſſiſſe pro *Primatu* Athenienſes & Lacedæmonios, at hos certaſſe pro tributis inſularium, & ut domi omnes omnium cauſſas judicarent, & breviter de regno illos certamen iniiſſe. *Nos autem*, inquit, (c) *ſi accipiamus Primatum traditum nobis a Nicæenſibus abſque pugna, utrum tributa accepturi ſumus, quæ nunc illi accipiunt? An Civitates ad illorum convenire ſolitas judicia huc vocabimus? an mittemus illis Prætores? an coria illis a Bithynis minus præbebimus? aut quid tandem erit, quidve inde nos plus conſequemur?* „ Nos putamus, ſicubi nos inſcribamus *Pri-*

(a) Orat. Tarſenſ. II. pag. 427. C.

(b) In Ordine XXXVIII.

(c) Vid. ſupra n. I. p. 211. græca verba.

Ee „ *mos*

„ *mos*, habituros *Primatum:* qualem, Viri Nicomedienſes, „ *Primatum?* etenim vos iterum atq; tertium percunctabor. Οὔ τί τὸ ὄφελος ἐςίν; ἢ τί τὸ ἔργον; ἀφ' ἢ πότερον πλȣσιώτεροι γενησόμεθα; ἢ μείζονες; ἢ δυνατώτεροι; *Quænam eſt* hujus *Primatus utilitas? quodnam ejus officium? an ex ipſo ditiores reddemur? an majores? an potentiores?* Quæ omnia quum *Primatui*, de quo erat contentio, detraxiſſet, concludit (*a*) hanc eſſe περὶ τῶν ὀνομάτων πρὸς Νικαεῖς μάχlω, *de nominibus adverſus Nicæenſes contentionem*. Hinc damnari eos publice dementiæ ſubdit, Præſideſque porrigere eis nomina: κ̀ εἰ εἶπον ὑμᾶς πρώτȣς, ἢ ἔγραψαν: (*b*) *& ſi dixerint eos Primos, aut ſcripſerint*, deinde in poſterum eiſdem abuti: apud alios vero ac præcipue apud Romanos riſum hæc, de quibus contenderent, movere, vocarique adhuc contumelioſius Græcanica deliria. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius elucet, *Primatum*, de quo erat contentio, nominis & honoris, nequaquam vero potentiæ fuiſſe. Quam in rem nonnihil alibi * addemus. Conſtat etiam, *Primorum* titulum a Præſidibus Provinciarum concedi conſueviſſe.

(a) Pag. 478. A.

(b) Pag. 479. B.

Primorum titulum Præſides Provinciarum concedebant.

* *Animadv. de litter. AMK in num. Tarſ. & Anazarb.*

IV. Reſtat, ut videamus, quo titulus *Primorum* reſpiceret. Hoc autem nos edocet laudatus Dio Chryſoſtomus; ubi ad eoſdem Nicomedienſes ait (*c*): Εἰ μή τι νυῦ δοκεῖτε αὐτȣ̀ς ὑπὲρ τῆς ΠΡΟΠΟΜΠΕΙΑΣ καλῶς ἀγωνίζεσθε: *niſi quid exiſtimatis vos pro primis in ſolemnitatibus locis honeſte certare*. Locum igitur priorem nobilioremque in ſolemnitatibus adferebat dabatque *Primatus*. Hinc *Primatus* erat honoris ita, ut, qui *Primorum* titulum conſecuti eſſent, quique eo nomine gloriabantur, primis ſubſelliis ac locis in communibus Provinciæ Conciliis pompiſque gauderent. Forte etiam primi judicia ſubibant, reportabantque oracula. Conveniebat enim ſtatis temporibus, confluebatque ad deſignatas urbes univerſa Provincia, ibique feſta in communibus Templis pompæque celebrabantur & ludi; tum etiam conſulebantur oracula, exercebanturque judicia. Hinc legimus (*d*), *Populum Delphorum conceſſiſſe Philippo Apollonii Calymnio ipſi & filiis* inter alia ΠΡΟΜΑΝΤΕΙΑΝ ΠΡΟΕΔΡΙΑΝ ΠΡΟΔΙΚΙΑΝ, *Prædivinationem, Præſidentiam, in judicando prælationem*; ita etiam Dicæarcho Laodiceno ΠΡΟΜΑΝΤΕΙΑΝ ΠΡΟΔΙΚΙΑΝ (*e*) *Prædivinationem* ac *judicii prælationem*. Alia *Primatus* privilegia reſcire nondum mihi licuit.

(c) Pag. 479.

In quo conſiſteret Primatus.

(d) Tom. II. novi Theſauri Inſcrip. Muratorii pagin. DLXXXVIII. nu. 2.

(e) Ibid. pag. ſeq.

V. Neque vero una tantum de cauſſa iiſdemque rationibus *Primatum* adfectabant, conſequebanturque Civitates; hinc

Plures ac diverſæ erant cauſſæ, ob quas adfectabatur, deferebaturq; Primatus.

hinc plures occurrunt ſimul in eadem Provincia *Primæ*, qua de re infra. Itaque Pergamus ex eo, quod ibi quondam regnaſſent Attalici, *Primæ* nomen etiam, poſtquam in Romanorum devenit poteſtatem, & in ordinem redacta eſt, retinere ſtuduit. Quod intuiti Epheſii atque Smyrnæi *Primatum* & ipſi, aliunde tamen ſibi quærere conati ſunt. Hinc Ariſtides de Pergamo loquens, ait (*a*): ἦρξε πότε τῶν περὶ τὸν τόπον τοῦτον, καὶ ὕςερον ἀυτὰ ταῦτα, ἐφ' οἷς φιλοτιμούμεθα, ἐντεῦθεν ἔοχε τὴν ἀρχήν, *quondam illam locis finitimis imperaſſe, eademque, de quibus poſtea gloriabantur* urbes, *hinc originem duxiſſe*. Porro Epheſus *Primatum* & ipſa jure ſibi vindicare poſſe videbatur, non ſolum, quod temporibus *jam tum* Servii Romanorum Regis *erat* (*b*) *inclytum Dianæ Epheſiæ Fanum, idque communiter a civitatibus Aſiæ factum fama ferebat, ducentis* (*c*) *viginti annis*; τὴν δὲ μεγαλειότητα τῆς Ἀρτέμιδος ὅλη ἡ Ἀσία καὶ ἡ οἰκουμένη σέβεται (*d*), *ejuſdemque Dianæ Majeſtatem tota Aſia & orbis colebat*; ſed quod *Lumen* (*e*) *Aſiæ* eſſet Epheſus, καὶ ἐμπόριον μέγιςον τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν τὴν ἐντὸς τοῦ Ταύρου (*f*), *& emporium illorum, quæ erant intra Taurum, maximum*; uſque adeo, (*g*) *ut Imperator Antoninus Auguſtus ad deſideria Aſianorum reſcripſerit, Proconſuli neceſſitatem impoſitam per mare Aſiam adplicare*, καὶ τῶν Μητροπόλεων Ἔφεσον (*h*) *Primam adtingere*. Hinc comparet cum titulo ΤΗΣ ΠΡΩΤΗΣ ΚΑΙ ΜΕΓΙΣΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ, *Primæ & Maximæ Metropolis Aſiæ* (*i*). Smyrnæ etiam cauſſæ & rationes, quibus *Primatum* poſceret, non deerant; quippe, ut verbis utar ipſius Ariſtidis (*k*), ὁ τῆς Ἀσίας κόσμος ἦν κ. λ., *ipſa erat ornamentum Aſiæ, non ejus quidem tantum, quæ uſque ad Mæandri fontes protendebatur, nec quantum Prætorum complectebatur juriſdictio; ſed quam initio Græci Aſiam dixerunt, ac de tribus mundi partibus continentem præcipue appellarunt*. Quare inſcriptam vidimus (*l*) *Primam Aſiæ pulchritudine & magnitudine & ſplendidiſſimam & ornamentum Joniæ Smyrnæorum Civitatem*. Templum vero ibidem viſebatur adeo ſplendidum, *ut contentione quondam inſtituta, Aſia reliquis gentibus prælata ſit* (*m*), τῶν δ' ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεων τὴν Σμύρναν τοσοῦτον, ὥςε τὴν μὲν ἄλλην Ἀσίαν ἑπτὰ μόνας ψήφους μεταλαβεῖν· τῇ δὲ πόλει τετρακοσίας γενέσθαι μόνῃ: *Aſiæ vero urbibus Smyrna tantum, ut reliqua quidem Aſia ſeptem dumtaxat calculos, hæc autem ſola quatuor* (*n*) *ferret*. Atque huc pertinent, quæ adducit Spanhemius (*o*) ex Philoſtrato, *contendiſſe* nempe *Smyrnam de Templis eorumque juribus, eam-*

(a) Orat. ad Aſiat. Civit. de Concor pag. 519. al. 303.

(b) Liv. Lib. I. cap. 45.

(c) Plin. Libro XXXVI c. 14.

(d) Act. Apoſt. Cap. XIX. v. 27.

(e) Plin. Lib. V. cap. 29.

(f) Strab. Libro XIV. in Jonia.

(g) Ulpian. Leg. IV. 5. D. De Offic. Procoſ.

(h) *Et Metropoleωn Epheſum*.

(i) Apud Murator. Tom I. Inſcr. pag. CLXXXIV num. 1.

(k) Gratul. de Smyrna reſtaur.

(l) Num. I. hujus Animadv. p. 213.

(m) Ariſtid. in Ep. de caſu Smyr. ad Impp. M. & Commodum.

(n) Loco *quadringentorum*, ſatius legendum duximus *quatuor*

(o) Supra num. I. pag. 212.

que abiisse Primatus victoria decoratam. Nitebatur itaq; Smyrna tum urbis tum Templorum pulchritudine, ac *primatum* inde quærebat. Quumque etiam Pergamus & Ephesus nedum reliquis rebus, quibus Smyrnam superabant, sed & Templis fiderent, hinc de ipsis Templis, deque Conciliis, aliisque rebus Asiæ communibus illas contendisse, tradit Aristides. Non tamen inde evincitur, ut vult non sine laude nominandus Spanhemius ipse (*a*), de Asiæ *Primatu* contentionem inter Ephesum, Smyrnam, & Pergamum inde emanasse, quod, quum communia essent Concilia, Templa, & sacra, tum etiam ludi seu agones, in his apud se celebrandis *primatum* sibi præ duabus aliis ejusdem Provinciæ urbibus deberi contendebant singulæ illæ tres primariæ & insignes Proconsularis Asiæ civitates. Nam, ut diximus, non his rebus tantum, sed & aliis, de quibus supra, nitebantur, quæ de *Primatu* contendebant, civitates; adeoque tum hæc tum alia *Primatus* respiciebat. Sane Smyrnæi in ea, quam adtulimus (*b*), inscriptione, tum in alia (*c*), atque etiam in nummo maximi moduli Gazæ Gallorum Regiæ (*d*) dicuntur ΠΡΩΤΟΙ ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ, *Primi pulchritudine & magnitudine*. Et notandum, quod in laudatis Inscriptionibus dicitur Smyrna separatim PRIMA & TER NEOCORA, quod distinctionem utriusque tituli satis prodit. Præterea, si victoria, quam Smyrna de Templis consecuta est, *Primatum*, de quo agimus, respexisset, quum ea ante Aristidis ætatem contigerit, adhuc contendentem suo tempore illam nobis non exhibuisset Orator. *Primatum* itaque Templorum adsecuta, Polemonis (*e*), qui imperante Hadriano floruit, tempore Smyrna, ad *Primatum* urbis efflagitandum accessit imperante M. Aurelio, quo tempore & Aristides floruit. Nondum tamen tum comparet in nummis cum titulo *Primæ*, quem demum adsumpsit imperante Caracalla: a quo facile impetrare potuit, ut *Prima Pulchritudine ac Magnitudine renuntiaretur;* nam, quum Marco imperante terræ motu corruisset, pulchrior inde majorque est excitata. Hinc Aristides, „ antea quidem, *inquit*, excellentiorem urbem ne „ animo quidem complecti poteramus, quum ista pulchritu- „ dinis exemplum videretur: nunc autem male opinati fuis- „ se deprehendimur: tunc etenim urbes alias, nunc ipsa pro- „ pemodum se ipsam vincit.

(a) Eod. num. I. pag. 211.
(b) Num. I. p. 213.
(c) Apud Murator. in Thes. inscr. pag. DCL. nu. 1.
(d) Apud Hardu. in num. Pop.
(e) Philostr. in Polem. Lib. I. Sophis. pag. 538.

Nummi cum titulo Primorum.

VI. Res nunc postulat, ut nummos referamus, quos *Pri-*

Primorum titulo insignitos novimus. Frequentiores porro occurrunt illi Pergami, Smyrnæ, & Ephesi, nam & major exstitit, ut vidimus, inter has urbes de *Primatu* ipso contentio, quin & ad ceteras emanavit. Comparent *Pergameni* (*a*) cum titulo *Primorum*, ΠΡΩΤΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ jam tum imperante Trajano; inde vero abstinent usque ad Caracallam, postquam nempe exarsit inter Smyrnæos & Ephesios controversia. Confirmatus autem videtur eis titulus ipso imperante Caracalla, nam exinde cum illo passim occurrunt. Smyrnæi quoq; sub eodem Imperatore obtinuerunt, ut *Primi* dicerentur *Pulchritudine* ac *Magnitudine*, qua de re paullo ante. Ephesios vero jam tum imperante Antonino Pio *Primos* habemus in nummo quarto Tabulæ XVII Musei Pisani. Ephesiis ipsis plurimum favit Macrinus, quippe eo imperante jussi sunt a *Primorum* titulo cessare Pergameni atque Smyrnæi; *Ephesii* vero soli *Primi Asiæ*, ΕΦΕCΙΩΝ ΜΟΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑCΙΑC (*b*) inscripti sunt. Quum autem paullo post unicuique civitati suus restitutus esset *Primatus*, illum, quo Ephesii gaudebant, exprimere hi voluisse in eo nummo (*c*) videntur, quem inscripserunt ΕΦΕCΙΩΝ Α ΚΑΤΑΠΛΟΥC, *Ephesiorum Primorum Adpulsus*, seu *Ephesiorum Primus Adpulsus*, juxta laudatum Antonini rescriptum (*d*), quo necessitas Proconsuli imposita fuerat *per mare Asiam adplicare*, ἢ τῶν Μητροπόλεων Ἔφεσον *Primam adtingere*. Ex adjacentibus autem Asiæ Proconsulari insulis occurrit ΠΡΩΤΗ ΛΕCΒΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΗ (*e*), *Prima Lesbi Mytilene*. Dicuntur quoque *Samii Primi Joniæ* (*f*), CΑΜΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΙΩΝΙΑC. In Bithynia vero, ἂν δὲ τὸ μὲν τῆς Μητροπόλεως ὑμῖν ὄνομα ἐξαίρετον ᾖ, τὸ δὲ τῶν πρωτείων κοινὸν ᾖ (*g*), *quum Nicomediensibus Metropolis nomen esset peculiare, Primorum vero commune cum Nicæensibus*, inscribitur ΝΕΙΚΟΜ. Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC ΚΑΙ ΠΡΩΤΗ ΒΕΙΘΥΝΕΙΑC (*h*), *Nicomedia Metropolis & Prima Bithyniæ*; seu etiam Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC ΝΙΚΟ. ΚΑΙ ΠΡΩΤΗ ΠΟΝΤΟΥ ΚΑΙ ΒΕΙΘΥΝΕΙΑC (*i*), *Metropolis Nicomedia & Prima Ponti ac Bithyniæ*. Nicæenses vero dicuntur ΠΡΩΤΟΙ ΤΗΣ ΕΠΑΡΧΙΑΣ (*k*), *Primi Provinciæ*, sive ΝΙΚΑΕΙΣ ΠΡΩΤΟΙ Π. ΚΑΙ ΒΙΘ. (*l*), *Nicæenses Primi Ponti atque Bithyniæ*. Quumque in Ponto proprie dicta Amasia & Neocæsarea essent Metropoles, inscribitur ΑΜΑCΙΑ ΜΗΤ. ΠΡ. ΠΟΝΤΟΥ (*m*), *Amasia Metropolis Prima Ponti*; at vero ΝΕΟΚΑΙC. ΜΗΤ. ΠΟΝΤΟΥ (*n*), *Neocæsarea* solum *Metropolis Ponti*. Inde in

(a) Apud Spon. Tom. III. Itin. pag. 142.
(b) Num. Nob. Garz. apud Vail. in Græc.
(c) Philipp. Sen. apud eumd. Vail. in Græc.
(d) Apud Ulpian. Lib. IV. 5. de offic. Procos.
(e) Apud Spanh. Diss. IX. de Præst. &c. pag. 648.
(f) Apud eumd. ibid., Vaill., & Hardu.
(g) Dio Chrys. Orat. XXXVIII. pag. 479.
(h) Num. Domit. & Ant. Pii apud Vaill., Hardu. & Spanh. Diss. IX. pag. 633.
(i) Num. Trajani apud eosd.
(k) Num. Domit. apud eosd.
(l) Apud Spanh. pag. 634.
(m) In M. Aur. & seqq. apud Harduin. & Vaill.
(n) Apud eosd.

Syria

Syria *Laodicenſes* dicuntur ΠΡ. CΥΡΙΑΣ (*a*), *Primi Syriæ*, qui tamen & jus Μητροπόλεως, *Metropolis* habebant. *Antiochenſes* autem *Metropolis* prærogativam exhibent (*b*), ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, quum Ἀντιόχεια ἡ τῆς Κοίλης καλεμένης Συρίας πρώτη πόλεων (*c*), ipſa *Antiochia Cœleſyriæ* eſſet etiam *Prima* ejuſdem regionis *Urbium*. *Tarſus* & *Anazarbus* Ciliciæ litteras præferunt in nummis (*d*) AMK: quas alii aliter interpretantur, a nobis vero explicatur Πρώτη Μεσογείας Κιλικίας, ſive Μεγάλης Κιλικίας, id eſt *Prima Mediterraneæ* vel *Majoris Ciliciæ*, necnon aliis modis (*e*). Eſt etiam *Sebaſte* ejuſdem provinciæ urbs, cujus nummum Valeriano cuſum e Theſauro Gallorum Regio Harduinus (*f*) producit ita inſcriptum: CEBACTH IEP. AΥ. NAΥAPX. Π. ET. ΔOC., & hoc modo interpretatur, *Sebaſte ſacroſancta*, *ſuis utens legibus*, *claſſica prima*, *Anno* CCLXXIV. Vocem NAΥAPX. nos aliter interpretamur, nempe *Navarchidem*, non *Claſſicam*, aliterque intelligimus; at hæc alibi (*g*).

(a) In Caracall. apud Vaill.
(b) Apud Vaill. & Hardu.
(c) Eunap. in Libanio.
(d) Vide Hardu. in num. Pop. & Urb.
(e) Animadv. de hujuſmodi litteris in num. Tarſi & Anazarbi.
(f) In num. Pop. & Urb.
(g) In Animadverſ. de nomine *Navarch.*

Definiti erant Primatui termini.

VII. Ex his, quæ de *Primatu* diſputavimus, maxime vero ex nummis, quos modo deſcripſimus, ſatis conſtare poteſt, *Primatum* ipſum ſuis fuiſſe incluſum terminis locorum: ita ut eæ Urbes, quæ *Primatus* dignitate decoratæ erant, privilegiis atq; honoribus, quibus in ſua Provincia fruebantur, in aliis Provinciis nequaquam gaviſæ videantur. Id enim & ratio poſtulat, aliter enim confuſionem contentioneſque plurimas *Primatus* excitaſſet; & ipſa Provinciarum diſtinctio exigit, quippe quæ erant inter ſe diviſæ, & unaquæque dignitatibus honoribuſq; propriis gaudebat. Demum id confirmant Auctores, utpote qui Provincias indicant, intra quas de *Primatu* contendebant Urbes: nummi vero certum id reddunt, nam in iis paſſim cum *Primatu* etiam Provincia, ubi erat is *Primatus*, exprimitur, ita ut, quum alibi Provincia ipſa reticetur, adhuc tamen intra ejus terminos reſtrictus is *Primatus* intelligi debeat.



ANIMAD-

ANIMADVERSIO XI.

DE

ASIARCHIS.

I. Uum frequens occurrat in nummis *Aſiarchæ* nomen, & in Piſanis etiam habeatur, res poſtulat, ut de eo agamus. Itaque credimus, ac probandum ſumimus, *Aſiarchas* fuiſſe Aſiæ Proconſularis ſacros Principes ſeu Sacerdotes primarios, plures quidem numero, a ſingulis civitatibus primum deſignatos, deinde in publico omnium Civitatum Concilio electos, qui ludis ſacriſque Communis Aſiæ præeſſent. *Aſiarcharum dignitas & officium*

Et, ut a nomine incipiamus, Ἀσιάρχης, *Aſiæ Principem* ſignificat, ita tamen, ut, qui hoc nomine gaudebant, primas in rebus ſacris, ut infra patebit, obtinerent. Hinc Τινὲς δὲ καὶ τῶν Ἀσιαρχῶν (*a*) dicuntur in vulgata Sacræ Scripturæ verſione *quidam de Aſiæ Principibus*. Intelligitur vero heic minor Aſia, quæ & Proconſularis dicta eſt; nam Phœnicia, Syria, Cappadocia, Lycia, Galatia, & Bithynia ſuos habebant hujuſmodi Principes, qui Phœniciarchæ, Syriarchæ, Cappadocarchæ, Lyciarchæ, Galatarchæ, & Bithynarchæ nuncupabantur.

(a) Act. Apoſtol. Cap. XIX. 31.

II. Chr. tamen Siberius vir Cl. in ea diſſertatione (*b*), quam de *Aſiarchis* ad Act. Ap. XIX. v. 31. ſatis amplam & eruditam edidit, quum nec (*c*) cis, nec trans Taurinam Aſiam *Aſiarchis* convenire ſcripſiſſet, ſubdit facile ſe animum inducere poſſe, ut Aſiam minorem deſerat, ut & Proconſularem, utpote quarum ambitus majora ſpatia facit, quam ea pars, quæ Aſiarcharum propria fuit. Novam itaque ingreditur viam, inſtituitque rationem, qua rite explicata & expoſita, non dubitat rem in expedito fore. Scribit itaq; Romanos, poſtquam Aſiæ potiti ſunt, multis Urbibus, cum quibus amicitia interceſſit antea, libertatem conceſſiſſe, ſuiſque legibus inſtitutiſque patriis vivere permiſiſſe, Strabone teſte Lib. 17. ſub finem. Subdit, has Civitates poſtea fœderum pactorumque nexu ſe copulaſſe, & amicitias foviſſe, inq; unum corpus ac formam velut Reipublicæ coaluiſſe. Hancque Aſiæ partem Aſiam fœderatam nominat. Inſtituto autem ſuo convenire credit (*d*) in

Siberii de Aſiarchis opinio.

(b) Extat inter illas Theologor. Prot. in N.T. pag. 487.

(c) Pag. 488. 8.

(d) Pag. 489.

in numerum harum Civitatum inquirere, easque ad calculum revocare, quod nonnisi nummis instructum se facere posse tradit. In partes ergo vocat Spanhemium lib. de usu & præstantia numismatum Diss. 8. p. 691., qui e Cimelio Mediceo nummum adducit, cujus inscriptio est ΦΡΟΝΤΩΝΟΣ ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕ. ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ ΚΟΙΝ. *Frontone Asiarcha & Sacerdote* XIII. *Civitatum*; numerabiles nempe litteras ΓΙ transpositas docet pro ΙΓ, quod idem ac τριακαίδεκα. Similis est, cujus hæc epigraphe ΣΑ. ΕΥΤΥΧΟΥΣ ΑΡΧΙΕ. ΓΙ. ΠΟΛ. Has vero Civitates fuisse insigniores & principales tradit, easque se Metropoles Neocoros vocavisse, quas dignitates sibi ex eo præcipue illas vindicasse sentit, quod Augustorum permissu, quos ut præsens numen venerabantur, ipsis consecrare templa, *Asiarcharum* auspiciis convocatis fœderatis, ludos solemnes edere integrum erat. Omnes ergo dignitate pares arbitratur, nullam superiorem. Singulas vero memorat, prout e nummis elicere licuit. *Ephesus, Smyrna, Pergamus, Laodicea, Sardis, Hierapolis, Magnesia, Miletus, Thyatira, Perinthus, Trallis, Nicomedia, Tarsus*. Hinc recenset nummos earum, in quibus alterius cum altera Ομόνοια *Concordia* exhibetur. Accessisse vero ultimis temporibus & fœderi Cyzicum tradit, ita ut hæ civitates decem & quatuor tandem fuerint. Hos autem, quos adducit nummos, partim curæ *Ezech. Spanhemii* se debere fatetur, plures vero insigni fidelique industria, quum Asiam Italiamque perlustraret, descripsisse antiquitatum peritissimum Jac. Sponium. Quum ergo Asiarchæ sacrorum ex ipso Siberio Communis Asiæ seu fœderatæ curam egerint, ludosque exhibuerint, liquidum ait hanc solum ad ipsos pertinere. Ita vir ille eruditissimus, in cujus tamen sententiam ire non possumus: nam apud ipsum, quem laudat, Sponium, primo loco etiam hic alius nummus occurrit (*a*) ΕΦΕΣΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ, *Ephesiorum Neocororum Concordia cum Cyzicenis*; qui nummus non minus est Antonini Pii, quam ille XIII. urbium; adeoque non ultimis temporibus fœderi accessit Cyzicus. Præterea sunt hi duo alii ejusdem Pii nummi apud ipsum Sponium ΚΩΩΝ ΜΕΙΛΗϹΙΩΝ (*b*), *Coorum Milesiorum*; ΑΝΤΙΟ .... ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ (*c*), Concordia *Antiochenorum cum Ephesiis bis Neocoris*; attamen nec Coos nec Antiochenses fœderatis populis accenset vir Clariss. Idem vero numerus, quem Siberius statuit, nempe XIII, neque

Idem Siberius examinatur.

(a) Pag. 177.

(b) Pag. 177.

(c) Pag. 180.

neque, si duplicaretur, sufficeret nummis, qui sunt apud Spanhemium, Harduinum, & Vaillantium fœderatarum cum ipsis XIII. Urbium. Nec ego, ut verum fatear, satis intelligo, quomodo in Asia fœderata adnumeret Siberius nedum Tarsum Ciliciæ & Nicomediam Bithyniæ, verum etiam Perinthum Thraciæ; postquam Asiam minorem deseruit, ut & Proconsularem, utpote quarum ambitus majora spatia faciat, quam ea pars, quæ Asiarcharum propria ipsi videtur. Quod si addamus *Athenienses* Græciæ, quorum *cum Smyrnæis Concordiam* habemus in nummis, ΟΜΟΝΟΙΑ (*a*) ΑΘΗΝΑΙΩΝ ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ, & *Alexandrinos* Ægypti, quos junctos videmus *cum Ephesiis*, ΕΦΕΣΙΩΝ (*b*) ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, non Asiæ tantum minoris aut Proconsularis terminos præteribimus, sed nec integra Asia, quæ pars orbis tertia censebatur, sufficiet. Ex hac igitur nova, quam Siberius ingreditur, via, & ex hac, quam instituit, ratione Asiarcharum res in expedito esse non videntur. Neq; etiam huc spectant nummi illi aliique (*c*) similes XIII. Civitatum; sed respiciunt Commune Jonum; Δώδεκα Ἰωνικαὶ πόλεις, προσελήφθη δὲ ὕστερον καὶ Σμύρνα, εἰς τὸ Ἰωνικὸν ἐναγαγόντων Ἐφεσίων (*d*): *cujus duodecim prius erant Urbes, postea adsumpta in eum conventum est etiam Smyrna auctoribus Ephesiis*; & hoc multo jam ante Imperatores Romanos tempore. Scribit Herodotus (*e*) XII. istas Civitates, nempe Miletum, Myuntem, Prienen, Ephesum, Colophonem, Lebedum, Teum, Clazomenas, Phocœam, Samum, Chium, & Erythras, *Fanum construxisse*, ἱρὸν ἱδρύσαντο, κ. λ., *cui suum ipsorum nomen posuerunt Panjonium; cujus nullos alios Jonas participes facere decreverant: nec erant, qui postularent participes fieri, nisi Smyrnæi*, qui postea voti compotes facti sunt. Ne vero quis ex eodem nummo dubitet, an intra Joniam cogendi sint *Asiarchæ*, dicimus hos non tantum in nummis Urbium ejusdem regionis, Ephesi nempe ac Smyrnæ apparere, verum etiam in illis Pergamenorum Mysiæ majoris, Cyzicenorum minoris, ac Sardianorum, & Hypæpenorum Lydiæ; ita ut ad Asiam Proconsularem *Asiarchæ* pertinuisse videantur.

(a) Vaill. in Græc. pag. 222.

(b) Idem p. 223.

(c) Apud Vaill. in Græc. p. 47. & 59. & Hardu. in Num. Rhodiorum.

(d) Strab. Libro XIV. in princ.

(e) Lib. I. c. 142. pag. 59.

Plures erant Asiarchæ.

III. Inquirendum nunc de eorum numero. Scribit laudatus Siberius (*f*), singulas Civitatum fœderatarum magno honori duxisse exstruere templa, celebrare ludos, & nomen Neocorωn demereri, adeoque unamquamque civitatem sacrorum Præside opus habuisse, qui ludis & sacris solemnibus præesset,

(f) Nu. 12. p. 490.

esset, hoc est Asiarcha. Equidem fuisse plures Asiarchas suadere videtur locus ille Apostolicorum Actuum (*a*), ubi legitur, Τινὲς δὲ ϗ τῶν Ἀσιαρχῶν, *quosdam de Asiæ Principibus*, seu de *Asiarchis*, qui erant amici Paulli, misisse ad eum rogantes, ne se daret in theatrum; & Strabo, qui dicit (*b*) *semper aliquos ex* Trallianis *fuisse Principes Provinciæ, quos Asiarchas vocabant*: ἀεὶ τινες ἐξ αὐτῶν εἰσὶν οἱ πρωτεύοντὲς κατὰ τὴν ἐπαρχίαν, οὓς Ἀσιάρχας καλοῦσι. Tum etiam indicat Aristides, ubi scribit, *se tertio aut quarto loco electum* (*c*), ϗ γίνομαι τρίτος ἢ τέταρτος τῇ χειροτονίᾳ. Nam hæc verba de Asiarchia viri docti interpretantur. Leges quoq; favent, etenim (*d*) Asiarchas numero plurali habent.

(a) Cap. XIX. 31.

(b) Libro XIV. pag. 649.

(c) Serm. Sacr. IV. pag. 345. edit. Oxon. 1722.

(d) L. II. de expen. Ludor. Lib. XV. Cod. Theod. & Basilii L. 38.

Hinc Vir eruditissimus Valesius primum statuit (*e*), Συνέδρους ex omnibus iis, quos singulæ civitates Asiarchas nominaverant, decem circiter elegisse. Docere id subdidit Aristidem in quarta Orationum sacrarum, ubi se *tertium aut quartum* Asiarcham a Synedris, idest a communis Asiæ Concilio designatum esse dicit. Nos tamen plures quidem fuisse Asiarchas inde deducimus, at non videmus, quomodo heic doceat Aristides *decem* circiter Asiarchas eligi consuevisse. Opinionem tamen mutavit Vir Cl., aitque locum illum Actuum Apostolorum nihil probare, utpote quum Asiarchæ illic vocentur, qui Asiarchiæ Sacerdotium gesserant; eo plane modo, quo Pontifices Judæorum in Evangelio dicuntur, quotquot Pontificatum antea administraverant. Hinc libentius credit, unum dumtaxat fuisse quotannis Asiarcham, licet enim plures a Synedris designari solerent, id forte factum arbitratur, ut ex eorum numero unum aliquem Proconsul Romanus eligeret; quemadmodum de Irenarchis fieri solitum esse tradit Aristides in eadem Oratione. Potuisse etiam id consulto fieri a Synedris docet, ut si forte ille, qui primus Asiarcha ab ipsis fuerat designatus, fato concederet, priusquam Sacerdotii sui munus explesset, alter esset, qui ejus locum expleret. Unum porro fuisse quotannis Asiarcham apparere animadvertit ex fine Epistolæ *Smyrnensis Ecclesiæ ad Ecclesias Ponti de martyrio Polycarpi*, ubi Polycarpus dicitur passus esse sub Philippo *Asiarcha*, Proconsule autem Asiæ Statio Quadrato. Nam, si plures erant Asiarchæ, non unum tantummodo nominari debuisse tradit. At nos animadvertimus, ibidem minime dici passum Polycarpum *sub Philippo Asiarcha*, *sed sub Philippo Pontifice*, ἐπὶ Ἀρχιερέως Φιλίππου. Quamvis autem *Philippus* es-

(e) In Notis ad Cap. 15. Lib. IV. Hist. Eccl. Eusebii.

Valesius prius decem fuisse Asiarchas, postea unum tantum fuisse docuit.

set

ſet etiam *Aſiarcha*, uti illum paullo ante in eadem Epiſtola dictum legimus, τὸν Ἀσιάρχην Φίλιππον, quia tamen Urbium acta *Pontificis*, non *Aſiarcharum* nomine ſignari ſolebant, *Aſiarchæ* titulus reticetur: indeque multo magis ceterorum Aſiarcharum nomina omitti debuere. Quod ſi quis dicat, Philippum ſuperius ſaltem, ubi dicitur *Aſiarcha*, cum ceteris, ſi plures erant, nominari debuiſſe; in primis reſpondeo, non Ἀσιάρχην *Aſiarcham*, ſed Ἀγωνάρχην, quem *Munerarium* Ruffinus vertit, heic ab aliquibus (*a*) legi: ſecundo potuit multitudo compellare Philippum ſolum, non alios. Denique non eſt certum fuiſſe tunc Smyrnæ Conventum Aſiæ Aſiarcharumque communem; quamvis hoc ſentiant fere omnes. Locum accipiat Lector, & dijudicet. Proconſul (*b*) præconem mittit, qui in medio ſtadio iſtud ter prædicaret: *Polycarpus profeſſus eſt ſe Chriſtianum eſſe*. Quæ vox quum eſſet a præcone emiſſa, πᾶν τὸ πλῆθος ἐθνῶν τὲ καὶ Ἰουδαίων τῶν τὴν Σμύρναν ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΩΝ, ἀκατασχέτῳ θυμῷ καὶ μεγάλῃ φωνῇ ἐβόα: *Univerſa tum gentium, tum Judæorum multitudo* SMYRNAM HABITANTIUM *animi impetu, & bile effrenata exardeſcens clamavit*: Iſte eſt Aſiæ Doctor, iſte Chriſtianorum Pater, iſte noſtrorum Deorum everſor; iſte denique eſt, qui adeo multos perdocuit, ut neque Diis ſacrificent, neque eos adorent. Ταῦτα δὲ λέγοντες, ἐπεβόων, καὶ ἠρώτων τὸν Ἀσιάρχην Φίλιππον, ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα· ὁ δὲ ἔφη, μὴ εἶναι ἐξὸν αὐτῷ, ἐπειδὲ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια. *Quæ quum eſſent locuti, vociferari & rogare Philippum* ASIARCHAM *cœperunt, ut leonem, qui Polycarpum diſcerperet, emitteret: Hic vero reſpondere, non eſſe ei integrum, quoniam jam ferarum certamina confecta erant*. Vides Lector, dici heic multitudinem, quæ *habitabat*, non quæ convenerat Smyrnam, in Polycarpum exarſiſſe: neque vero aliunde conſtat, fuiſſe hunc Conventum Aſiæ communem.

(a) Vid. Edit. Colon. Allobrogum an. 1612. pag. 97. D. in marg.

(b) Apud Euſeb. Lib. IV. Hiſt. Eccleſ. cap. 15.

Conſentiunt cum Valeſio plures viri docti. Em. Noriſius hæc habet (*c*). In Aſia Proconſulari decem Pontifices in communi Provinciæ concilio nominabantur, ex quibus Proconſul unum quotannis deſignabat, qui vulgo *Aſiarcha* appellabatur, uti tradit Harduinus (*d*), viginti verſibus ad verbum exſcriptis ex notis Henrici Valeſii in cap. 15. Lib. IV. Hiſt. Euſebii Cæſarienſis. Unus videtur etiam eruditiſs. Spanhemio (*e*) Aſiarcha hoc munus eodem tempore adminiſtraſſe, quamvis plurium ſimul *Aſiarcharum* mentio occurrat eodem Actuum loco, & tertium aut quartum *Aſiarcham* electum ſe tradat

(c) Diſſ. III. de Epoch. Syr. Mac. cap. 7. pag. 219.

Noriſius, Harduinus, & Spanhemius Valeſio adſtipulantur.

(d) Pag. 423. Vid. p. 145. edit. 1709.

(e) Diſſ. XII. de Uſu. & Præſt. Nu. Ant. pag. 418.

dat alicubi Ariſtides. Firmare ab eo dicuntur nummi eamdem Clar. Valeſii ſententiam, quam ex commemorato uno Philippo *Aſiarcha* in Polycarpi martyrio jam ad Euſebium adſeruit, adeo tamen, ut ſtatuendum ſit omnino, aut per vices hoc munus plures impleviſſe; aut vero unum *Aſiarcham* ut reliquorum Principem conſtitutum, a quo petita ſit Faſtorum & rei geſtæ memoria. Videntur itaque viro Cl. Valeſii ſententiam firmare nummi ex eo, quod unius Aſiarchæ nomen præferunt; at nummi nomen quidem tituloſq; unius tantum, a quo nempe, ſeu ſub quo nummus cuſus eſt, præferunt, non tamen excludunt ſocios; unde & nummi eorum Imperatorum, qui ſimul regnarunt, unicum Imperatorem habere ſolent, nec tamen conſortem excludunt ab imperio. Auctor porro eſt Vaillantius (*a*), & ipſe vir Clar., Aſiarchiam fuiſſe tantum dignitatem, adeoque ſub Aſiarchæ poteſtate ſignatam non fuiſſe monetam, ſed illum, ſi Prætor aut ſummus Urbis Sacerdos Aſiarcha renuntiabatur, dignitatem illam in nummis denotare ſolitum, ut videre eſt in ipſis nummis. Laudatus porro Harduinus tradit (*b*) re ipſa unicum fuiſſe uno tempore Aſiarcham, docetque eum annuum Magiſtratum ab Urbe Roma miſſum, hominem Romanum, Præſidem ludorum, quos Commune Aſiæ ederet: quamquam ille interdum & Sacerdotio fortaſſis aliquo vel Prætura fungeretur. Id enimvero ex nummis antiquis liquere ſubdit, in quibus & unus tantum uno tempore *Aſiarcha* apparet, & idem ex nomine ſemper homo Romanus fuiſſe intelligitur. Quapropter deſcribit nummos Aſiarcharum *M. Furii*, *Frontonis*, *Ælii*, *Pollionis*, *L. Aurelii*, *Ælii Apionis*, *Tertii* & *Domitii Rufi*. In ea autem civitate Aſiæ fuiſſe Aſiarcham docet, in qua totius ejuſdem Aſiæ ludi eo anno ederentur. Atque inde concludit non fuiſſe in una Urbe Epheſo plures Aſiarchas Act. XIX. 31, ſed fuiſſe, ut habet Vulgata Editio, *Principes Aſiæ*, hoc eſt primores, nobiliores, honoratiores. At, quod heic addit vir eruditiſſimus, Aſiarcham fuiſſe Magiſtratum ab Urbe Roma miſſum hominemque Romanum, non ſatis probat ex nomine; hujuſmodi namq; nomina, etſi principio Romana eſſent, quum tamen a Romanis accepiſſent Græci, plurimi etiam in Aſia origine Romani eſſent, ab utriſque uſurpabantur, ut ex Scriptoribus ac monumentis conſtat. At vero habemus *Hermophilum* (*c*), *Philippum* (*d*), & *Cherſiphronem* (*e*) Aſiarchas, quorum

Vaillantius & Harduinus.

(a) In num. Græc. p. 312. ad nomen *Aſiarcha*.

(b) In not. ad nu. Rhodior. pag. 145 edit. Amſtel. ann. 1709.

(c) In num. Sardian. apud ipſum Hardu.

(d) Apud Euſeb. Lib. IV. Hiſt. Eccleſ. cap. 15.

(e) Marm. Oxon. num. XXVIII. pag. 95.

rum nomina Græca omnino sunt, & Strabo testatur *(a)* semper aliquos ex Trallianis fuisse *Asiarchas*.

(a) Libro XIV. pag. 649.

Et, ut de Asiarcharum numero tractare pergamus, a Jo: Malela Antiocheno Episcopo discimus, inquit Basnagius, Asiarchas vulgo fuisse numero tres: Ἀλυταρχὴς Jovem, Ἀμφιθαλὴς Mercurium, Γραμματεὺς Apollinem referebat. At, si Asiarchæ vulgo fuerunt numero tantum tres, ad solos fere Trallianos, ex quibus sc. aliquos semper Asiarchas fuisse, Strabo scribit, spectasset hæc dignitas; neq; etiam fieri potuisset, ut Aristides tertio vel quarto loco eligeretur: quin ternarius numerus sufficere non videtur ei S. Scripturæ loco, ubi dicuntur *quidam de Principibus Asiæ*, sive *Asiarchis* amici Pauli, eum rogasse, ne se daret in theatrum; nam & aliqui eorum videntur non rogasse. Joannes porro Malela diversa ibidem ab Asiarchis officia tradit; nam Leges *(b)* ipsæ *Alytarchas* ab *Asiarchis* distinguunt, ut infra videbimus; Ἀμφιθαλὴς vero & Γραμματεὺς nihil commune cum *Asiarchis* habent. Satis itaque apparet Asiarchas non fuisse tantum numero tres, quamvis numerus ipse non appareat.

Asiarchas tres facit Basnagius in Ann. Pol. Eccl. ad an. Dom. 55. num. VIII.

(b) Libro I. Cod. Justin. L. unic. de Offic. Comit. Orient. & L. XV. Cod. Theod. L. 2. de expens. ludor.

IV. Ut vero etiam nos nostram, quæcumque illa sit, proferamus opinionem, credimus plures fuisse *Asiarchas*; numerum tamen ignoramus: tum etiam credimus, unum inter ipsos *Asiarchas* eminuisse, illum scilicet, qui primus eligebatur. *Asiarcharum* itaque pluralitatem ex adlatis monumentis conligimus. In Actis enim Apostolicis *(c)* memorantur *quidam de Asiæ Principibus*, i. e. *Asiarchis*. Et Strabo scribit *(d)* *semper aliquos ex Trallianis fuisse Principes Provinciæ, quos Asiarchas vocabant*. Aristides vero testatur *(e)*, *se tertio aut quarto loco electum fuisse*. Unius autem inter ipsos *Asiarchas* primatum inde arguimus, quod idem Strabo de *Lyciarchis*, qui *Asiarchis* similes nobis videntur, scribit *(f)*, *in Concilio* Provinciæ *primum creari* consuevisse *Lyciarcham*, *tum reliquos ejusdem Magistratus Principes*. Hinc etiam credimus, *tertium aut quartum locum*, quo se electum docet Aristides, indicium ordinis & honoris esse, quibus, qui primus eligebatur, fulgebat. An vero potestate etiam supra reliquos frueretur primus *Asiarcha*, nescimus. Verosimile tamen videri potest, illum ne dum honore, sed etiam potestate, saltem aliqua, ceteris præstitisse.

Auctoris de Asiarchis opinio.

(c) Cap. XIX. v. 31.

(d) Libro XIV. pag. 649.

(e) Serm. Sacr. IV. pag. 345.

(f) Lib. XIV. pag. 665. verba græca habentur inf. nu. V.

V. Modum porro electionis eorumdem ex his, quæ de se ipso narrat *(g)* Aristides, intelligimus. Itaque scribit, *quum ineunte anno prima haberetur concio, venisse ex Populo quosdam,*

(g) IV. Sac. Serm. pag. 344.

Modus electionis Asiarcharum.

dam, ut eum vocarent, [agebat tum Smyrnæ Ariſtides]. *Poſtquam in concionem venit, & Populus more ſolito plauſum edidit, tum, qui ad eam rem ſubornati erant, commune Aſiæ Sacerdotium ei detulerunt, nec difficulter Populum in ſuam perduxerunt ſententiam. Poſtea Judices Smyrnæos in ſuperiorem Phrygiam profectos eſſe* ſubdit, *ac ſuum nomen in publico Concilio fuiſſe oblaturos. Id ille præſentiens nutricium miſit Zoſimum, ac tertio vel quarto loco eſt electus.* Verba Ariſtidis ſunt: Ἱσταμένου δὲ τοῦ ἔτους καὶ γιγνομένης ἐκκλησίας τῆς πρώτης, ἧκον ἐκ δήμου καλοῦντες με. ---. Ὡς δὲ παρῆλθον εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ὁ δῆμος τὰ εἰωθότα ἐπεθορύβησεν, ἔργου εἴχοντο παρασκευασμένοι προτοῦντές τε καὶ ΤΗΝ ΙΕΡΩΣΥΝΗΝ ΤΗΝ ΚΟΙΝΗΝ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ἀνατιθέντες μοι, καὶ τὸν δῆμον ἐπεσπάσαντο οὐ χαλεπῶς. --. Καὶ συμβαίνει μετὰ τοῦτο συνέδρους μὲν ἐξιέναι Σμυρναίων εἰς Φρυγίαν ἄνω, καὶ μέλλειν φέρειν τοὐμὸν ὄνομα ἐν τῷ Συνεδρίῳ τῷ κοινῷ. προαισθέσθαι δὲ με καὶ πέμψαι τὸν τροφέα τὸν Ζώσιμον· καὶ γίνομαι ΤΡΙΤΟΣ Η ΤΕΤΑΡΤΟΣ τῇ χειροτονίᾳ. Commune hoc Aſiæ Sacerdotium, quod Smyrnæi, non vero

(a) Ead. Diſſ. n. 12. pag. 490. Epheſii, ut Siberius ſcribit (*a*), Ariſtidi detulerunt, *Aſiar-*
(b) Leg. VI. D. de excuſat. *chiam* interpretamur ex Modeſtino in legibus; apud quem (*b*) *Provinciæ Sacerdotium* dicitur *Aſiarchia, Bithynarchia, Cappadocarchia,* ἔθνους ἱερωσύνη οἷον Ἀσιαρχία, Βιθυναρχία, Καππαδοκαρχία:
(c) L. XXXVIII. quemadmodum & in Baſilicis (*c*) τοὶ ἱεροὶ ἐπαρχέων, τουτέστιν Ἀσιάρχαι καὶ οἱ λοιποί, *Sacerdotes Provinciarum* intelliguntur *Aſiarchæ & reliqui* hujuſmodi. Notanda porro heic ſunt, quæ de Lyciar-
(d) Libro XIV. pag. 664. 665. chis Strabo tradit (*d*). „ Tres, *inquit*, & viginti ſunt Urbes, „ quæ in Lyciæ Concilio jus habent ſuffragii: ad id coeunt e „ ſingulis urbibus in eam, quæ ipſis commoda videtur, ur- „ bem. Maximæ Urbium jus habent trium ſuffragiorum, me- „ diocres duorum, reliquæ unius: eadem proportione & tri- „ buta pendunt, & reliqua obeunt munia. Artemidorus ſex „ maximas recenſet, Xanthum, Patara, Pinara, Olympum, „ Myra, Tlon, ſitam in tranſitu montis verſus Cibyram. Ἐν δὲ τῷ Συνεδρίῳ πρῶτον μὲν ΛΥΚΙΑΡΧΗΣ αἱρεῖται, εἶτ' ἄλλαι ΑΡΧΑΙ αἱ τοῦ συστήματος. *In Concilio primum creatur Lyciarcha, tum reliqui ejus* „ *Magiſtratus Principes,* [i. e. reliqui Lyciarchæ]. Publica etiam „ judicia deſignantur; nec non de bello & pace antiquitus con- „ ſultabant; nunc niſi Romanorum permiſſu, qui ad ſe eam „ tranſtulerunt poteſtatem, non licet eis, aut niſi in eorum „ commodum fiat. Judices quoque & Archontes eadem ſuf- „ fragiorum proportione e ſingulis deliguntur Urbibus “. Hæc Strabo, ex quibus omnibus conſtat *Aſiarchas* primum

ab

ab Urbibus designatos fuisse in concione, quæ ineunte circa autumnale æquinoctium anno haberi solebat; deinde nomen ejus, qui domi electus erat, in publico totius Provinciæ Concilio renuntiari consuevisse; ac tum primum Asiarcham, inde socios, suo quemque loco creatos. Hinc occurit (*a*) ΑΣΙΑΡΧΗ ΕΦΕΣΙΩΝ, *Asiarcha Ephesiorum*, qui nempe ab Ephesiis, ut videtur, fuerat electus, eisque a publico Concilio confirmatus.

(a) Tom. I. pag. CLXXXIV. n. 1. Thes. Inscr. Muratori.

VI. His absolutis animus est cum Siberio (*b*) expendendi, quibusnam præcipue rebus Asiarchæ occupati fuerint; num sacra tantum ad religionem cærimoniasque pertinentia tractarint; num vero publica quoq; munia susceperint. Eam ipse vir Cl. sententiam firmandam defendendamque sumit, quæ utrumque complectitur, quamvis eum non lateat maximos eruditioneque æstimandos viros diversa sentire. Evincere porro conatur (*c*), Asiarchas principi loco habitos fuisse, dignitate antecessisse minores Magistratus, proximeq; Proconsulem Præsidemque Asiæ secutos. In qua sententia se firmari tradit a Strabone, qui dicit ipsos πρωτεύοντες κατὰ τὴν ἐπαρχίαν. Et hoc ab ea actione argui subdit, quam Aristides Orat. IV. sacra narrat. Quum enim omnium consensu ipse Asiarcha eligeretur, Severus id suo adsensu approbans dixit: αἴτουμαι δ᾽ αὐτὸν συνάρξαι μοι, *cupio, ut mecum imperet*. Et quod, antequam Asiarcha eligeretur, ipsum Irenarcham constituerint, quod suscipere noluit. Asiarchia ergo Irenarchiam dignitate superare Siberio videtur, quod Aristides dicit se καθάπερ κλίμακος, *quasi per scalam* & gradus honoribus muneribusque admotum. Jure vero prohibitum & parte dedecoris habetur majoribus honoribus functum ad minores vocare L. LIV. Basilii tit. 3. At non bene caussam suam, si quid ego judico, agit vir eruditus: quæ enim adducit ex Aristide, aut huc non pertinent, aut contra ipsum faciunt. Nam Severus non jam, quum omnium consensu Asiarcha eligeretur Aristides, id suo adsensu approbans dixit: αἴτουμαι δ᾽ αὐτὸν συνάρξαι μοι, *cupio, ut is mecum imperet*; sed, quum designato Irenarchæ imperium seu Principatum Græcorum se ei deferre dixit. Testem advoco ipsum Aristidem, utpote qui scribit (*d*), mitti solitos quotannis statuto tempore ad Proconsulem ex Urbibus singulis nomina decem præstantissimorum Civium: quæ ille considerans aliquem deligeret ex omnibus, quem φύλακα τῆς εἰρήνης, *Irenarcham* sive *Pacis custodem* constitueret. Itaque, quum ex Mysiæ quodam oppidu-

(b) Nu. 9. p. 489.

Asiarchæ tum sacra cum civilia obibant munia ex Siberio.

(c) Nu. 14. p. 490.

(d) IV. Sac. Serm. pag. 338. Edit. Oxon. 1722. al. pag. 601.

oppidulo veniſſent ad Severum delecta nomina, ille rejectis omnibus, quotquot miſſa erant, nominibus Ariſtidi Magiſtratum detulit. Mittit deinde ad Præfectos Epiſtolam, non ad ipſos, verum ad Ariſtidem datam, quam quum illi reddidiſſent, ac juberent ipſum Oratorem litteræ, magnopere perculſus eſt. Nam nec provocare licebat, quum non exſtaret adverſarius, verum idem Proconſul nomen & dediſſet, & confirmaret; nec, cum quo quis contenderet, aut quomodo cauſſam inſtitueret, reperire. Poſtea Severus Epheſum ex altioribus locis deſcendit ad agendum Forum; eoque Ariſtidem venire juſſit. Itaque hic miſit, qui irent. Ut autem dies venit, & proclamatum eſt nomen, aderant Syndici. Hi antequam loqui cœpiſſent, Severus mox e loco ſuperiore Ariſtidem, inquit, cognoſco & gloriam admiror, atque eloquentiæ primas ferre adſentior, idque mihi Roma ab amicis ſcriptum eſt: αἴτεμαι δ᾽ αὐτὸν, ἔφη, συνάρξαι μοι, *cupio autem, ut is mecum imperet; immunitatis vero jus ipſi confirmo, ac manet*. Hæc publice dixit, & in inſtrumenta retulit. Subdit Ariſtides Proconſulem minime ſervata judicii forma detuliſſe ſibi hoc imperium, ſed inſtar beneficii petiiſſe. Et, quum inſtaret ipſe Ariſtides etiam per amicos, ut vacatio ſibi daretur, Proconſul poſtquam Pardali, qui tum amicus Ariſtidi, tum Proconſuli ipſi fuerat a puero familiaris, litteras, quibus ad eum multis de Ariſtidis

(a) Eod. Ser. IV. pag. 342. al. 608.

doctrina ſcripſerat, accepit & perlegit, nullus, inquit (*a*), de eloquentia quærit, quum aliud ſit eſſe, πρῶτον Ἑλλήνων εἶναι, καὶ ἄκρον ἐν λόγοις, καὶ ἕτερον διατρίβειν ἐπὶ τούτῳ καὶ μαθητὰς ἔχειν, *Principem Græcorum, & Oratorem ſummum, atq; aliud huic rei operam dare, & habere diſcipulos*. Ut tamen Ariſtidi gratificaretur, ad Præfectos tandem ſcripſit, jubens alium ipſi ſubſtitui. Quæ quum ita fuerint, apparet Severum non, quum *Aſiarcham*, ſed, quum *Irenarcham* deſignaſſet Ariſtidem, dixiſſe, *cupio, ut is mecum imperet*; adeo ut evinci inde non poſſit, *Aſiarchas* publica quoque munia ſuſcepiſſe.

Ariſtides prius Aſiarcha quam Irenarcha electus, contra quod ſentit Siberius.

Quæ vero ſubdit Siberius, ſi quid evincunt, hoc contra ipſum facit. Nam, ſi jure prohibitum, & parte dedecoris habetur majoribus honoribus functum ad minores vocare L. LIV. Baſilii tit. 3., & Ariſtides dicit ſe καθάπερ κλίμακος, *quaſi per ſcalam* & gradus honoribus muneribuſque admotum, *Aſiarchiam Irenarchia* dignitate ſuperabit; nam, antequam *Irenarcha* Ariſtides eligeretur, ipſum *Aſiarcham* conſtituerunt, non e

contra

contra. Humanum proinde pati mihi videtur Siberius, dum credit, Ariſtidem prius Irenarcham electum fuiſſe, quam Aſiarcham; nam, quum Orator a poſterioribus quaſi per ſcalam ad priora progrediatur, exiſtimavit, ni ego fallor, Siberius, ipſum honores & munera, quæ obtinuit, ſervato temporis ordine recenſere. Teſtis & Judex rurſum prodeat ipſemet Ariſtides. Is itaque, ubi de Irenarchia ſcribendi finem fecit, „ jam, *inquit*, quale illud eſt, quod anno proxime priore, ni fallor, „ acciderat, *Pollione Proconſule*. Quum enim in Curiam eſſem „ ingreſſus, *Coactor ſum electus* (*a*), ἠρέθην ἐκλογεύς. Poſtquam autem narravit, quomodo hoc etiam Magiſtratu liberatus eſt, & immunitatem obtinuit, de Aſiarchia dicturus, hæc præfatur. *Nunc quaſi per ſcalam ad ſuperiora progredientes, aliud quiddam, quod ante hæc accidit, memoremus* (*b*). φέρε δὴ καθάπερ κλίμακος αἰεὶ τῷ ἀνωτέρῳ προϊόντες, ἑτέρȣ τῶν ὑπὲρ ταῦτα μνημονεύσωμεν. Moxque narrationem ita inſtituit. *Quum Sophiſta ille, cujus paullo ante memini, Proconſulatum gereret, & ineunte anno prima haberetur concio, commune totius Aſiæ Sacerdotium mihi detulerunt* (*c*). Ὁ Σοφιςὴς, ȣ̃ μικρῷ πρόσθεν ἐμνήσθην, ἦρχεν. ἱςαμένȣ δὲ τȣ̃ ἔτους καὶ γιγνομένης ἐκκλησίας τῆς πρώτης — τὴν ἱερωσύνην τὴν κοινὴν τῆς Ἀσίας ἀνατιθέντες μοι. Proconſul hic Sophiſta, cujus paullo ante meminit, eſt Tatius Quadratus, *ſub quo paſſus eſt Polycarpus Eccleſiæ Smyrnenſis Epiſcopus & Joannis Apoſtoli diſcipulus* (*d*), Πολύκαρπος Σμύρνης Ἐπίσκοπος, καὶ τȣ̃ Ἀποςόλȣ Ἰωάννȣ μαθήτης — συλληφθεὶς ἐπὶ Ἀντυπάτȣ Τατίȣ Κοδράτȣ, quarto ſive ſeptimo (*e*) M. Aurelii & L. Veri Imperatorum anno. Severus autem, ſub quo Irenarcha factus eſt Ariſtides, Proconſulatum geſſit mortuo jam Lucio adſumptoque a Marco in conſortium imperii Filio Commodo, uti hæc apud ipſum Ariſtidem (*f*) ſatis indicant. Ἡμέραις ȣ̓ πολλαῖς ὕςερον ἐξ Ἰταλίας ἀφικνȣ̃νται ἐπίςολαι μοι παρὰ τῶν Βασιλέων, τȣ̃ τε αὐτοκράτορος αὐτȣ̃, καὶ τοῦ παιδὸς, ἄλλας τε εὐφημίας ἔχȣσαι, καὶ τὴν ἀτέλειαν, ἐπισφραγιζόμεναι τὴν ἐπὶ τοῖς λόγοις, εἰ τυγχάνοιμι χρώμενος αὐτοῖς. *Paucis diebus*, [poſtquam ſc. Irenarcha deſignatus eſt], *interjectis venerunt ad me ex Italia Regum litteræ tum Imperatoris ipſius, tum ejus Filii, quæ præter alias, quas continebant, laudes immunitatem confirmabant propter eloquentiæ ſtudium, ſi operam ei dare vellem.* Aſiarchia ergo ante Irenarchiam Ariſtidi delata eſt, adeoque, ſi jure prohibitum & parte dedecoris habetur majoribus honoribus functum ad minores vocare, Irenarchia *Aſiarchiam* dignitate ſuperaſſe dici debet, non e contra, ut Siberius ſcribit.

(a) Serm. IV. Sacr. pag. 343. al. 611.

(b) Pag. 344. al. 613.

(c) Pag. eadem & ſeq.

(d) Chron. Alex.

(e) Euſeb. in Chr.

(f) Eod. Serm. Sacr. IV. pag. 339

Munia civilia publica non ſpectabat Aſiarchia.

Demum ex eo, quod Strabo Aſiarchas dicit πρωτεύοντες κατὰ τὴν ἐπαρχίαν, *Primores Provinciæ*, non illico conſequitur publica quoque munia civilia, ut Siberius contendit, eoſdem ſuſcepiſſe; novimus enim Urbes, quæ in his ipſis Conventibus *Primæ* vocabantur (*a*), honoris, non vero poteſtatis obtinuiſſe *Primatum*. Neque tamen inficior, *Aſiarchas* principi loco habitos fuiſſe, dignitate anteceſſiſſe minores Magiſtratus, proximeque Proconſulem, Præſideſque Aſiæ ſecutos; at ſacrorum reſpectu: publica vero munia civilia ſuſcepiſſe nondum conſtat. Admovebantur quidem & ipſi ad Reipublicæ adminiſtrationem, unde & Prætores, nummis teſtibus eoſdem egiſſe intelligimus; at vero *Aſiarchia*, quum eſſet Sacerdotium, ſacra tantum ludoſque Communis Aſiæ reſpiciebat: nam reliqua per Præſides ac Judices adminiſtrabantur, quorum illi rebus publicis, hi privatis præſidebant una cum Proconſule ceteriſque Romanis Magiſtratibus. Hinc Strabo de Lyciæ Concilio agens, ubi ſcripſit, primo loco creari ſolitos Lyciarchas, ſubdit deſignari in eo conſueviſſe etiam *Judicia*; & hæc olim, quin & adhuc ſuo tempore de bello ac pace conſultaſſe, Romanorum tamen permiſſu, aut, ſi in Romanorum commodum fieret. Ariſtides etiam Præſidum ac Judicum ſæpe meminit, præſertim hac ipſa, quam præ manibus habemus, Oratione inter ſacras quarta, ut ex iis, quæ inde deſcripſimus, ſatis conligi poteſt. Videntur etiam *Acta Apoſtolica* noſtram ſtabilire opinionem, ubi cauſſam Paulli in communi apud Epheſum Aſiæ Concilio ita exponunt (*b*). „ Paullus „ remanſit ad tempus in Aſia. Facta eſt autem illo tempore „ turbatio non minima de via Domini. Demetrius enim qui„ dam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, „ præſtabat artificibus non modicum quæſtum: quos convo„ cans & eos, qui hujuſmodi erant opifices, dixit: Viri ſcitis, „ quia de hoc artificio eſt nobis acquiſitio: & videtis & audi„ tis, quia non ſolum Epheſi, ſed pæne totius Aſiæ Paullus „ hic ſuadens avertit multam turbam dicens: Quoniam non „ ſunt Dii, qui manibus fiunt. Non ſolum autem hæc peri„ clitabitur nobis pars in redargutionem venire, ſed & magnæ „ Dianæ Templum in nihilum reputabitur, ſed & deſtrui in„ cipiet Majeſtas ejus, quam tota Aſia & Orbis colit. His au„ ditis repleti ſunt ira, & exclamaverunt dicentes: Magna „ Diana Epheſiorum. Et impleta eſt civitas confuſione, & impetum

(a) Vid. Animad. de Primatu Urb.

(b) Cap. XIX. a v. 22. ad finem.

„ impetum fecerunt uno animo in theatrum rapto Gajo &
„ Ariſtarcho Macedonibus, comitibus Paulli. Paullo autem
„ volente intrare in Populum, non permiſerunt diſcipuli. *Qui-*
„ *dam autem & de Aſiæ Principibus*, [i. e. Aſiarchis, τινὲς δὲ καὶ τῶν
„ Ἀσιαρχῶν], qui erant amici ejus, miſerunt ad eum rogantes,
„ ne ſe daret in theatrum. Alii autem aliud clamabant; erat
„ enim Eccleſia confuſa: & plures neſciebant, qua ex cauſsa
„ conveniſſent. De turba autem detraxerunt Alexandrum,
„ propellentibus eum Judæis. Alexander autem manu ſilen-
„ tio poſtulato, volebat reddere rationem Populo. Quem ut
„ cognoverunt Judæum eſſe, vox facta una eſt omnium, quaſi
„ per horas duas clamantium: Magna Diana Epheſiorum.
„ Et, quum ſedaſſet Scriba turbas, dixit: Viri Epheſii, quis enim
„ eſt hominum, qui neſciat Epheſiorum civitatem cultricem
„ eſſe magnæ Dianæ, Joviſque prolis? Quum ergo his con-
„ tradici non poſſit, oportet vos ſedatos eſſe, & nihil temere
„ agere. Adduxiſtis enim homines iſtos neque ſacrilegos, ne-
„ que blaſphemantes Deam veſtram. Quod ſi Demetrius &,
„ qui cum eo ſunt, artifices, habent adverſus aliquem cauſſam,
„ Conventus forenſes aguntur, & Proconſules ſunt, accuſent
„ invicem. Si quid autem alterius rei quæritis, in legitima
„ Eccleſia poterit abſolvi. Nam & periclitamur argui ſeditio-
„ nis hodiernæ, quum nullus obnoxius ſit, [de quo poſſimus
„ reddere rationem], concurſus iſtius. Et, quum hæc dixiſ-
„ ſet, dimiſit Eccleſiam". Ex quibus clare elucet tres tum Epheſi in publico Concilio exſtitiſſe Magiſtratus, quorum unus ſacra curaret, alter eſſet forenſis, tertius Rempublicam adminiſtraret. Quum itaque religionis accuſaretur Paullus, quidam ex Aſiarchis, ad quos hujuſmodi judicium pertinebat, amici ejus, miſerunt ad eum rogantes, ne ſe daret in theatrum. Scriba vero, quum Paullum & ſocios a ſacrilegio & blaſphemia purgaſſet, ſubdidit, ſi quam cauſſam privatam haberet Demetrius, Conventus forenſes agi; ſi quid autem alterius rei, publicæ ſcilicet quæreretur, in legitima Eccleſia coram Præſidibus poſſe abſolvi.

VII. Neque vero dubitandum, quin res ſacras *Aſiarchia* reſpiceret; nam, ut diximus, *Sacerdotium Provinciæ* appellatur in legibus (*a*) *Aſiarchia*, *Bithynarchia*, *Cappadocarchia*, ἔθνους ἱερωσύνη οἷον Ἀσιαρχία, Βιθυνιαρχία, Καππαδοκαρχία: & in Baſilicis (*b*) *Sacerdotes Provinciarum* dicuntur *Aſiarchæ*, οἱ ἱερεῖς (c) ἐπαρ-

(a) Lib. VI. D. de excuſat.
(b) L. XXXVIII.
(c) Sic melius leges etiam ſupra pag. 230.

χεῶν, τουτέστιν Ἀσιάρχαι : quemadmodum etiam *Sacerdotii Phœniciarchiæ*, vel *Syriarchiæ* alibi (*a*) mentio habetur. Exſtat quoque lex (*b*) *ſuper ordinando Sacerdote Provinciæ*. Expreſſe vero dicuntur a Dione *Aſiarchæ Sacrorum omnium Præſides* ; Ἀσιάρχαι ἀπάντων ἄρχοντες τῶν ἱερῶν. Hinc Ariſtides, quum commune hoc totius Aſiæ Sacerdotium ei delatum eſſet, perſuadebat populo, ut hac oblata dignitate, Æſculapii Sacerdotium potius tribueret; cujus templum ad exteriorem Smyrnæ portum exſtruebatur. Quin & reſponſum ejuſdem ſatis placebat, poſtquam dixerat ſe, qui nihil nec magnum nec parvum ſine Dei conſenſu poſſet agere, etiam conſecrari nolle, priuſquam Deum ſciſcitatus eſſet.

(a) Lib. V. Cod. L. 5. de natur. liberis.
(b) Cod. Theod. Lib. XII. L. 148. de Decurion.

Sacra reſpiciebat Aſiarchia.

Aſiarcham tamen a Summo Aſiæ Sacerdote diſtinguimus, contra quod facit eruditiſſimus P. Eraſmus Froelich (*c*), qui ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ, ait, *Supremus in Aſia ſacrorum Antiſtes, unde &* ΑΣΙΑΡΧΗΣ *dictus eſt; quemadmodum & in Rhodiorum numiſmatis juncta habentur:* ΑΣΙΑΡΧΟΥ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. *& in Epiſtola Smyrnæorum de Martyrio S. Polycarpi, eadem Perſona jam* ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ, *jam* ΑΣΙΑΡΧΗΣ *compellatur*. At potuit utroque nomine gaudere, fungique utroque munere, ut jam notavimus; quin, quum *Aſiarchæ*, & *Summi Aſiæ Sacerdotis* nomina juncta habeantur, diverſam notionem ac diverſa munera reſpexiſſe dignoſcuntur: quemadmodum videmus quoque *T. Flavium Gajanum* cum diſtinctione appellari ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ΚΟΙΝΟΥ ΤΩΝ ΓΑΛΑΤΩΝ ΓΑΛΑΤΑΡΧΗΝ, *Summum Sacerdotem Communis Galatarum* & *Galatarcham* (*d*). Sæpius autem videmus aliquem appellari vel ſolum *Aſiarcham* vel ſolum *Summum Sacerdotem*, adeo ut diſtinctus Magiſtratus officiumq; diſtinctum illud *Aſiarchæ* ab illo *Summi Sacerdotis* appareat.

(c) Cap. 5. Differ. Compend. de utilitate Rei numar. veter p. 53. Edit. an. 1737.

Aſiarcha diverſus erat a ſupremo Aſiæ Antiſtite.

(d) P. DCXXX. nu. 3. Theſ. Inſcr. Murator.

VIII. Inter alia vero ludi, qui in Deorum honorem edebantur, quum eſſent ſacri, Aſiarcharum curæ commiſſi erant. *Cunctos Judices admonemus*, [ſunt verba legis (*e*)], *ut ludorum quidem, quibus moris eſt, interſint feſtivitati, & oblectamentis favorem eliciant populorum. Verum expenſarum non excedant duorum ſolidorum librata impendia: nec inconſulta plauſorum inſania Curialium vires, fortunas Civium, Principalium domus, Poſſeſſorum opes, Reipublicæ robur evellant; exceptis Alytarchis, Syriarchis, Agonothetis, itemque* ASIARCHIS, *& ceteris, quorum nomen votiva feſtivitatis ſolemnitas dedicabit*. Hinc de Apulejo D. Auguſtinus (*f*); *Cui Sacerdoti Provinciæ pro magno fuit, ut munera*

Ludos Sacros curabant Aſiarchæ.

(e) Lib. XV. Cod. Theodoſ. L. 2. de expenſ. ludor.

(f) Epiſt. ad Marcellin. quæ eſt in ord. CXXXVIII.

nera ederet, venatoresque vestiret. Et ante ipsum Tertullianus de ludis ipsis exclamarat (*a*): *Quid ergo mirum, si apparatus agonum conspurcat de coronis prophanis, de Sacerdotalibus Præsidibus, de Conlegiariis Ministris?* In actis martyrii S. Polycarpi legitur (*b*), universam multitudinem, quæ Smyrnæ erat, *clamasse & Philippum Asiarcham rogasse, ut leonem, qui Polycarpum discerperet, emitteret. Hic vero respondit non esse ei integrum, quod jam ferarum certamina confecta erant.*

(a) De Spect. c. 11.

(b) Apud Euseb. Lib. IV. Hist. Eccles. cap. 15.

Magnis inde constabat impensis hæc dignitas, adeoque decretum (*c*) legimus, *ut ad subeunda Patriæ* hujusmodi *munera dignissimi & meritis & facultatibus eligerentur*. Et Strabo, quum dixisset (*d*) *Trallim Urbem civibus optime frequentatam, ut ullam Asiaticarum aliam opulentis*, subdit ideo *semper aliquos eorum exstitisse Principes Provinciæ nempe Asiarchas*. Συνοικεῖται δ' καλῶς εἴ τις ἄλλη τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ὑπὸ εὐπόρων ἀνθρώπων, καὶ ἀεί τινες ἐξ αὐτῶν εἰσὶν οἱ πρωτεύοντες κατὰ τὴν ἐπαρχίαν, ὃς Ἀσιάρχας καλοῦσιν.

(c) Cod. Theod. Lib. XII. L. 148. de Decurion.

(d) Lib. XIV. pag. 649.

Magnis constabat impensis Asiarchia.

IX. Probabile vero est Asiarchiam annuum fuisse Magistratum; nam in ea concione, quæ ineunte anno haberi solebat, illam sibi delatam scribit (*e*) Aristides, & quotannis in publico Concilio novi Magistratus creabantur. Unde Siberio adsentiri non possumus, ubi tradit (*f*) hoc munus cum vita, si quis volebat, durasse; præterquamquod nemo facile ejusdem impensis par fuisset. Neq; etiam placet, quum subdit inscriptionem a se §. 13. (*g*) adductam id declarare, dum Aurelius Pergamenorum Asiarcha διὰ βίου, i. e. *per vitam* huic muneri præfuisse perhibetur; nam etiamsi inscriptio hoc modo legeretur, uti eam ipse exhibet: M. Αὐρ. Διάδοχον ἱππικὸν τὸν ἐν Περγάμῳ καὶ Ἀρχιερέα κατὰ τὸν αὐτὸν καῖρον τῆς πατρίδος διὰ βίου, ei minime adhuc suffragaretur, quum non *Asiarcha*, sed *Pontifex ad vitam patriæ* in ea dicatur *M. Aurelius*. At vero ita habet inscriptio (*h*): Η ΠΑΤΡΙΣ Μ. ΑΥΡ. ΔΙΑΔΟΧΟΝ ΙΠΠΙΚΟΝ ΤΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΝΑΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΕΡΓΑΜΩΙ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ ΚΑΙΡΟΝ ΤΗΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΚΑΙ ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΒΟΥΛΑΡΧΟΝ κ. λ. *Patria* honorat *M. Aurelium Diadochum Equestrem, Pontificem Asiæ Templorum, quæ sunt Pergami, & Pontificem eodem tempore Patriæ suæ* (*i*), *& perpetuo Principem Senatus* &c.; ubi *Princeps Senatus ad vitam* dicitur, non vero *Asiarcha*.

Annuum munus fuisse videtur Asiarchia.

(e) Orat. IV. Sacr. pag. 344.

(f) Nu. 15. p. 490.

(g) Potius 12.

(h) Apud eumd. Spon. a quo Siberius descr. Tom. III. Itin. pag. 114.

(i) Thyatiræ, apud quam effossus est lapis.

X. Neq; demum placet Siberius, dum addit (*k*), hoc munus fuisse in aliquibus patrimoniale & hereditarium, ubi quis

(k) Num. 16.

Asiarchiæ munus non erat patrimoniale aut heredit.

quis jure ſucceſſionis adſtrictus erat id ſuſcipere, niſi quinque liberorum numero ſubnixus *ff. de excuſat. muner.* Contendit quidem ipſe, hoc partim jure, partim inde patere, quod Scopeliani Aſiarchæ πρόγονοι *progenitores* eamdem dignitatem obtinuerint. At probandum erat Scopeliani progenitores jure ſucceſſionis, non vero per electionem ad id officium admotos fuiſſe, quod minime conſtat. Ea vero, quam citat, lex ita de omnibus indiſcriminatim habet: *In Aſia Sacerdotium Provinciæ ſuſcipere non coguntur numero liberorum quinque ſubnixi*: aliunde vero probatur, populorum ſuffragiis *Aſiarchas* fuiſſe electos. Præterea, quum Aſiarchiæ munus magnis conſtaret impenſis, illud ſibi aliquam familiam in perpetuum ſuſcepiſſe, aut ei a legibus delatum eſſe, veroſimile non eſt. Demum videmus, *M. Julium Aurelium Dionyſium* inſcribi (*a*) B. ΑΣΙΑΡΧΗΝ, *bis*, ſeu *altera vice Aſiarcham*; quod factum non fuiſſet, ſi *Aſiarchia* perpetuum fuiſſet munus. *Titus* vero *Flavius Munatius*, qui Aurelium Dionyſium inſcriptione honoravit, *Aſiarcha* tantum appellatur; & ſimul *Scriba Epheſiorum* dicitur. *Apion* quoque comparet (*b*) ΑCΙΑΡ. ΤΟ Β. ΥΠΑΙΠΗΝΩΝ, *Aſiarcha iterum Hypæpenorum*. Exhibet etiam Inſcriptio Smyrnæ inventa (*c*) *Marcum Aurelium* filium *Charidemi Julianum* ΔΙΣ ΑΣΙΑΡΧΗΝ, *altera vice Aſiarcham*. Alia vero Inſcriptio Ancyræ Metropolis Galatiæ repræſentat (*d*) *Titum Ælium Flavianum Sulpicium* ΔΙΣ ΓΑΛΑΤΑΡΧΗΝ, *Bis Galatarcham*. Idem porro erat in Galatia *Galatarcha* atque *Aſiarcha* in Aſia Proconſulari. Alia ejuſdem Urbis Ancyræ Inſcriptio (*e*) habet *Cajum Flavium Sulpicianum* pariter ΔΙΣ ΓΑΛΑΤΑΡΧΗΝ, *Bis Galatarcham*.

(a) Apud Murat. Theſ. Inſcr. pag. CLXXXIV. 1.

(b) Apud Vaill. in Græc. Sep. Sev. pag. 89.

(c) Apud Murat. Theſ. Inſcr. pag. DLIX. num 3.

(d) Ibidem pag. DCLXVII. nu. 6.

(e) Ibidem pag. DCCI. num. 5.



ANI-

ANIMADVERSIO XII.

DE PONTIFICIBUS GRÆCORUM ET ARCHONTIBUS.

I. 
Nimadversioni de *Asiarchis* illam de Ἀρχιερεῦσι, h.e. *Summis Sacerdotibus*, seu *Pontificibus* Græcorum subtexere, necessarium credimus; quia res sacræ utrosq; conjungunt. De *Archontibus* vero una simul tractamus, quia litteras APX., quæ passim in nummis occurrunt, alii de *Pontificibus*, alii de *Archontibus*, ut etiam nos in *Commentariis* (*a*) fecimus, interpretantur. Utraque porro explicatio exemplis & ratione defenditur: nam æque frequentes sunt in nummis & lapidibus Græcarum Urbium, tum etiam apud Scriptores *Archontes* ac *Pontifices*; & horum illorumque nominibus acta publica signari consuetum fuit. Quare, si quis unam potius quam aliam interpretationem admittere velit, per nos licet etiam in ipsis *Commentariis*; neutram enim hucusque adoptavimus. Breviores porro heic erimus, nec enim longiori tractatu opus esse credimus

(a) Pag. 97. 102. 106. 114. 160.

II. Notum itaque est, nedum Athenienses, sed etiam plurimas alias Urbes, sive illorum essent Coloniæ, sive leges moresque eorum sequerentur, aut nomen ipsum placeret, *Archontas* habuisse. Præterea eodem sensu usurpabatur Ἄρχων & Στρατηγός: hoc autem nomine sæpius indigitabantur, qui Græcis Urbibus, Asiaticis maxime præsidebant. Hinc legitur in Glossis: Στρατηγός, *Magistratus*, *Duumvir*, *Prætor*: Στρατηγία, *Magistratus*, *Duumviratus*. Et apud Modestinum (*b*) ὁ τῆς πόλεως Ἄρχων, τουτέστιν Στρατηγός, *Urbis Archon*, h. e. *Strategus*. Quare dixit Julianus, (*c*) Constantinum M. appellari voluisse Στρατηγόν, *Strategum* Atheniensium; quem alii *Archontem* dixissent. Hadrianus, inquit Spartianus (*d*), *Athenis Archon fuit*. Et Trebellius Pollio *Gallienus*, ait (*e*), *apud Athenas* Ἄρχων *erat; id est Summus Magistratus*. Quapropter litteræ APX. in nummis & inscriptionibus Græcarum Urbium de *Archontibus* intelligi & explicari commode possunt. Accedit, quod aliquando duo simul APX. occurrunt in eodem nummo; ac tum nonnisi *Archontes* intelligi merito posse videntur. Quod si APXON. legatur, ut fit in quodam nummo *Sardianorum* Caracallæ cuso (*f*), nullus nedum

Archontas Urbes plurimæ habuerunt.

(b) Lib. XXVII. Dig. Tit. I. de excusat. Leg. XV.

(c) Orat. I. p. 14.

(d) In vita cap. 19

(e) In vit. cap. 11.

(f) In Thes. Gall. Reg. & apud Vaillan. in Græc. Caracal. pag. 109. & Harduin. in num. Pop.

remanet

remanet dubitandi de *Archonte* locus, ſed etiam reliqui ejus Urbis nummi, in quibus eſt ſolum APX, *Archontibus* jure addicuntur. Favet etiam, quod, quum non unus tantum eſſe ſoleret *Archon*, occurrit non raro APX. A. *Archon primus*; vel APX. A. TO B., *Archon primus iterum*, ac etiam TO Γ. *tertium*.

Litteræ APX. aptari poſſunt etiam Pontificibus

III. E contra non deſunt rationes & exempla etiam pro *Pontificibus*. Notum pariter eſt, in Græcis Urbibus nedum *Sacerdotes*, ſed etiam *Pontifices* fuiſſe. Quin erant quoque *Pontifices* Communium atq; Provinciarum. Et hi omnes honore multaque in ſacris poteſtate gaudebant; unde acta plurima nummoſque ſuo nomine ſignabant. Vidimus (*a*) Leonem Cæream *Sacerdotem perpetuum*, ſeu *ad vitam Templi Glyconis*; erant enim Sacerdotes & Pontifices alii ad tempus, alii perpetui, ac nonnulli per genus (*b*). Frequentes ſunt in antiquis monumentis *Sacerdotes* & *Pontifices*, ſeu *Summi Sacerdotes*: & hi quidem deſignantur per litteras APX. APXI. APXIE. APXIEP. Vidimus (*c*) *Frontonem* & *Eutychen* APXIE. ΓΙ ΠΟΛΕΩΝ, *Pontifices* XIII. *Civitatum*. Exhibuimus (*d*) etiam T. Flav. Gajanum *Pontificem Communis Galatarum*, & ſimiliter alium quemdam habet Gruterus (*e*). Paſſim vero occurrunt *Pontifices Templorum Aſiæ* Proconſularis, quæ erant *Pergami*, *Smyrnæ*, *Epheſi*, & alibi. Alii quoque aliorum Communium ac Provinciarum habentur *Pontifices*. Erat vero etiam inter ipſos *Primatus*; hinc eſt in nummo (*f*) *Temenothyrenſium Nicomachus* APX. vel APXIEP. A. TO B. *Pontifex Primus iterum*: in eorum tamen nummis (*g*) occurrit etiam *Cleobulus* APXΩN A *Archon primus*. Proſtant quoque nummi *Daldaniorum* Lydiæ cuſi (*h*) *ſub Hephæſtione* APXIEP. & rurſus APX. A. (*i*). Jam notavimus (*k*) Maximinum Dazam *Provinciis* (*l*) *ex altiore dignitatis gradu ſingulos quaſi Pontifices ſuperpoſuiſſe*; & Julianum Apoſtatam Theodoro Ἀρχιερεῖ *Pontifici Aſiæ* commiſiſſe (*m*), *ut omnibus Aſiæ ſacris præeſſet, & regionis ac Urbium Sacerdotibus imperaret*. Atq; hæc ſint ſatis, ut conſtet, litteras APX. in nummis & lapidibus tam de *Pontificibus*, quam de *Archontibus* explicari poſſe; niſi peculiaris aliqua ratio, quæ ſane in his rebus quærenda eſt, unam potius quam aliam explicationem poſtulet.

(a) Tab. XX. nu. 3. p. 55. Muſ. Piſ.
(b) Vid. Philoſtr. in Scopel. & Evodiano, Herodot. Lib. II. c. 37. de Ægypt., & Spon. Miſc. n. 93. Græc.
(c) N. II. Anim. de Aſiarch. pag. 224.
(d) N. VII. ejuſ. Animadver. de Aſiarch. pag. 236.
(e) Vid. Van Dale Diſſ. III. de Pont. Græc. & Aſiarch. cap. 3. pag. 292.
(f) In num. Theſ. Gall. Reg. apud Harduin. in num. Pop.
(g) Apud eumd. ex eod. Theſ.
(h) Apud Van Dale ead. Diſſ. III. c. 2. pag. 268.
(i) Apud eumd. ibid.
(k) Animadv. de Pont. Max. nu. VI. pag. 65.
(l) Lactant. de Mort. Perſ. c. 36.
(m) Epiſt. LXIII. pag. 452.



ANIMADVERSIO XIII.

DE PERPERENORUM EPOCHA

AD NUMMUM TERTIUM TABULÆ XX.



DE hac Epocha ne dum ſilent Auctores tum antiqui tum recentiores, ſed nec ullum in nummis, præterquam in noſtro aliove comparet, quod ego ſciam, veſtigium. Quin de ipſa *Perperenorum* Urbe perpauci, iique perpauca tradunt, adeo ut ea inferioris ordinis fuiſſe videatur. Quare admodum difficile eſt de ejus Epocha aliquid ſtatuere: nec niſi conjicere & ariolari poſſumus. Profert Harduinus (*a*) eum M. Aurelii nummum, in quo Bacchus inſculptus, cum urceo & cane, ac cujus ectypum Sirmondus ejuſdem Clariſſimæ Societatis Jeſu ex Ligorii Collectaneis in Antitriſtano II. vulgavit pag. 27. *Epigraphe in ambitu ejuſmodi eſt, perturbata quidem*, inquit Harduinus, *neque adhuc a quoquam tentata*. ΓΛΑΤΚΩΝΟC ΕΤΟΤC ΠΕΡΠΕΡΗ ΑΝΕΘΗΚΕ ΙΕΡΟC ΔΙΑ ΒΙΟΤ ΤΩ CΕΒ. ,*nunc primum a nobis ſic explanata: Ex inferiore nummi ora, hæc accipienda primum:* ΓΛΑΤΚΩΝ. Ο.CΕΤΟΤC. ΠΕΡΠΕΡΗ. *Ex ſuperiore* ΙΕΡΕΤC ΔΙΑ ΒΙΟΤ. *E latere dextro deinde* ΑΝΕΘΗΚΕ. *E ſiniſtro demum*, ΤΩ CΕΒ. *Quæ ſunt deinde ſic copulanda:* Γλαύκων ὁ Σέτους, (*forte* ὁ Γέτȣ) Περπερηνῶν Ἱερεὺς διὰ βίου ἀνέθηκε τῷ Σεβαςῷ. *Glaucon Getæ filius Perperenorum Sacerdos perpetuus Auguſto poſuit*. Ita eruditiſs. Harduinus. Nos vero duce numiſmate Piſano, quod ita habet: ΕΠΙ ΛΕΩΝΟC ΚΑ. ΙΕΡΕΟC ΔΙΑ ΒΙΟΤ ΤΩ CΕΒ. ΓΛΤΚΩΝΟC ΕΤ. ΗΠ. ΠΕΡΠΕΡΗ., in primis credimus in nummo, cujus ectypum Sirmondus ex Ligorii Collectaneis vulgavit, deficere nomen Sacerdotis, ſub quo cuſus ipſe nummus, quique in noſtro eſt *Leo Cæreas*. Hinc legimus ΑΝΕΘΗΚΕ ΙΕΡΟC (pro ΙΕΡΕΤC) ΔΙΑ ΒΙΟΤ ΤΩ CΕΒ. ΓΛΑΤΚΩΝΟC ΕΤΟΤC .... ΠΕΡΠΕΡΗ. Ita ut ſenſus ſit: *Faciendum curavit*, ſeu *dedicavit Sacerdos perpetuus Templi Glauconis anno ... Perperenorum*: quemadmodum Piſani numiſmatis epigraphen explicamus; *Sub Leone Cærea Sacerdote perpetuo Templi*, ΤΩ CΕΒάσματι, (*b*) *Glyconis anno* LXXXVIII. *Perperenorum*. Quibus in rebus ni fallimur, utrumque nummum annos Perperenorum inſculptos

(a) In num. Pop. & Urb.

(b) Vid. Com. in hunc nummum.

(a) Ibid.

habuisse, utrumque etiam eidem Glyconi, de quo alibi (*a*), dedicatum esse constat. Dolemus quidem annorum notas in Ligorii nummo detritas: quippe, si exstarent, lucem annorum notis, quæ in nummo nostro conspiciuntur, adfunderent, vicissimque ab his acciperent. At, quum vox ΕΤΟΥϹ *anni* maneat, aliquod Epochæ Perperenorum fundamentum seu vestigium manet. Hinc fidentius etiam de ipsa Epocha, quæ in nostro legitur, inquirimus. Satis itaque habemus ad credendam Epocham; at non satis habemus ad statuendum ejus principium. Observamus tamen, laudatum Harduinum (*b*) describere e suo Museo alium Perperenorum nummum inscriptum ΝΕΡΩΝΟϹ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΗΓΕΜΟΝΙΑ: in altera nummi parte ΠΙΡΠΕΡΗΝΩΝ. Dicitur a Viro Cl. nummus æreus, mole perexiguus, forma & arte non inelegans, signatus utraque ex parte, hinc Genii popularis capite laureato, vultu muliebri; hinc uva prægrandi, qua designatur ubertas vini: cujusmodi ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ, ΚΝΙΔΙΩΝ, ΘΑΣΙΩΝ, nummos alios videmus, racemis pariter eamdem ob caussam, & Bacchi capite, vel tota figura insignes. Subdit Harduinus *gloriari in isto nummo Perperenos, Neronem Claudium, qui Imp. Augustus, eumdem suæ Civitatis* ἡγεμόνα, *Præsidem esse*. Hinc facilis conjectura, Neronem, qui Præsidem *Perperenorum* agere dignatus est, non hoc tantum honore, qui tamen præcipuus, verum etiam plurimis beneficiis eam Urbem civesque prosecutum esse; adeoque *Perperenos* honoribus ac beneficiis a Nerone cumulatos novam in ejus memoriam excogitasse, atque instituisse Epocham. Hoc quidem pronum est credere.

(b) In num. Pop. & Urb.

At, ut verum fatear, oritur mox difficultas. Nero namque imperare ac vivere desiit die IX. Junii anno U. Conditæ DCCCXXI (*c*): Marcus autem Aurelius, cujus est numisma Pisanum, imperare cœpit die VII. Martii anno U. C. DCCCCXIIII (*d*), adeoque inter Neronem & Marcum fluxerunt anni XCIII, qui excedunt numerum annorum, qui leguntur in eodem numismate: heic enim est annus tantum ΠΗ, LXXXVIII: & Marcus ipse nedum ΚΑΙ. *Cæsar*, verum etiam ΑΥ. *Imperator* in eo inscribitur, & corona laurea ornatur.

(c) Chr. 68.

(d) Chr. 161.

Huic tamen difficultati satis occurritur, si dicatur, cusum fuisse hunc nummum ante annum U. C. DCCCCXIIII; quo tempore Marcus Antonino nondum successerat. Neq; vero obstat titulus seu prænomen *Imperatoris*; nam, ut alibi (*e*) persua-

(e) Animadv. I. de *Imperatoris* nomine n. XXV. & seq. item Animad. II. de Cæsar. num. VI. Vid. etiam Animadv. IIII. de Aug. num. VI. & VII.

persuadere conamur, *Imperatores* appellabantur a Græcis etiam puri Cæsares. Marcus præterea jam tum erat *Tribunicia* (*a*) *Potestate donatus atque imperio extra Urbem Proconsulari, addito jure quintæ relationis*. Iniit porro *Tribuniciam Potestatem* XV. (*b*) vivo adhuc Antonino, adeo ut anno U. C. DCCCC. (*c*) Tribunicia Potestate imperioque Proconsulari primum ornatus sit. Inter mortem autem Neronis & hunc annum nonnisi LXXIX anni fluxerunt: hinc annus LXXXVIII, qui in numismate Pisano occurrit, commode ab imperio Neronis ad annos, *nongentesimo* U. C. posteriores pertingere potest.

A quo tamen imperii Neronis anno derivanda hujusmodi Epocha sit, incertum. Quod si conjecturis adhuc indulgendum, verosimile est, tum institutam, quum in proximo, in Achaja (*d*) scilicet Nero degebat, ac canendo, aurigando, & citharistam agendo navabat operam: quippe certamina hujusmodi obiit omnia (*e*); nam & ea, quæ diversissimorum temporum erant, cogi in unum annum, quibusdam etiam iteratis jussit. Præterea *in Achaja* (*f*) *Isthmum perfodere adgressus* est. Non legimus quidem, ex Achaja in vicinam Asiam, ubi *Perpereni*, Neronem trajecisse: at vero legimus (*g*), *instituisse civitates, apud quas musici agones edi solebant, omnes citharœdorum coronas ad ipsum mittere*. Dicitur præterea, quod Achaja decedens (*h*), *provinciam universam libertate donavit*.

At, ut rursus verum fatear, præterquamquod nulla heic *Perperenorum* mentio, Achaja ipsa hujusmodi Epocha præcelleret, siquidem Neronis ibi mora occasionem instituendis Epochis præbuisset: quod tamen non constat. Hinc potius conjicere debemus, ortam esse apud *Perperenos* Epocham ex communi cum Nerone erga Bacchum cultu, & ex eo, quod Perpereni honores laudesque præcipuas Neroni exhibuerint; & Nero pariter honores ac beneficia plurima in *Perperenos* effuderit. *Perperenorum* itaque cultus erga Bacchum satis ex eorum nummis patet: Nero autem Bacchum imitari voluit, aut etiam alter Bacchus videri: unde in ejus nummis (*i*) & picturis (*k*) Bacchanalia exhibita. Discimus porro ex Josepho (*l*), Neronem in Achaja fuisse Δίου μηνὸς (*m*), *mense Dio*, qui correspondebat Novembri Romano, δωδεκάτῳ ἔτει τῆς Νέρωνος ἡγεμονίας, *anno duodecimo imperii*. Defluxit annus *duodecimus* Neronis majori ex parte cum anno U.C. DCCCXVIII (*n*), siqui-


(a) Capitol. in Vit. c. 6.
(b) Vid. Animad. de Trib. Pot. n. XXIIII.
(c) Ibid.
(d) Suet. in Vit. c. 19. & 22.
(e) Id. c. 22. & 23.
(f) Id. c. 19.
(g) Id. c. 22.
(h) Id. c. 24.
(i) Apud Mediob. p. 94. & apud Havercamp. in Diss. de Num. Contorn. pag 57. Tab. IV. nummor. n. 9
(k) Romæ effossis in hort. Farnes., quas Parmæ videre licuit apud Serenifs. Ducem.
(l) De Bello Lib. II. c. 20 alias 25.
(m) Id. eod. Lib. c. 19. alias 24.
(n) Chr. 65.

ſiquidem annus ipſe XII. juxta morem Joſephi, qui incompletis annis uti ſolet hujuſmodi in rebus (*a*), computetur: aut cum anno U. C. DCCCXIX. annus imperii Neronis XII. defluxerit majori ex parte, ſi quis annis completis uſum heic Joſephum velit. Uni porro aut alteri anno adfigi poſſe videtur Epochæ Perperenorum principium. Ac tunc annus ejuſdem Epochæ LXXXVIII, qui in noſtro numiſmate occurrit, initium habuiſſet anno U. C. DCCCCV, aut ſequenti: quo tempore *Tribunicia Poteſtate* ornatus erat, & *imperio extra Urbem Proconſulari* pollebat Marcus Aurelius, cujus nummus eumdem annum LXXXVIII. Perperenorum exhibet.

(a) Vid. Animad. de Trib. Pot. num. XV.

Quod ſi ΗΓΕΜΟΝΙΑ in nummo Harduini non quidem *Præſidem*, ut is explicat, ſignificet, ſed *imperium*, quemadmodum τὴν Νέρωνος ἡγεμονίαν apud Joſephum modo interpretati ſumus, uti res poſtulat, *Neronis imperium*: adhuc tamen ad aliquod præcipuum Neronis erga Perperenos beneficium Epocha ipſa referenda eſt. Et, ſi ejus principium in poſtremos Neronis annos differri non placet, quin in priores retrahere quis velit; adhuc locus erit anno LXXXVIII. Perperenorum. Nam mortuo III. (*b*) *Idus Octobris* U. C. DCCCVII. (*c*) Claudio ſucceſſit Nero: a quo tempore numerati anni LXXXVIII. concurrunt cum anno U. C. DCCCXCIV. aut ſequenti; quum jam Marcus eſſet *Cæſar*: quippe ſtatim poſt exceſſum Hadriani, qui contigit die x. Julii Urbis C. DCCCXCI. *Conſulem ſecum Pius* (*d*) *Marcum deſignavit, & Cæſaris appellatione donavit*. At ſatis ſuperque conjecturis jam datum.

(b) Suet. in Claud. c. 45.
(c) Chr. 54.
(d) Capit. in M. c. 6.



ANIMAD-

ANIMADVERSIO XIV.

DE LITTERIS AMK

In Nummis Tarsi Et Anazarbi.

I. N litteris hujuſmodi explicandis variæ ſunt Virorum eruditorum ſententiæ. *Triſtani interpretantis* AM*aniticam* K*iliciam commentum docti quique exploſerunt*; ait doctiſſimus Noriſius (*a*). Hinc eamdem ſubiit cenſuram Patinus (*b*), qui AM*anicam* K*iliciam* explicat. *Triſtanus* itaque & Patinus *has notas* AMK *de Amanica Cilicia, quam nemo novit, accipiunt*, inquit Harduinus (*c*). Qui, quum olim interpretatus eſſet (*d*) Ἀδελφοὶ Μεταλλεῖς Κιλικίας, *Fratres Metallarii Ciliciæ*, poſtea docuit, occurrere eaſdem notas tum in nummis Tarſi, tum in illis Anazarbi, & hujuſmodi litteras ita accipi oportere legique, ut utraque in provinciæ ſuæ civitatibus principatum obtineret, vel in tota Cilicia nunc illa, nunc iſta civitas, ſub diverſis Principibus: quamobrem πρώτη diceretur in nummis ΑΜφοτέρας Κιλικίας Γ. Β., hoc eſt, Γερȣσίας Βȣλῆ, *utriuſque Ciliciæ Senatuſconſulto*. Quod, ut Ciliciæ primæ Metropolis Tarſus foret, ita ſecundæ Anazarbus. Notitia Eccleſiaſtica antiqua pag. 35. Ἐπαρχία Κιλικίας ά. ὑπὸ Κονσιλιάριον, *ſub Conſulari*, Τάρσος Μητρόπολις. Πομπηϊȣπολις, &c. Ἐπαρχία Κιλικίας β'. ὑπὸ Ἡγεμόνα, *ſub Præſide*, Ἀνάζαρβος Μητρόπολις. Μοψȣεςία, &c. Hæc Vir erudiſs. in notis ad nummos Anazarbi: in illis vero ad nummos Tarſi eaſdem litteras AMK ſimiliter explicat (*e*), niſi quod ſemel interpretatur *Metropolis, Primæ Metropoleos Ciliciæ*. Porro nummum deſcribit Severi Alexandri ex ære maximo, in Gaza Regia; cujus pars poſtica angues duos exhibet, qui ſunt in gyrum voluti, in dextram nummi partem alter, alter ſiniſtrorſum. Epigraphe, in ambitu: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΤΑΡCΟΥ ΔΗΜ. In medio, ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC ΑΜΚ Γ.Π. Quam Epigraphen ita explicat: Ἀλεξανδρȣπόλεως Τάρσȣ Δῆμος. Μητροπόλεως ἀμφοτέρας Κιλικίας Γερȣσίας προςάγματι. *Alexandropoleos Tarſi Populus. Metropoleos utriuſque Ciliciæ edicto*. Hinc ſubdit, docere hunc nummum perſpicue, litteras AMK ſic exponi oportere, quemadmodum expoſuit. *Idcirco enim adpicti ſunt angues duo, ut*

Aliorum opiniones & ſententiæ.

(a) Diſſ. IV. De Ep. Syro-M. c. 1.
(b) In Theſ. Maur. ad num. Maximini, Pupieni, & Gordiani.
(c) In num. Pop. & Urb. ad num. Anazarb.
(d) In Anthirret. pag. 56.
(e) In num. Pop. & Urb.

geminam Ciliciam *significarent: symbolo petito ex nomine* Κιλικίας, *adscitoque propterea verbo* κυλίομαι, *convolvor, volvendo circumagor*. Præterea obſervat, in nummo Pupieni litteras A M. puncto dirimi a littera K., a ſe autem invicem non dirimi: *ſic enim perquam accurate delineari hunc nummum*, inquit, *Patinus curavit in Theſauro Mauroceni pag.* 83. *Ac re ipſa ſic recte ſcribitur; quoniam earum litterarum non alia interpretatio eſt, quam quæ eſt a nobis allata:* Ἀμφοτέρας Κιλικίας Γερυσίας Βυλῆ, *Utriuſque Ciliciæ Senatuſconſulto*. Hæc Harduini ſententia eſt, quæ quidem præ ceteris placet eruditiſſimo P. Frœlich (*a*), quod ſimplex & veterum ſtylo conformis ei videatur. At Noriſio (*b*) *nummarius* (*c*) *interpres pacis & concordiæ non probatur:* nondum enim tunc factam fuiſſe docet Ciliciæ in primam & ſecundam, diviſionem, quam Arcadius Auguſtus demum induxit, ut denſatis veterum monumentorum teſtimoniis ſe demonſtraſſe tradit. Teſtimonia, quæ denſaverat, mentionem ingerunt *Legatorum*, aut *Præſidum*, aut *Proconſulum Ciliciæ*: & ex eo, quod *Cilicia* in iis ſine ulla diſtinctionis nota recitetur, unicam tantum fuiſſe civilem provinciam arguerat. In aliam propterea abit Vir Eminen. ſententiam. Itaque refert (*d*) Petrum Fittonum inſignem Antiquarium, quem laudat Seguinus in Epiſtola ad nobilem Virum Franciſcum Gottifredum, in indice, quem contexuit, Cimeliarchii Medicei, in nummis Tarſenſium eas litteras AMK interpretari Πρώτης Μητροπόλεως Κιλικίας: *Primæ Metropoleos Ciliciæ*; quam expoſitionem Holſtenius, qui Fittoni indicem legit, ut pleraque alia inde exſcripta, ſuis in Stephanum Notis inſeruit pag. 313. Ita Sardis apud Seguinum pag. 22. dicitur *Aſiæ, Lydiæ, Græciæ* A ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ, *Prima Metropolis*. Quum vero eædem litteræ AMK in nummis etiam Anazarbi ſcalptæ ſint, *videtur*, inquit Holſtenius pag. 33. *de primatu contendiſſe cum Tarſo*: & hanc quidem putat Noriſius germanam earum litterarum interpretationem. Fittoni & Holſtenii ſententiam, a Noriſio confirmatam ſequitur Auctor indicis Muſei Theupoli. At vero Vaillantius, quum notaſſet (*e*) eaſdem litteras interpretari vulgo *Prima Metropolis Ciliciæ*, alios *Prima Majoris Ciliciæ*, alios *Prima Maxima Cilicum*, alios vero Πρώτης Μόνης Κιλικῶν, hanc interpretationem ultimam præ aliis adoptavit; nam poſtea tum in nummis Tarſi tum in illis Anazarbi eaſdem litteras AMK interpretatur (*f*): *Prima Sola Ciliciæ:*

(a) Quat. Tent. in Re num. V. Diff. I. c. 5. pag. 56. & Append. ad Num. Græc. in Maxim. p. 316 317. Edit. Vien. an. 1737.
(b) Loco cit. ſc. Diff. IV. de Epoch Syro-M. cap. 1.
(c) Cicer. Orat. pro A. Cluentio.
(d) Ibid.
(e) In Græc. pag. 88.
(f) In Græc. Macrini, Herenniæ Etruſc., Valerian.

ciæ: ita ut legi debeat: Πρώτη Μόνη Κιλικίας. Hinc, ubi litteras initiales Græcorum numiſmatum explicat (*a*), ad litteram M hæc habet: M. Μόνη. *Sola*. *Tarſi Ciliciæ urbis prærogativa*: quamvis in nummo Anazarbi Valeriano cuſo eaſdem litteras ſimiliter interpretatus eſſet: *Prima Sola Ciliciæ*. Hanc opinionem, quæ ſuadet legendum AMK, Πρώτη Μόνη Κιλικίας, *Prima Sola Ciliciæ Metropolis* non prætermittendam ſubdit laudatus Frœlich (*b*). Cl. Venutus (*c*) in Vaillantii & Spanhemii (*d*) ſententiam calculum fert, & Πρώτην Μεγίστην Κιλικίας adoptat, præeunte Dione illo Pruſæenſi (*e*), qui Tarſenſes μεγίστην ὑπάρχειν τὴν πόλιν τῶν ἐν τῇ Κιλικίᾳ, *maximam omnium Ciliciæ Civitatem habitantes* appellat.

(a) Edit. Amſtel. an. 1700. pag. 357.
(b) Ibid.
(c) In Not. ad n. 3. Tab. LII. Num. Vatican. pag. 105.
(d) De V. & P. Num. Ant. p. 422.
(e) Or. 34.

Examinantur aliorum ſententiæ

II. Atque hæ ſunt præcipuæ Virorum eruditorum ſententiæ, quarum unaquæque & ſuas rationes, & ſuas difficultates habet. Nam, quod ad hanc Vaillantii ſpectat, habet quidem exemplum in quodam nummo (*f*) inſcripto ΕΦΕ-CIΩΝ ΜΟΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ACIAC, ubi nempe *Epheſii* dicuntur *Soli Primi Aſiæ* imperante Macrino: at eodem tempore non occurrunt alii nummi aliarum Urbium, quæ de *primatu* cum Epheſo contenderant, eumque obtinuerant, qui nummi alios præter Epheſios cum titulo *Primorum* exhibeant. Unde conjectura oritur, eodem imperante Macrino, *Primorum* titulo ſpoliatos fuiſſe Smyrnæos atque Pergamenos; ac propterea *Solos Primos* manſiſſe Epheſios. At vero nummi habentur ejuſdem Valeriani, ipſo referente Viro Cl. Vaillantio, tum Tarſi, tum Anazarbi, qui litteras AMK. præferunt, adeo ut non videatur, ita facile illas explicari poſſe, *Prima Sola Ciliciæ*. Quippe hujuſmodi titulum *Primæ* non quidem pro libito uſurpabant civitates, ſed iiſdem lata ſententia decretoque publico deferebatur: quod conſtare poteſt ex iis, quæ de ipſo titulo (*g*) ad longum alibi diſſerimus, tum etiam ex litteris, quæ additæ leguntur in ipſis nummis Γ. Β., hoc eſt, Γράμματι Βουλῆς, *Decreto Senatus*. Eadem difficultas adficit ſententiam Fittoni, Holſtenii, & Noriſii: non videtur enim, quomodo Tarſus & Anazarbus in eadem regione inſcribere ſe quæque potuerit *Primam Metropolim Ciliciæ*: ſi quidem *Primæ* titulus *Metropolim* reſpiciat. Quod ſi *Primæ* titulus a *Metropolis* nomine disjunctus eſt, illa repetitio *Metropolis*, ut nempe dicatur *Metropolis Prima Metropolis* non videtur propria. Quod autem ſpectat ad Harduini ſententiam, quam ſequitur,

(f) Nob. Garzapud Vaillantium in Græc. Macrini.
(g) Animadv. de Primorum titulo.

quitur, & tamquam tutam proponit auctor eruditiſs. *Scientiæ nummariæ* (*a*) P. Jobertus ejuſdem Societatis, recte ei opponit Noriſius plurima veterum monumentorum teſtimonia, quæ diviſionem Ciliciæ in duas provincias, qualem Harduinus probare nititur, poſteriorem eſſe nummis, de quibus quæritur, probant. Satius itaque, ſi quid ego judico, meminiſſet Harduinus diviſionis Ciliciæ in *Aſperam* & *Campeſtrem* ſive *Propriam*, quæ diviſio antiquior erat ipſis numiſmatis: ac tum interpretationem ſuam ΑΜφοτέρας Κιλικίας, *Utriuſque Ciliciæ* facilius tutatus eſſet. Præterea, quod tamquam peculiare notat Harduinus, ſcilicet in nummo Pupieni apud Patinum litteras AM. puncto dirimi a littera K., a ſe autem invicem non dirimi, id potius ab ipſo Patino quam a nummo profectum videri poteſt: nam ita habet etiam alter apud ipſum (*b*) Gordiani nummus: & paſſim (*c*) priores illas duas litteras AM. unit Vir Cl., & dirimit a littera K., ut explicet ΑΜανικῆς Κιλικίας, *Amanicæ Ciliciæ*. Quam quidem *Amanicam Ciliciam* neminem noviſſe, tradit idem Harduinus: etſi *Pylæ Amanicæ*, ſeu *Amanides Portæ* in Cilicia paſſim occurrant (*d*) apud Geographos & Hiſtoricos, ita nominatæ a monte Amano, a quo & *Amanica Cilicia* appellari potuit. At, quamvis ita fuerit, non eſt tamen veroſimile, hujus tantum, & quidem modicæ regionis Tarſum & Anazarbum Metropoles exſtitiſſe.

(a) Gallice ſcript. in Calce Operis.

(b) Pag. 84. ejuſd. Theſ. Maur.

(c) Pag. 83. 84.

(d) Vid. Cellarii Geograph. Libro III. c. 6. n. LXIII. LXIV. & LXV.

III. Quæ quum ita ſint, alia nobis venit in mentem interpretatio harum litterarum AMK, ſcilicet Πρώτη Μεσογείας Κιλικίας, hoc eſt *Prima Mediterraneæ Ciliciæ*. Quippe novimus plures in eadem regione Urbes *Primarum* titulum habuiſſe, quum diverſi generis *primatum* titulus hujuſmodi reſpiceret, qua de re (*e*) ſuo loco. Notiſſima vero & antiquiſſima Ciliciæ in *Aſperam* & *Campeſtrem* diviſio. Porro in *Campeſtri*, quæ & *Propria*, Tarſus & Anazarbus erant. Audiendus præ ceteris Ptolemæus, utpote vicinior iis, de quibus quæſtio eſt, temporibus: floruit namq; Hadriano & Antonino Pio Imperatoribus, paullo ſcilicet antequam litteræ hujuſmodi AMK occurrere in nummis incipiant. Is igitur, poſtquam univerſam Ciliciam in *Tracheam* ſeu *Aſperam*, & in *Propriam* ſeu *Campeſtrem* diviſit (*f*), rurſus in *Litoralem* & *Mediterraneam* utramque diſtinguit. Hinc Urbibus omnibus litoralibus recenſitis, Μεσόγειοι δέ εἰσι πόλεις τῆς Κιλικίας, τῆς μὲν Τραχείας, *Mediterraneæ*

Auctoris opinio de Mediterraneæ Ciliciæ Primatu.

(e) Vid. Animad. de Primatu Urbium.

(f) Lib. V. Geogr. cap. 8.

diterraneæ Urbes Ciliciæ Tracheæ ab eo deſcribuntur, τῆς ἰδίως Κιλικίας Μεσόγειοι Ταρσὸς --, Καισάρεια πρὸς Ἀναζάρβῳ, tum *Propriæ Ciliciæ* Urbes *Mediterraneæ*, inter quas primo loco *Tarſus*, inde poſt Adana *Cæſarea ad Anazarbum*, quæ eſt ipſa Anazarbus. Plinius (*a*) *Anazarbeni* ait, *qui nunc Cæſaraugustani*. Nomen tamen *Anazarbi*, antiquato illo *Cæſareæ* invaluit, ut nummi & Scriptores fidem faciunt. Quid ergo prohibet litteras AMK, quæ in nummis Tarſi & Anazarbi conſpicuæ ſunt, Πρώτας Μεσογείας Κιλικίας, *Primas Mediterraneæ Ciliciæ* interpretari? Etenim in Jonia etiam Epheſum & Smyrnam *Primas* habemus (*b*); quin & Samos *Prima Joniæ* inſcribitur: Binas quoque in aliis Provinciis Urbes *Primas* vidimus (*c*). Quod autem Tarſi & Anazarbi *Primatus* Mediterraneas, non vero litorales Ciliciæ partes reſpiceret, inde provenire potuit, quia litorales alterius erant ordinis, reique navali operam dabant, ac privilegiis & honoribus eidem rei propriis gaudebant. Quare *Navarchides* erant (*d*) *Ægæ*, & *Oppidum* (*e*) *liberum*; Sebaſte (*f*) vero erat *Aſylus, ſuis utens legibus, Navarchis, libera*, ac forte etiam *Prima*; in quodam enim nummo (*g*) habetur littera Π, quæ Πρώτη explicari poteſt. Occurrunt quoque (*h*) nummi Urbis *Corycio-tarum* cum titulis *Liberæ*, ſive *ſuis utentis legibus*, *Aſyli*, & *Navarchidis*. Quæ omnes civitates ſitæ erant in ora Ciliciæ maritima, multiſque in honoribus habitæ ſunt a Romanis, & auctæ privilegiis, διὰ τὴν εὐπορίαν τῆς τε ναυπηγησίμου ὕλης, καὶ τῶν λιμένων καὶ ἐρυμάτων, καὶ ὑποδεκτηρίων (*i*), *ob copiam materiæ navibus compingendis aptæ, ob portus, caſtella, & receptacula*. Hinc veroſimile videtur, maritimas has Urbes, quum Tarſo & Anazarbo conceſſus eſt *Primatus*, exceptas fuiſſe. Quin legimus apud Dionem Chryſoſtomum (*k*), qui Trajano imperante claruit, Ægæenſes de *Primatu* cum Tarſenſibus contendiſſe. Teſtatur etiam idem Orator (*l*), *Solenſes* quoq; & *Adanenſes*, & fortaſſe alios Cilicum Tarſenſibus *obtemperare noluiſſe, idque ſuſpicionem feciſſe, ne Ægæenſes quidem, forſan neque Mallotas prorſus inique iratos fuiſſe, neque hos quidem invidia, illos vero cupiditate plura habendi, a Tarſenſibus alienatos eſſe*. Ipſi *Solenſes* & *Mallotæ* ſiti erant ad mare. Exempta itaque videtur a Tarſenſium juriſdictione ora maritima, & intra Mediterraneos limites *Primatus* eorum, ſicuti & Anazarbenorum concluſus. Sane decebat Urbes maritimas, quæ præcipuam

(a) Lib. V. cap. 27.
(b) Vid. Num. VI. Animadv. de Primatu Urbium.
(c) Ibid.
(d) Harduin. in num. Pop.
(e) Plin. Lib. V. cap. 27.
(f) Apud eumd. Hardu. ibid.
(g) Apud eumd. & Vaill. in Græc. Valer.
(h) Apud eoſd.
(i) Strab. Libro XIV. in Cilicia.
(k) Tarſ. II. pag. 427. C.
(l) Ead. Orat. pag. 417. C.

 rei

rei nauticæ navabant operam, a Mediterraneis, quæ aliis ſtudebant rebus, Urbibus ſeparari, & ab harum *Primatu* eximi, eo vel maxime, quod *Principatu*, licet diverſi ordinis, rei ſc. nauticæ, Urbes ipſæ litorales (*a*) fruebantur.

(a) Animadv. de Urbib. Navarch.

Alia interpretatio, quæ eſt de Primatu Majoris Ciliciæ.

Aliam quoque exhibuimus in Commentariis earum litterarum AMK explicationem, nempe Πρώτη Μεγάλης Κιλικίας, *Prima Majoris Ciliciæ*; Campeſtris etenim hujus Provinciæ pars Μεγάλη, *major* erat parte alia, quæ dicebatur *Aſpera*, quæque propterea Μικρά, *Minor* dici potuit: quemadmodum etiam vicina Armenia in Μεγάλην ϗ Μικρὰν *Majorem & Minorem* diſtinguebatur. Qua ratione eædem litteræ in nummis Tarſi explicari poterunt Πρώτη Μεγάλης Κιλικίας, i.e. *Prima Majoris Ciliciæ*; in nummis autem Anazarbi Πρώτη Μικρᾶς Κιλικίας, i. e. *Prima Minoris Ciliciæ*: quæ diſtinctio dividendæ, ut poſtea factum eſt, totius Ciliciæ in *Primam* & *Secundam* præbere potuit occaſionem. Poſſent etiam eædem litteræ *Prima Magnæ*, ſive *Majoris*, ſive *Maximæ Ciliciæ* in nummis utriuſque Urbis intelligi; neque enim repugnabat, duas eſſe *Primas* in eadem Provincia Urbes, ut vidimus (*b*).

Aliæ rurſus interpretationes.

(b) In Animadv. de Primatu Urb.

Alia præterea occurrunt Tarſi propria, quæ ejus nummis aptari queunt. Ὑμῖν γαρ̀, ἄνδρες Ταρσεῖς, συμβέβηκε μὲν, Πρώτοις ἐἶναι τȣ̃ ἔθνȣς, ȣ̓ μόνον τῷ μεγίςlω ὑπάρχειν τὴν πόλιν τῶν ἐν τῆ Κιλικίᾳ, ϗ Μητρόπολιν ἐξ ἀρχῆς κ. λ. Inquit ad Tarſenſes laudatus Dio Chryſoſtomus (*c*); nempe *Vobis, Viri Tarſenſes, obtigit, ut Primi ſitis in hac gente, non ſolum, quod Maximam omnium in Cilicia inhabitetis Civitatem & Metropolim ab initio, verum etiam, quod Cæſarem ſecundum*, ſc. Auguſtum, *ſuper omnes optime vobis habuiſtis volentem & familiarem --: qui vobis præſtitit terras, leges, honorem, poteſtatemque fluminis & maris circa eam*. Erant itaque Πρῶτοι, *Primi* in *Cilicia* Tarſenſes, *Maximamque* inhabitabant Civitatem & *Metropolim ab initio*. Quapropter hæ litteræ AMK explicari hoc modo poſſent Πρώτη Μεγίςη, ſeu Μεγέθη Κιλικίας, h. e. *Prima Maxima* ſeu *Magnitudine Ciliciæ* Urbs, nempe Tarſus; ſicut *Primam Magnitudine* ſe inſcripſit etiam Smyrna, ut jam vidimus (*d*): vel interpretari poſſumus ἐξ Ἀρχῆς, quod idem eſt atque Ἀρχαίως Μητρόπολις Κιλικίας, *Ab initio* ſeu *Antiquitus Metropolis Ciliciæ*: vel demum ex eodem Chryſoſtomo reddere poſſemus: Ἀὐγȣςη Μητρόπολις Κιλικίας, ſeu Ἀὐγȣςη Μεγίςη Κιλικίας, *Auguſta Metropolis Ciliciæ*, aut *Auguſta Maxima Ciliciæ*, accito cognomine *Auguſtæ* ab *Auguſto* Cæſare.

(c) Tarſ. II. p. 415. C. D.

(d) Animad. X. de Primatu Urb. num. I. pag. 213.

ANIMAD-

ANIMADVERSIO XV.

DE

NUMMIS MONETAQUE ROMANORUM.

I. On una de Nummis Romanorum antiquis, utrum Monetæ uſum obtinuerint, nec ne, fuit, & adhuc eſt Antiquariorum ſententia. Inclaruit hoc argumento alias Clariſſimus Erizius, multaque excogitavit & adduxit, ut probaret, non Monetæ ſed Monumentorum loco habitos eoſdem nummos ab antiquis fuiſſe. Id tamen non uſque adeo perſuaſit, ut non alii poſtea exſtiterint, qui contrariam amplecterentur opinionem: quin factum eſt, ut in hanc potius Antiquariorum ne dum vulgus ſed & peritiores deſcenderent. Poſtquam igitur hoc ipſum argumentum docte tractavit cum aliis Viris doctis, Savoto præſertim Patinus (*a*), confirmavitque Jobertus (*b*), fere omnibus perſuaſum eſt, Nummos hujuſmodi uſum rationemque Monetæ publicæ in commerciis obtinuiſſe. Excipiuntur autem *Maximi Moduli* Numiſmata, vulgari apud Italos nomine *Medaglioni*, atque in monumentorum claſſem paſſim referuntur. Sunt tamen nonnulli, qui etiam his locum inter monetas tribuunt. Nos primum de nummis minorum modulorum agemus.

Nummos antiquos Romanorum non Monetas ſed monumenta fuiſſe ſenſit ac docuit Erizius.

(a) Introd. ad Hiſt. Num. cap. 5.

(b) Scient. Num. Inſtruct. II.

Savotus, Patinus, Jobertus, & alii fere omnes pro Monetis nummos eoſdem habent, exceptis illis maximi moduli.

II. Ut autem ab ipſo nomine incipiamus, *Nummus* dictus eſt ἀπὸ τȣ̃ νόμȣ, hoc eſt *a lege*, tum quod a lege introductus eſt, tum quia juxta legem eſſe debet. Ita etiam Numiſma legitimum, cujus valor νενόμιϛαι, *lege ſancitum eſt*. Inde prodit *nummulus*, id eſt, parvus *nummus*; *nummatus*, qui nummis abundat; *Nummatio*, nummorum abundantia; *nummarius*, qui nummis deditus eſt, vel etiam ad nummos pertinens; ac *nummularius*, qui pecuniæ permutationem exercet. Hæc autem omnia ſpectant, ſpectaruntque antiquitus ad pecuniam, ac de pecunia dicta & accepta ſunt. Quum itaque hæ voces & hæc nomina iis antiquitatis monumentis, de quibus quærimus, applicata ſint, hinc ſequitur, rationem pecuniæ ea ipſa monumenta habuiſſe.

Nummos primæ, ſecundæ ac tertiæ formæ rationem habuiſſe pecuniæ probatur primum ex etymologia nominis.

III. Ut vero procedamus, animadvertimus, nummos

Nummi Impp. ſucceſſerunt veteri Reip. pecuniæ.

Imperatorum ſucceſſiſſe vetuſtiori, quæq; erat tempore Reip. pecuniæ, adeoque rationem pecuniæ denegari eiſdem nullatenus poſſe. Nummi, qui ad nos pervenerunt, ſtante Rep. percuſſi, quique Conſulares dicuntur, quod tunc Remp. adminiſtrarent Conſules, ad poſtrema ejuſdem Reip. tempora majori ex parte ſpectant. Excipimus æreos, de quibus inferius (*a*) & alibi (*b*). Permiſſum autem fuit per id tempus aliquibus Magiſtratibus Monetam cudere, & nomen proprium inſcribere, non tamen vultum proprium exhibere. Aliorum, eorumque inluſtrium, maxime antiquorum effigies aut vultus repræſentare non prohibebantur; hinc majores ſuos, quos quiſque habebat, aut ſibi adrogabat, exhiberi in nummis curæ ſuæ honorique ducebant. Quapropter effigies vultuſq; non paucos, ſive Regum ſive præcipuorum in Rep. Virorum in nummis ipſis Conſularibus habemus. Ut autem ſummum in ipſa Rep. imperium adeptus eſt Jul. Cæſar, inter alios, qui decreti ſunt illi, honores, *ἐς τὰ νομίσματα ἐνεχάραξαν* (*c*), ejus imaginem *in nummis exhibuerunt*; prout etiamnum conſpicitur in omni metallo, auro ſcilicet, argento, & ære. Eo occiſo M. Brutus, princeps in Cæſarem ipſum conſpirationis *ἐς τὰ νομίσματα, ἃ ἐκόπτετο, εἰκόνα τε αὐτοῦ καὶ πίλιον, ξιφίδιά τε δύο ἐνετύπου κ. λ.* (*d*), *nummos cudi fecit, imagine ſua cum pileo ac duobus pugionibus inſignitos, eo ipſo & inſcriptione declarans, patriam a ſe & Caſſio in libertatem eſſe vindicatam.* Hujuſmodi nummi cum aliis capite & nomine ipſius Bruti inſignitis, adhuc ſuperſunt (*e*) tum aurei tum argentei. Alii quoque tunc temporis libertatem ſibi licentiamque ſumpſerunt exhibendi in nummis effigies proprias & nomina ſua. Hinc occurrunt L. Livinejus Regulus, Cn. Domitius Ahenobarbus, L. Antonius, ac Q. Labienus. Creati vero Triumviri præfectique conſtituendæ adminiſtrandæque Reip. M. Lepidus, M. Antonius, & Cæſar Octavius, honorem quoque Monetæ habuerunt, ac pæne innumeri cujuſque generis nummi eiſdem cuſi dedicatique ſunt, prout ex multis iis, qui ad nos pervenerunt, dignoſci poteſt. Plures etiam per id tempus facti ſunt nummi cum imaginibus Cnæi atque Sexti Pompeji, Magni filiorum. Redacto demum ad ſolum Cæſarem imperio, in eum ejuſque familiam defluxit omnis hic honos; quem reliqui inde Imperatores ſibi ſuiſque reſervaverunt. Atque hoc modo pecuniam ſive nummos plurimos habemus, Principum

(a) Num. VII.
(b) Animadv. IV. Tom. II.

Nummi Conſulares, qui ad nos pervenerunt, ultimis fere temporibus Reip. cuſi fuerunt.

(c) Dio Caſſ. Lib. XLIIII. pag. 242. C.

(d) Id. Lib. XLVII. pag. 341. E.

(e) Vid. Tab. 2 Famil. Jun. apud Morell. & Havercamp.

cipum imaginibus insignitos, quibus cessit antiqua moneta.

IV. Scribit Suetonius (*a*), Augustum *nummum argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percussisse*; qui nummus ad nos usque pervenit nedum in argento, verum etiam in auro & ære. Imperante Tiberio, qui Augusto successit, & interrogantibus Jesum Pharisæorum discipulis cum Herodianis, utrum *censum liceret dare Cæsari, an non*, ostendi sibi fecit Jesus τὸ νόμισμα τȣ̃ Κήνσȣ, *Numisma Census* (*b*). *At illi obtulerunt ei* Δηνάριον, *Denarium. Et ait illis Jesus: cujus est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &, quæ sunt Dei, Deo.* Ita Matthæus Evangelista, qui *Numisma* vocat *Denarium*, illudque describit Cæsaris imagine & superscriptione insignitum, prout sunt alia, de quibus quæstionem instituimus, numismata. Tacitus quoque manifeste ostendit, *nummos* per id tempus fuisse pecuniam, quum scribit (*c*), ipsum Tiberium, sævitiam annonæ incusante plebe, statuisse frumento pretium, quod emptor penderet, *binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios*. Subdit historicus (*d*), Nerone imperante solatium populo Romano exturbato & profugo propter incendium Urbis, quæsitum fuisse, & inter alia *pretium frumenti minutum usque ad ternos nummos*. Idem Nero posuit statuas suas *citharœdico habitu* (*e*); *qua nota etiam nummum percussit*. Hic nummus adhuc exstat, tum aureus, & argenteus, tum etiam æreus. Caji Caligulæ demortui memoriam ægre ferens Senatus, imperante Claudio τὸ νόμισμα τὸ χαλκοῦν πᾶν, ὅσον τὴν εἰκόνα αὐτȣ̃ ἐντετυπωμένην εἶχε, συγχωνευθῆναι ἔγνωσαν (*f*), *omne æreum numisma, quod ejus imaginem habebat, conflari jussit*. Hoc tamen Senatus Consultum perfici undequaque non potuit, aut noluit, quia nedum eo tempore superfuerunt, sed adhuc etiam nostro supersunt aliquot hujusmodi nummi. Caracalla quoque Fratris Getæ τὸ νόμισμα τὸ προφέρον αὐτὸν σῦνεχώνευσε (*g*), *nummos ipsius imaginem præferentes conflavit*. Et, quum quidam juvenis ex Equestri ordine delatus esset, ὅτι νόμισμα τὴν εἰκόνα αὐτȣ̃ ἐς πορνεῖον ἐσήνεγκεν (*h*), *nummum, ejus signatum imagine, in lupanar intulisse*, in vincula conjici jussus est, tamquam ultimo supplicio adficiendus. Ejusdem Pater Severus Albinum, ut communicato in speciem imperio, sibi contra Nigrum conciliaret (*i*), νομίσματα τε αὐτȣ̃ κοπῆναι ἐπέτρεψε, tum aliis honoribus adfecit, tum *nu-*

mismata

(a) In Vit. Aug. cap. 94.

Scriptorum testimonia in rem nostram adducuntur.

(b) Apud Matth. cap. XXII. 15. & seqq. Marc. XII. 13 & seqq. & Luc. XX. 20. & seqq.

(c) Lib. II. Annal. cap. 87.

(d) Lib. XV. Annal. cap. 39.

(e) Sueton. in Vit. cap. 25.

(f) Dio Cass. Lib. LX. pag. 679. E.

(g) Excerp. Vales. ex Dio. Cass. pag. 875. sive 746.

(h) Ibid. pag. 877. sive 753.

(i) Herodian. Lib. II. cap. 15.

misſmata cum *ipſius* Albini imagine *percuti juſſit*. Et, ut alibi notavimus (*a*), ſtatimatque Macrinus filium ſuum Diadumenianum appellavit Antoninum, *apud Antiochiam* (*b*) *Moneta Antonini Diadumeni nomine percuſſa eſt, Macrini uſque ad juſſum Senatus dilata eſt*, teſte Lampridio. Cujus & illum de Sev. Alexandro locum jam adduximus (*c*), *Alexandri habitu nummos plurimos figuravit* (*d*); *& quidem*, ut addit hiſtoricus, *electreos* (*e*) *aliquantos, ſed plurimos tamen aureos*. De nummis æreis intelligendam eſſe credimus *pecuniam*, de qua rurſum in Alexandro idem Lampridius inquit (*f*): *Scenicis numquam aurum, numquam argentum, vix pecuniam donavit.* Gallienus Odenatum Regem Palmyrenorum, participato imperio Auguſtum vocavit (*g*), *ejuſque monetam, qua Perſas captos traheret, cudi juſſit*: ac Matronis, manum ſibi oſculantibus (*h*), *quaternos aureos ſui nominis dedit*. Ejuſdem Pater Valerianus Zoſimioni, Procuratori Syriæ præceperat, ut Claudio, qui poſtea imperavit, daret præter alia multa (*i*) *Philippeos noſtri vultus annuos centum quinquaginta & trientes centum ſexaginta*. Gallienus quoque miſit ad ipſum Claudium dono res multas eaſque pretioſas (*k*), tum etiam *aureos Valerianos* CL., *Trientes Saloninianos* CCC., nummos ſcilicet hujuſmodi, cum vultu & nomine Valeriani atque Salonini. Rurſum Valerianus Aureliano, qui paullo poſt ſucceſſit in imperio, at tunc privato decrevit, quamdiu Romæ fuiſſet, *aureos* (*l*) *Antoninianos diurnos binos, argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum*. Quumque Conſulatum ei detuliſſet, dari quoque juſſit *ad editionem Circenſium aureos* (*m*) *Antoninianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia, in ære* H-S. *quinquagies*, teſte Vopiſco. Qui poſtea tradit (*n*), eumdem Valerianum adſignaſſe Probo, qui poſt Aurelianum & Tacitum imperavit, inter alia pro ſalario *aureos Antonianos*, ſeu *Antoninianos centum, argenteos Aurelianos mille, æreos Philippeos decem millia*, non advertens hiſtoricus, quod nec adverterunt, qui in ipſum Notas & Commentarios ediderunt, non potuiſſe Valerianum adſignare Probo argenteos *Aurelianos*, nummos nempe ab *Aureliano* Imperatore ſic dictos; quippe *Aurelianus* nonniſi poſt Valerianum ipſum, immo etiam poſt Gallienum & Tacitum accitus eſt ad imperium. Hinc ſuſpicio oritur, aut nomen *Valeriani*, qui ſalarium conſtituiſſe dicitur, aut illud *Aureliani* irrepſiſſe

(a) Comment. in num. 1. Tab. XLVII.
(b) Lamprid in Diadum. cap. 2.
(c) Comment. in n. 2. Tab. XLIX.
(d) In Vit. Alex. cap. 25.
(e) Electros Cod. Palat.
(f) Cap. 33.
(g) Trebell. Poll. in Gallien. cap. 12.
(h) Id. ib. cap. 16.
(i) Id. in Claud. cap. 14.
(k) Cap. 17. ejuſd. Vit. Claud.
(l) Vopiſc. in Aurel. cap. 9.
(m) Cap. 12.
(n) In Prob. cap. 4.

irrepsisse in hunc locum. Notandi tamen *ærei* illi *Philippei* decem mille, nummi sc. ex *ære*, ac Philippi seu alterius Imperatoris imagine signati. Contra M. Fontejum contendit cum aliis idem Vopiscus (*a*), Firmum, qui Aureliani tempori- (a) In Firmo c. 2. bus Ægyptum occupaverat, non latrunculum fuisse sed Principem, dicens illum & purpura usum, *& percussa moneta Augustum esse vocitatum. Quin etiam nummos ejus Severus*, inquit, *Archontius protulit*; & proferunt etiam nunc temporis Antiquarii. Idem Aurelianus Augustus Bonoso dedit (*b*) *aureos* (b) Id. in Bonoso. *Philippeos centum, argenteos Antoninianos mille, æris* H-S., seu *sestertium decies*, sive potius *æris sestertios decem millia*; ut legendum putat Cl. Salmasius; nimia enim summa *sestertium decies*. Memorat Ammianus Marcellinus (*c*) *aureos nummos* (c) Lib. XXVI. cap. 6. *effigiatos in vultum novi Principis*, seu Tyranni Procopii. Francorum Reges permittente Justiniano Imperatore νόμισμα δὲ χρυσοῦν ἐκ τῶν ἐν Γάλλοις μετάλλων πεποίηνται οὐ τοῦ Ῥωμαίων Αὐτοκράτορος (ἧπερ εἴθισται) χαρακτῆρα ἐνθέμενοι τῷ στατῆρι τούτῳ, ἀλλὰ τὴν σφετέραν αὐτῶν εἰκόνα, *nummos cudere* cœperunt *ex auro Gallico, non Imperatoris Romani, ut moris erat, sed sua impressos effigie*, teste Procopio (*d*). Qui & subdit, *monetam quidem argenteam Persa-* (d) Lib. III. de Bell. Gotth. c. 33. *rum Regem arbitratu suo cudere consuevisse; auream vero, neque ipsi, neque alii cuipiam Barbarorum Regi, quamvis auri Domino, vultu proprio signare licuisse: quippe ejusmodi Moneta commercio vel ipsorum Barbarorum excludebatur*. Prodit etiam Zonaras (*e*), alterum Justinianum fœdus Arabicum rupisse, (e) Lib. XIV. Annal. cap. 22. caussa inde sumpta, *quod annui tributi Moneta, non Romanum signum, sed novum Arabicum haberet. Neque enim aureo nummo aliam imaginem, nisi Romani Imperatoris, insculpi fas erat*. Sunt alia hujus generis apud Scriptores antiquos loca, quæ brevitatis gratia omittuntur.

V. Sunt vero etiam de Re nummaria Leges, quæ idipsum, quod demonstrandum suscepimus, persuadent. Ex iis *Leges de re nummaria favent Auctoris opinioni.* unam tantum & alteram nos referemus. *Lege Cornelia testamentaria*, inquit Paullus (*f*), *tenetur, — qui vultu Princi-* (f) Recept. Sent. Lib. V. tit. XXV. ad L. Cornel. testam. 1. *pum signatam monetam præter adulterinam reprobaverit*. Floruit Paullus imperante Sev. Alexandro (*g*). Altera vero Lex (g) Lamprid. in Sev. Alex. cap. 68. amplectitur nedum superius Alexandro tempus, sed & posterius, quin & illud excedit, de quo quærimus. Ea itaque est Leonis Imper., in ordine LII., quæ græce exarata, ita latine redditur. *Veteres --- omne genus numismatis, etsi ad veteres & priscos*

priscos Principes referretur, similiter valere voluerunt. Verum egregium hoc institutum haud scio, qua de caussa posteriores Principes in eadem forma consistere non permiserint, ac tamquam subditorum opulentiæ inviderent, quæ numismata superiorum Principum effigiem ferrent, iis publico usu interdixerint; sua vero sola in communi commercio esse voluerint. Næ illi, quantum hinc in communibus negotiis novitatis, quantum item detrimenti, quod cum ad omnes, tum præcipue ad pauperiores, potiusque auxilio, & defensione indigentes pertineat, existeret, intelligere noluerunt. -- -- Eapropter Nos sancimus, ut -- Numismatis omne genus, [quod quidem formam materiamque non adulteratam & plenum pondus habeat], sive vetustioris cujuspiam Principis sive recentioris sit, æqualiter & æstimetur, & in Rep. tractetur. Qua Lege omnem cujusque superioris Principis Monetam seu Numismata Principum effigiem referentia adprobat, ea vel maxime, quæ *pauperiores* præ manibus habere solebant, ærea sc.; nam argentea raro, aurea vero rarissime aut numquam tractare iis datum.

Rationes, quæ Auctori favent.

VI. His omnibus ratio accedit. In primis etenim, quum certum sit, Monetam pæne infinitam Romano orbi necessariam fuisse, reque ipsa percussam esse, & in commerciis adhibitam, pars ejusdem haud minima, sive de industria recondita, sive casu sepulta, ad posteriora tempora devenire debuit. Nummi porro, Imperatorum aliorumque domus Augustæ Virorum atq; Feminarum imaginibus insigniti, plurimi jam superioribus temporibus conspiciendos sese exhibuerunt, nostris etiam in lucem prodeunt, & e latebris terraque in dies eruuntur. Quod si hujusmodi nummi locum vimque pecuniæ olim non obtinuissent, quisnam alius, amabo, fuisset eorum usus? aut quid aliud veteris pecuniæ nobis reliquum esset? Nec vero dici merito posse, ut tamen aliqui adseruerunt, nobis videtur, nummos quidem aureos atque argenteos Imperatorum habuisse rationem monetæ, non autem æreos, & horum loco exstitisse Asses eorumque partes. Nam, si nummi aurei & argentei rationem habuerunt Monetæ, cur non habuerunt etiam ærei, iisdem, quibus illi, insigniti imaginibus, typis, atque inscriptionibus? Miraculo præterea propius esset, æs tam multum signatum, quod nullius olim in commercio pretii fuisset, ad nos usque pervenisse. Et, si in tanta quantitate ad nos pervenit, quænam existimanda est antiquitus fuisse ejusdem multitudo? Quum tamen adhuc

multo

multo major esse debuisset illa pecuniæ, in multo etiam majori quantitate hæc ad nos pervenisset. E contra Asses cum eorum partibus adeo pauci huc usq; reperti sunt ac reperiuntur, ut Romanæ Monetæ corre∫pondere nullo modo queant. Quod si dicatur, Asses priorum Imperatorum conflatos fuisse a posterioribus atque renovatos, adeoque haud multos nunc haberi, id multo magis, quod tamen non accidit, fieri debuisset de nummis argenteis & aureis, quorum materiæ multo major erat penuria. Conflari insuper debuisset præ ceteris illud æs, quod nullum in commercio usum obtinebat. Præterea vel hoc deputabatur soli memoriæ Principum, ac tunc multo minor numerus suffecisset: vel in largitionibus insumebatur a Principibus; quo casu nulla veri species exstat, id eos præter omnium gentium morem insumpsisse, quod usu in commercio carebat: vel demum a subditis tributi loco æs hujusmodi offerebatur Principibus; atque hoc pacto id offerri debuit, quod rationem pecuniæ habebat. Sunt alia plura, quæ ad stabiliendam hanc, quam sequimur, sententiam adducere possumus; at supervacanea in re, quæ jam extra quæstionem videtur, censemus. Ut tamen suspicio omnis, si quæ remanet, tollatur, duo adhuc adnotamus; primum, quod Asses, qui ad nos devenerunt, superiorem Imperatoribus ætatem, eamque Reipublicæ respondentem præferunt; secundum, quod Romani sunt hujus generis nummi, h. e. a populis Romano sermone utentibus cusi sunt. Observandum vero & animadvertendum est, Græcos seu græce loquentes, qui erant pars magna, ne dicam major imperii Romani, maximam nummorum æreorum quantitatem percussisse, eamque omnem imaginibus Imperatorum signasse, nec aliam propriam habuisse monetam; nam, quæ sine Imperatoriis insignibus exstat, ad tempora superiora pertinet. Hujusmodi vero ærei Imperatorum nummi Græci æreis Romanis Imperatorum nummis optime correspondent, omninoque probant, Romanos nummos usum monetæ, quemadmodum ipsi Græci habebant, obtinuisse. Nec vero morem exhibendi Imperatorios vultus variarunt Græci, quum Romanum in nummis adoptarunt sermonem. Mos exhibendi in monetis vultus Principum nedum in Romano orbe, verum ubique gentium semperque invaluit; quin ad Romanos aliunde manavit. A Romanis autem illum accepere, qui Romanis ipsis successerunt.

ceſſerunt. Hinc ſub Theodorico Gotthorum in Italia Rege dicuntur (*a*) *magna inventa prudentum*, & *laudabilia inſtituta majorum, ut & imago Principum ſubjectos videretur paſcere per commercium, quorum conſilia invigilare non deſinunt pro ſalute cunctorum.*

(a) Caſſiodor. Var. Lib. VI. cap. 7.

VII. Hæc, quæ de nummis aureis, argenteis, æreiſque primi, ſecundi, ac tertii, ut dicere amant, moduli, ſeu formæ, aut magnitudinis, diſſeruimus, ita nobis perſuaſa ſunt, ut ad idipſum de nummis etiam maximi moduli, vulgo *Medaglioni* credendum adſerendumque ſtimulos addant. Major quidem Antiquariorum pars a moneta ſegregat hujus generis nummos, eoſque monumentorum loco habet, & gloriæ liberalitatique Principum addicit. At ſunt etiam alii, iique magni inter ipſos & in reliqua litteraria Rep. nominis Viri, qui Monetæ eoſdem adjungunt; inter quos Senator Philippus Bonarota (*b*), *cui*, ut verbis utar Viri alterius Cl. (*c*), *omnis Antiquariorum Chorus adſurgit*, & Harduinus (*d*), cujus eruditionem mirantur omnes. Quibus demum acceſſit Vir alter ſumme Clarus, ſummeque eruditus, quem laudavimus, Mahudel. Hic autem non tantum calculum addidit ſuum, ſed etiam ſententiam, quam Bonarota & Harduinus jejune pronuntiaverant, exornavit ample, docteque firmavit; qui proinde legendus (*e*). In primis itaque obſervamus, in nummis maximi moduli eoſdem typos eaſdemque inſcriptiones paſſim occurrere, quibus inſigniti ſunt alii aliorum modulorum nummi. Præterea eadem eſt materia; nec niſi ponderis magnitudiniſque differentia intercedit. Quod ſi nedum a reliquis modulis, verum etiam inter ſe differunt maxima numiſmata, hoc ipſum in quolibet inferiorum ordinum modulo accidit, ut nempe ſinguli cujuſque moduli numiſmata pondere ac magnitudine varient. Eapropter veroſimilius nos credimus cum laudatis Bonarota & Mahudel, non tres tantum, ut perſuaſum eſt aliis, ſed plures fuiſſe nummorum modulos. Sane, ſi quis nummos, quos in unum aut alterum modulum Antiquarii cogunt, ad lancem revocet, non parvam ponderis ac magnitudinis differentiam inter ipſos ejuſdem moduli nummos ſtatim dignoſcet, palamque videbit. Nec vero credi poteſt, artificum negligentia, multo etiam minus de induſtria factum id fuiſſe: nam, ſi ſtatutum monetæ pondus ſuperaſſet materia, non parum detrimenti inde cepiſſet ærarium publicum;

Numiſmata quoque maximi moduli locum inter monetas antiquitus obtinuiſſe credit Auctor.

(b) Oſſervaz. iſtor. ſopra alcuni Medaglioni antichi pag. 199.

(c) Venuti Præf. in Tom. I. Num. Vatican. maximi Mod.

(d) De Re monet. in calce Oper. de Num. Pop.

(e) Tom. VII Hiſt. Academ. Inſcript. & bonar. litt. pag. 266. & ſeqq.

Materia, imagines & inſcriptiones Nummorum maximi moduli eædem, ac quæ ſunt in reliquis modulis.

publicum; &, si defecisset materia, id contra leges factum fuisset, nec hujusmodi pecunia distrahi potuisset. Præficiebantur itaq; flandis ac feriundis monetis Viri periti, iique materiam probabant, pondusque a legibus statutum retinebant. Quare, quum multiplex sit nummorum, qui ad nos pervenerunt, pondus, multiplices quoque fuisse, non tres tantum, illorum modulos seu ordines, manifestum inde fit. Quod adhuc evidentius probatur ex eo, quod stante etiam Rep. multiplices erant Monetarum moduli. Nota est Assis in plures partes divisio, non in tres solum; quapropter Imperatorios nummos æreos, qui Assi ejusque partibus successerunt, intra tres tantum ordines cogere integrum esse non videtur.

Quemadmodum stante Rep. Assium plures erant partes, ita sub Augustis ærea horum Numismata erant multiplicia

VIII. Velim itaque, mecum consideret benignus Lector, non tantum in plures partes Assem divisum fuisse, sed etiam necessario id factum esse: quum enim minor aut major Asse passim & ubique foret rerum venalium valor, nec nisi res admodum paucæ pretio integri unius aut plurium Assium corresponderent, necesse fuit, Assem ipsum in plures partes dividere, ut & rebus minoris pretii aptaretur & illis majoris æquaretur. Præterea, quum ante bellum Punicum *librales appenderentur* (a) *Asses*, nimium ferentibus incommodi pondere suo ac mole fuissent. Itaque placuit Assem in alios minores nummos dividere, qui fuere *Uncia*, duodecima nempe pars Assis; *Sextans*, qui duas uncias habebat; *Quadrans*, qui tres uncias; *Triens*, qui quatuor; *Quincunx*, qui quinque; *Semissis*, qui sex; *Septunx*, qui septem; *Bes*, qui octo; *Dodrans*, qui novem; *Dextans*, qui decem; ac *Deunx*, qui undecim continebat uncias. Quin erat etiam *Sexcunx*, Uncia nempe cum dimidio; *Semuncia*, hoc est dimidium unciæ; *Duella*, seu tertia pars unciæ; *Sicilicus* vel *Sicilicum* quarta pars; *Sextula* pars sexta; *Scrupulus* vigesima quarta pars unciæ. Argentum quoque & aurum multiplices habebant formas & pondera. Cur igitur Imperatorum nummos ad tres tantum formas nos redigemus? Incommodum id nimis commercio fuisset; quin commercium ipsum hæsisset, aptari enim rerum omnium pretium triplici tantum nummorum speciei nec tunc nec aliquando potuit. Multiplices itaque eæque diversæ nummorum formæ, simulque multiplicia ac diversa illorum pretia, ut ubique Populorum ac semper fuerunt, esse etiam apud Romanos imperantibus Augustis oportuit. Quod si distinguere inter

(a) Plin. Libro XXXIII. cap. 3.

 has

has monetas nemo nunc facile poteſt, mirum eſſe non debet, minima quippe inter illas intercedit differentia. Jam tum enim ſtante Rep., *lege Papiria* (*a*) *ſemiunciales Aſſes facti*, qui quidem uſque ad Veſpaſianum ita manſiſſe creduntur, quia Plinius, qui tunc temporis vivebat, & ejuſdem legis Papiriæ meminit, nullius poſt hanc Aſſium mutationis mentionem ingerit. Imminutum tamen ſaltem poſt Veſpaſianum ſemiunciale Aſſis pondus apparet; & cum Aſſe diminutæ ſunt etiam ejus partes. Quæ quidem, quum modica admodum inter partes viciniores intereſſet differentia, mirum non eſt, ſi leviorem hanc ipſam differentiam tam facile nobis non prodant, qui remotiores ſumus ab iis temporibus, nec illis Aſſibus Aſſiumque partibus monetarum loco & in commerciis utimur, aut Scriptores antiquos habemus, qui nos de hac differentia edoceant. Ceterum, ſi quis hos nummos ad lancem revocet, eam ponderis differentiam mox inveniet, quæ cum tribus tantum modulis ſtare nullo modo queat; quæque multo plures Aſſis diviſiones perſpicue evincat.

(a) Plin. Libro XXXIII. cap. 3.

Sicut Reip. tempore erant numiſmata maximi moduli, ita fuerunt ſub Imperatoribus.

IX. Quemadmodum vero antiquis temporibus erant *Dupondia*, quæ pondus & pretium duorum Aſſium referebant, immo etiam aliquot alia majoris molis numiſmata, quamvis rariora propter uſus incommodum, quid quæſo, prohibet, ne poſterioribus quoque, Auguſtorum ſc. temporibus aliqua majoris molis, quam ſint reliqua, admittamus numiſmata, iiſque majus etiam aptemus pretium? Nihil certe, ſi quid ego judico, id vetat; ſed ratio & communis apud omnes gentes perpetuuſque hujuſmodi uſus idipſum admittunt, quin & poſtulant, ac fere flagitant. Legimus (*b*), Severum Alexandrum *formas binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius uſque ad bilibres quoque, & centenarias, quas Heliogabalus invenerat, reſolvi præcepiſſe, neque in uſu cujuſquam verſari; -- -- quum diceret plus largiendi hanc eſſe Imperatori cauſſam, ſi, quum multos ſolidos minores dare poſſit, decem vel amplius una forma, triginta & quinquaginta, & centum dare cogeretur*. Heliogabalus in largiendo profuſiſſimus, quum quæſiſſet multa ſimul donandi compendium, formas modo recenſitas invenerat: parciſſimus contra Alexander eaſdem reſolvi præcepit, ne plures *ſolidos* una forma dare cogeretur. Formæ igitur illæ *binariæ*, *ternariæ*, ac ceteræ binis, ternis, pluribuſque ſolidis, minoribus pondere ac pretio æquivalebant,

(b) Apud Lamprid. in vit. Alex. cap. 39.

bant, largitionibusque ac liberalitatibus inserviebant, & *in usu cujusquam versabantur* Heliogabali tempore; nec forma aut crassitudo reliquis ejus generis nummis major usui impedimento erat. Quid ni ergo aliæ aliorum nummorum formæ consuetis majores, quas nec Heliogabalus invenit, nec Alexander resolvit, esse, & usum in largitionibus ac commerciis obtinere potuerunt? Lucius certe Verus Imperator *jaciebat (a) nummos in popinas maximos, quibus calices frangeret*: & non minus in nummis maximi moduli, quam in reliquis figuræ & nomina MONETA*rum* conspiciuntur.

(a) Capitol. in Vit. cap. 4.

Ex eo, quod numismata maximi moduli largitionibus & liberalitatibus inservierint, fuisse monetas, arguitur.

X. Quod si numismata hujusmodi maxima largitionibus ac liberalitatibus, ut plures volunt, præsertim inserviebant, tantum abest, ut non fuisse monetas inde argui possit, quin reapse fuisse monetas contra pateat. Cur enim non monetas potius in Populum, pecuniæ in primis avidum, sparsissent Imperatores? Hujusmodi certe largitiones ac liberalitates semper & ubiq; pecunia fieri consueverunt atque solent. Quin ita factas etiam a Romanis Imperatoribus esse, constat. Implent, ut ita dicam, fere ambas Scriptorum paginas exercitæ a Principibus pecunia seu nummis inferiorum modulorum hujusmodi largitiones, quæ *Liberalitates* & *Congiaria* dicebantur. Illas tantum Augusti, qui exemplo successoribus fuit, adducemus. *Plebi Romanæ viritim trecenos numeravi ex testamento Patris mei*, scripsit is ipse (*b*), *& nomine meo quadringenos ex bellorum manubiis Consul quintum dedi. Iterum autem in Consulatu decimo ex patrimonio meo iis quadringenos Congiari viritim ter numeravi. --- Et Tribunicia Potestate duodecimum quadringenos nummos tertium viritim dedi. Quæ mea Congiaria pervenerunt* ad numm*um millia nunquam minus quinquaginta & ducenta*. Tribuniciæ Potestatis *duodevigentesimum* (*c*) *Congiari trecentis & viginti millibus Plebis urbanæ sexagenos denarios viritim dedi & cuivis militum meorum ex manubiis Consul quintum viritim millia nummum singula dedi. Acceperunt id triumphale congiarium in Coloniis hominum circiter centum & viginti millia. Consul tertiumdecimum sexagenos denarios Plebi, quæ tum frumentum publicum acceperunt, dedi. Ea millia hominum paulo plura quam ducenta fuerunt*. Obviæ frequentesque sunt in aliis, qui Augustum secuti sunt, Imperatoribus hujusmodi Liberalitates & Congiaria, quæ & in nummis cujusque moduli, etiam maximi conspiciuntur. Hinc inter officia, quæ ad instar

(b) In Marm. Ancyr. Tab. III.

(c) Duodecimum ex chart. Cosson.

instar Augustæ domus Theodoricus Gotthorum Rex instituit, fuisse legitur *Comitiva Sacrarum Largitionum*, ad quam hoc erat Regis mandatum (*a*). *Kalendis Januarii* VII. *adfatim dona largimur, & lætitia publica militia tua est. Verum hanc Liberalitatem nostram alio decoras obsequio, ut figura vultus nostri metallis usualibus imprimatur, Monetamque facis de nostris temporibus futura sæcula commonere.*

(a) Ex Cassiodor. Var. Lib. VI. c. 7.

Numismata maximi moduli monumentorum non monetarum loco a pluribus habentur. At contra sentit Auctor.

XI. Dicet vero aliquis, & quidem cum pluribus magni nominis Viris, numismata maximi moduli monumentorum loco facta & habita fuisse, hinc apparere, quod habeantur non pauca nostrorum ac proxime superiorum temporum hujus generis monumenta, quæ gloriæ ac memoriæ eorum, quos repræsentant, ita deputata sunt, ut locum inter Monetas aut in commerciis non obtineant. Ita vero factum & antiquitus, pronum credere, quin persuasum est. At nos animadvertimus, antiqua maximi moduli numismata passim eosdem exhibere typos, quibus insigniuntur etiam numismata minorum modulorum. Unde dici posse non credimus, ad perpetuandam memoriam illa potius quam hæc inventa fuisse. Quin huic fini magis apta nobis videntur exstitisse numismata minorum modulorum, utpote quæ numero multo majora, & usu ac commercio magis nota, quam illa maximi moduli, numero minora, quæque paucorum præ manibus essent. Posterioribus autem temporibus nobisque vicinioribus Monetæ iis typis signari consueverunt, qui nihil ad famam eorum, quorum sunt, nihilque ad historiam conferunt: unde ad publicandas perpetuandasque res clare gestas inventa, seu potius retenta sunt maximi moduli numismata, quæ propterea monumentorum loco, non pecuniæ habentur, quippe a communi moneta multum per omnia differunt, ac superiora sunt, ita ut nulla intercedat proportio, adeoque nec ulla pretii comparatio, nisi forte materiæ, si sint aurea aut argentea.

De litteris S.C. & aliis in nummis maximi moduli, tum etiam minorum modulorum.

XII. Objicient demum alii, in nummis maximi moduli occurrere non solere litteras S. C., quæ occurrunt in inferioribus modulis, quæque cusum *senatus consulto* nummum, & monetam esse produnt. Hinc sicut argenteorum aureorumque nummorum, qui eisdem S. C. litteris carent, fabricam, ita illorum maximi moduli Imperatores sibi reservasse creduntur. At nos respondemus, nummos ipsos argenteos aureosque, quamvis iis litteris S. C. careant, fuisse fatentibus ipsis adversariis,

riis, monetas. Carent præterea eiſdem litteris plures alii minorum modulorum ærei nummi, qui tamen cum pecunia numerantur. Sunt demum haud pauca etiam maximi moduli numiſmata, quæ litteras s. c. præferunt. Quapropter ex his litteris nullum nobis negotium creari poteſt. Veroſimile porro mihi videtur, cuſos auctoritate Senatus denotari eos nummos, in quibus inſunt eæ litteræ. Perſuaſum jam eſt, aureorum argenteorumq; nummorum fabricam ſibi reſervaſſe Imperatores, illam vero æreorum Senatui conceſſiſſe. At ego nullus credo, ipſorum æreorum fabricam omnino abdicaſſe Imperatores, ſed plura hujus generis numiſmata cudi etiam ipſos feciſſe. Atque hinc contigiſſe arbitror, ut ea partim cum nota Senatus, ac partim ſine ea habeantur. Ita vero etiam opinor de litteris D. D., quæ *Decreto Decurionum* in nummis æreis Coloniarum & Municipiorum, tum etiam de litteris Γ. B. ſeu Γ. Γ. in æreis nummis græcis, quæ *Senatus Conſulto* explicantur. Alia enim hujuſmodi numiſmata cujuſque moduli, etiam maximi, habent eaſdem litteras, alia non habent.

XIII. Et hæc quidem faciliora; illud autem difficilius, quod ex typorum diverſitate objici poteſt contra omnes cujuſquumque moduli nummos. Itaque obſervatur, nummos ejuſdem etiam typi ac moduli aliquatenus inter ſe differre adeo, ut rariſſime aliquot omnino ſimiles inveniantur; &, ſi quando occurrunt, unus aut alter, aut etiam uterque, vel omnes, ſi plures forte ſint, quod tamen rariſſime accidit, falſi fictique a multis cenſeantur. Hinc arguitur, quod ſi nummis de quibus agimus, in officinis monetariis ad uſum pecuniæ cuſi eſſent, plurimi fuiſſent & adhuc ſupereſſent omnino ſimiles, utpote qui ex una eademque matrice prodiiſſent. Una enim matrix plurimos eoſque omnino ſimiles parit, ut ex hodiernis monetis manifeſtum eſt. Nec ullam veri ſpeciem habet, quod ex ſingula quaque matrice unum tantum nummum excluſerint veteres; ita enim non lucrum, ſed diſpendium ac quidem maximum & intolerabile adtuliſſet ærario publico moneta: nam una matrix pretium ſuperat multorum, quæ ex ea prodeunt, numiſmatum. E contra, ſi nummi non monetæ ſed monumenta fuiſſe dicantur, dici etiam poteſt, privatos, ſeu Magiſtratus, aut Principem eos cudi feciſſe, & unico aut paucis cujuſque matricis nummis contentos fuiſſe, eo vel maxime, quod plurimos alios nummos ſimiles plurimi

Difficultas ſumpta ex diverſitate typorum in nummis.

alii

alii in honorem Principis aliis matricibus cuderent.

Difficultates opponuntur difficultati.

Hoc argumentum facit etiam contra adversarios. Cur enim Princeps, aut Magistratus, aut privati unum tantum, aut admodum paucos singulis matricibus effingerent nummos, si ad plures nedum suorum sed etiam futurorum temporum pervenire hæc monumenta volebant? Præterea unaquæq; matrix non minimo constitisset pretio; quis vero credat, unum solummodo, aut paucos tantum excussos inde nummos, qui etiam simul accepti multo minus matrice ipsa valuissent? Sed nec opus erat tot tantisque matricibus, siquidem simillimæ inter se, prout comparent, esse debebant. Sunt itaque nummi plurimi, quorum differentia inter se & ab aliis nonnisi observatione diligentiq; examine dignosci potest. Cui porro bono tanta matricum convenientia? Quod si hæc decreto publico statuebatur, cur non potius matricem suam alter alteri commodabat? Si vero quisque suam fieri volebat ducebatque honori, æqualem aut pæne æqualem matricum ac monumentorum habere nunc deberemus numerum. Infinita vero esse oportuit hæc monumenta, quippe quæ ad nos usque tot ac tanta pervenerunt. Infinitæ ita etiam matrices fuissent; & tamen ad nos vix aliqua, ne dicam, nulla pervenit. Quod si confractas quis dicat, ut novæ fierent; cur non ita etiam de ipsis monumentis, aut saltem de pluribus factum est? Ipsa sane monumenta superiorum Principum magis quam illorum monetæ fundi debuissent, ut nova inde cuderentur monumenta vel potius monetæ; nam pecuniæ superare semper infiniteque debuerunt monumentorum quantitatem. Qui igitur fieri potuit, ut infinite majora ad nos pervenirent hujusmodi monumenta quam Monetæ? Quin nulla Imperatorum moneta ad nos pervenisse dicenda est, si nummi eorum imaginibus insigniti non fuerunt monetæ; nam, ut supra innuimus, Asses Assiumque partes, quas habemus, ætatem Imperatoribus Augustis superiorem sapiunt. Demum ea nummorum differentia, de qua agimus, publicis potius monetariis, qui infiniti erant in orbe Romano, infinitisque diversis matricibus utebantur, quam privatis iisque multo paucioribus hominibus convenit. Multo vero magis explicari ea differentia posset, siquidem non unico simul integræ unius & ejusdem matricis ictu, sed pluribus & diversis diversarum parvarum matricum ictibus nummi percutiebantur; quod typorum crassitudo postulare videtur, & innuisse sit satis.

ADDENDA.

Non modo ſcripſeram, ſed etiam prelo ſubjeceram has Animadverſiones, quum mihi venerunt ad manus Notæ Viri, natalibus & eruditione Inluſtriſſimi Baronis Joſephi Bimardi in Scientiam nummariam P. Joberti, editæ Pariſiis anno MDCCXXXIX. Non minori, quam antea opus ipſum Joberti legeram, voluptate Notas easdem percurri, omnimodaque nummaria eruditione refertas miratus ſum. Quum vero aliqua notatu in rem noſtram digna deprehenderim, ea heic addere, operæ pretium duxi.

Ad Animadversionem VI.

De Conſule.

MEntionem ingerit Bimardus (1) ejus nummi, cujus etiam nos meminimus (2), nempe Domitiani cum COnSulatu XVIII.; item illius Ælii Cæſaris in Muſeo Theupolo, in cujus parte poſtica legitur ΥΠΑΤΟΣ Γ. *Conſul tertium*; tum etiam alterius Taciti apud Ab. Rothelinum cum epigraphe in parte antica IMP. C. M. CL. TACITVS AVG. COS. III. Hinc certum eſſe ſubdit ex Faſtis Conſularibus & Hiſtoria, Domitianum occiſum eſſe anno poſt Conſulatum XVII. proximo, quo Valens & Vetus erant Conſules; Ælium quoque Cæſarem ac Tacitum nonniſi ſecunda vice fuiſſe Conſules. Docet propterea Vir Cl., ſicut mentio ſuffectorum Conſulatuum neglecta aliquando in publicis monumentis eſt, ita deſcriptos aliquando occurrere Conſulatus, qui deſtinati quidem Principibus erant, ſed adiri per mortem non potuerunt. Quo loco duplicem Pagii, cui & nos acceſſimus (3), ſententiam firmare Bimardus videtur, alteram, qua Conſulatus ſuffectos in nummis ſæpe & inſcriptionibus omiſſos fuiſſe ſtatuitur; alteram, qua Cæſares & Auguſtos Conſules tantum deſignatos, quandoque Conſules abſolute appellari (4), docetur.

(1) *Not. in Inſtruct. V. p. 203. & ſeq. Tom. I.*

(2) *Animadv. VI. de Cos. pag. 125.*

(3) *Pag. 116. & ſeq.*

(4) *Pag. 122. & ſeqq.*

Ad Animadversionem VIII.

De Octavia in nummis Oppii.

INterpretatio litterarum F. C. in nummis Oppii, Antonio Triumviro cuſis, quam tradit Jobertus (5), *Frumento* ſcilicet *Convehundo*, ſicut & illa *Fieri Curavit*, qua Vaillantius, Morellius, & Havercampus in eisdem Oppii, tum etiam Atratini, ac Bibuli nummis inluſtrandis utuntur, quasque ſingulas nos exhibuimus (6), Bimardo (7) minime arrident; ſed explicare potius ipſe amat *Feriendum*, nempe nummum *Curavit*, phraſi, ut edicit, meliori, ac potio-

(5) *Addit. ad Scient. Num. ſect. 1. nov. cognit.*

(6) *Animadv. VIII. p. 166. 167. & 173.*

(7) *In Not. ad cit. loc. Scient. N. p. 137. Tom. II.*

potiore sensu; ita ut non quidem *Frumentum Convehi* ex Sicilia Alexandriam, ubi tunc Antonium degisse scribit, aut *Fieri*, seu refici *Classem*, sed nummos hujusmodi *Feriendos* Præfecti illi *Curarint*.

At nos credimus, Classem hanc tum ad rem bellicam, tum ad convehundum ex Sicilia, non Alexandriam, sed Romam frumentum fuisse constitutam; copiam quippe frumenti Romæ Sicilia suppeditabat. Certiores autem nos reddunt Dio Cassius (1), Plutarchus (2), & Appianus (3), Siciliam tenente tunc temporis Sex. Pompejo, ac frumentum Romam convehi prohibente, coactos ipsum Antonium ac Cæsarem pacem cum illo inire, ac convenire, ut *certam summam frumenti Pompejus ad Urbem mitteret*. Quærenti porro Bimardo Classis frumentariæ Proprætorumque ei præfectorum exemplum, sufficere ea poterunt, quæ de hujusmodi Classe & quidem Sicula ad calcem Animadversionis de Nomine *Navarchidis* sumus adnotaturi. Quod autem ad phrasim adtinet, dici æque bene posse non tantum *Frumento Convehundo*, sed etiam *Fieri Curavit*, ac *Feriendum* numisma *Curavit* existimamus, suppetentibus in hanc rem haud paucis probæ antiquitatis exemplis. Ceterum *Nummos* potius, quam *Navem* fieri, aut refici *Classem* curasse Præfectos illos, nos etiam cum Bimardo intelligimus; quin etiam ultro concedimus, has omnes de eisdem litteris F. C. interpretationes conjecturarum terminos non excedere; adeoque initiales ipsas perfecte explicatas censeri non posse, contra quod Jobertus docet (4).

Porro animadvertimus, Bimardum nihil opponere Joberto, ubi hic nummum Oppii Antonio ac Cæsari adserit (5); qua in re Virum utrumque Cl. favere nobis arguimus: quotiescumque enim Cæsar inesse dicatur, locus Cleopatræ non remanet, sed Octaviæ Cæsaris sorori omnino debetur. Attamen observamus, alibi (6) ipsum Bimardum Patri quoque Frœlich non contradicere, ubi hic (7) nummum Sinopes cum litteris C. I. F. XXXI. Cæsari, Antonio, & Cleopatræ, non autem Octaviæ adsignat: quod nos nullatenus admittimus; ubi enim Cæsar, ne cogitare quidem Cleopatram possumus, iis ita exigentibus, quæ per totam Animadversionem VIII. disseruimus, tum etiam aliis, quæ de hoc ipso Sinopes nummo addituri sumus (8). Quæ quum ita sint, veniam dabunt unus & alter amicus noster, iique non sine laudis præfatione nominandi ob plurimam, qua pollent, quamque in publicum bono Reipub. litterariæ emittere non cessant, eruditionem, Rodulphinus Venutus & Antonius Franciscus Gorius, si ab eis recedimus, ubi nummos, qui Antonium nonnisi COS. DESIG. ITER. ET TERT. exhibent, cuique proinde sunt ante annum U. C. DCCXX., & quidem ab Asiæ, ut

(1) *Lib. XLVIII. pag. 379. A.*
(2) *In Anton.*
(3) *Lib. V. Bell. Civ. p. 1132. al. 713.*
(4) *Ibid.*
(5) *Ibid.*
(6) *Not. ad Instr. XI. Jobert. p. 73. Tom. II.*
(7) *Append. ad Num. Col. R. Vaill. n. VII. p. 89. Quat. Tentam. in Re Num. Vet.*
(8) *Animadv. de Trib. Pot. n. XXII pag. 171.*

ut passim creditur, populis, cum figura seu capite muliebri supra cistam inter serpentes in parte posteriori, Cleopatræ (1) adducunt: persuaderi quippe nullo modo possumus, Asianos, aut alios Romanæ Reip., cui Cæsar cum Antonio præerat, parentes Cleopatram, Octavia alterius sorore, & uxore alterius exclusa, conjungere in nummis cum Antonio voluisse, sive, ut verius loquamur, potuisse.

(1) *Venut. Not. in Tab. III. n. 1. p. 5. Tom. I. Numism. Max. Mod. Vatican. Gorius Mus. Flor. Cl. II. num. arg. & ær. max. mod. Impp. &c. n. VII. p. 46. & VIII. p. 47.*

Ad Animadversionem XIV.

De Litteris AMK *in nummis Tarsi & Anazarbi.*

EXhibet & expendit Bimardus (2), sicut & nos fecimus, Antiquariorum de litteris A M K in nummis Tarsi & Anazarbi sententias. Alteram tamen is ulterius exponit, cujus nos nequaquam meminimus, sed meminisse juvabit. Ea est Cl. Haymii (3), qua statuitur, Tarsum & Anazarbum, quum liti de *Primatu* finem imposuissent, & in concordiam venissent, nihil faciendum censuisse absque consensu *Anchiales* & *Mopsuestiæ*, Urbium liberarum suisque legibus utentium, decretumque fuisse, nomen harum Urbium in Tarsi & Anazarbi nummis exhibendum esse; ita ut hæ litteræ AMKΓB significent Ἀγχιάλης Μοψυεστίας Κοινὸν Γερουσίας Βουλῇ, *Anchiales* ac *Mopsuestiæ Communitas Senatus Consulto*. Hanc tamen sententiam reliquis omnibus minus verosimilem judicat Bimardus. Etenim, si Tarsus, inquit, & Anazarbus concordiam inter se junxerunt, cur nomen unius in alterius nummis non legitur? Et, si nomina *Anchiales* & *Mopsuestiæ* exhibuerunt in suis nummis Tarsus & Anazarbus, cur Tarsi & Anazarbi nomina non exhibuerunt Anchiales & Mopsuestiæ Urbes? Omnem porro de hujusmodi litteris quæstionem ita demum concludit Vir eruditiss., ut censeat, & quidem recte, de earumdem sensu & explicatione nondum certo constare: quomodo & nos ea, quæ disseruimus, accipi volumus.

(2) *Not. VI. in Nov. Cognit. Scient. Num. pag. 144. Tom. II.*

(3) *Thes. Brit. Tom. I. pag. 274.*

Ad Animadversionem XV.

De Nummis Monetaque Romanorum.

PErsuasum sibi fatetur Bimardus (4), Numismata maximi moduli, italice *Medaglioni*, quamvis nonnisi quibusdam occasionibus, & idcirco minori præ reliqua Moneta numero cusa sint, tum etiam ad exercendas Liberalitates, non ad solvenda tributa ærario publico destinata primum sint, adhuc tamen locum in commercio habuisse, pretio ad pondus magnitudinemque relato.

(4) *Not. in Instr. V. Scient. Num. p. 201. Tom. I.*

Arbi-

Arbitrari ſe ſubdit Vir peritiſſimus, hac tantum explicatione diverſas Antiquariorum conciliari poſse ſententias. Hinc mirum videri non debere tradit (1), ſi, quum aliqua hujusmodi numismata commercio deſtinata fuerint, poſtquam in Liberalitatibus populo ab Imperatoribus diſtributa fuerunt, cum æreæ Monetæ nota, litteris nempe S. C. compareant. Quæ omnia bono opinionis noſtræ, quæ idem adſtruit, alibi (2) confirmat.

(1) *Ibid. p.* 211.

(2) *Not. in XI. Inſtruct. Num. pag.* 59. *Tom.II.*



INDEX

INDEX.

A

B

C

D

E

F

Hub.

G

H

I

O

P

Q

R

S

tutis



D. JO-

D. JOSEPH MARIA A PAPIA

Congregationis Benedictino-Casinens. Abbas Præses.

CUM Opus inscriptum, *In Numismata Ærea Selectiora Maximi Moduli e Museo Pisano olim Corrario Animadversiones*, ab Admod. R. P. D. Alberto a Bergomo Congregationis Nostræ in Pontidensi Divi Jacobi Cœnobio Claustrali Priore concinnatum duo ex nostris Theologis ad id specialiter delegati sedulo perlegerint, nec quidquam in eo Orthodoxæ Fidei moribusve absonum sese offendisse, scripto testimonio adfirmarint, idem publici juris fieri, quo ad nostrum interest, hisce permittimus.

In Ferrariens. Divi Benedicti Ædibus nostris Kalendis Januariis MDCCXL.

D. Joseph Maria a Papia Abbas, et Præsid.

Loco ✠ Sigilli.

D. Benedict. Jo. a Mantua Pro-Cancell.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbatione del P. Fra Pio Enrico Martinengo Inquisitore di Bergamo nel Libro intitolato, *In Numismata Ærea Selectiora Maximi Moduli e Museo Pisano olim Corrario Animadversiones*, non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza a Gio: Santini Stampatore nel Monistero di Pontida di Bergamo, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. li 27. Giugno 1740.

{ Z. Piero Pasqualigo Ref.
{ Gio: Emo Proc. Ref.
{ Lorenzo Tiepolo Cav. Proc. Ref.

Agostino Bianchi Segretario.

IN NUMISMATA

ÆREA

MAXIMI MODULI

ANIMADVERSIONES.

IN NUMISMATA


ÆREA SELECTIORA

MAXIMI MODULI

E MUSEO

PISANO OLIM CORRARIO

ANIMADVERSIONES.



IN MONASTERIO BENEDICTINO-CASINATE

Sancti Jacobi Pontidæ Agri Bergomatis

APUD JOANNEM SANTINUM SUMPTIBUS SOCIETATIS

ANNO MDCCXLIV. SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISS.[mo] *AC REVERENDISS.*[mo]

S. R. E. CARDINALI

FORTUNATO

TAMBURINO

D. Albertus Mazzolenus Abbas Benedictino-Casinas.



ÆC altera, quam ſupplendis in Numismata Piſana Commentariis paraveram, Nummariarum conlectio Animadverſionum in publicum prodire, non ante permiſſa a me eſt, Cardinalis Eminentissime, quam, ut Patrocinii Tui eam auctoritati

committerem, ſupplicem me Tibi crediderim. Sereniſſimi Venetiarum Ducis Aloisii Pisani, Eminentiſſimique Cardinalis Quirini auſpiciis Animadverſiones aliæ proceſſerant: nec vero minorum gentium Patronum hæ quoque, ut ordine ita opere pares, poſtulabant. Principalis etenim in re Nummaria faſtigii complexæ momenta, haud indignæ Viro primoris in Litteraria Rep. ſubſellii videbantur: & ego magna auſus, ſed non magnifice conata exſecutus, in tuto nonniſi ſub Purpura eſſe poteram. Nihil igitur cunctatus, (non enim quærendus erat, quem obſecrarem, ſed obſecrandus, qui eminebat), ad Te dignitate doctrinaque Principem, Patrocinio me Tuo defenſurus adcurri. Recens vero etiam & inſignis Purpuræ honos, cujus rubenti oſtro lanas perfudiſti Caſinates, hoc ſibi reverentiæ gratique animi repoſcebat officium. Accedebat Tua in me Beneficentia, meaque in Te obſervantia, quibus nihil antiquius. Pudet equidem, hoc ipſum, quod non tam mea cauſſa, quam publico nomine pendo, tributum ex cenſu non eſſe: parcitum tamen mihi ſpero; quippe Te optimum, ſtudiorumque Patronum univerſi ſuſpicimus. Vitæ innocentia ingenioque florens quum Benedictino-Caſinati Congregationi nomen adoleſcens dediſſes, morum litterarumque diſciplinis animum & corpus exercere non deſtitiſti.

tiſti.

tiſti. Viro inde pietate præcipuo, doctrina eximio, ac magni nominis, Abbati Bacchino talem in Theologicis & Hiſtorico-Eccleſiaſticis, tum etiam in aliis melioris eruditionis ſtudiis operam navaſti, ut ei ſimillimus evaſeris. Delato Magiſterio, in omnibus, quæ adire juſſus es, Cœnobiis, (nec enim niſi ex obedientia agere mos Tibi lexque ſancta), Philoſophiæ, Theologiæ, Sacrorumque Canonum erexiſti monumenta. Quumque pietatem conjungeres, mirum, quanta virtutum omnium bona circumtuleris præſentia Tua. Laborum exceſſeras modum, ſoliſque temperaveras honoribus, quum Vicennii ſtipendiis emeritus, votis publicis Prior, inde Abbas creatus es. Aucta dignitate virtus ſeſe magis exeruit, utilitatemque protelavit. In adminiſtrandis Monaſteriis Religio in primis, morum, diſciplinæque Regularis integritas una cum ſtudiis præſertim ſacris, curæ Tibi fuerunt; tum Prudentia & alia optimi Præſulis ornamenta enituerunt. Regiminis Tui bonum ſenſit quam maxime Romanum Cœnobium, & in eo Juventutis Conlegium; ibi enim fovendæ pietati alendiſque ſtudiis magno cum fructu magnopere incubuiſti. Benevolentiam & æſtimationem domi foriſque in Urbe jam tum conciliaveras Tibi, quum ibi doceres, adeo ut inter Cardinales adlectus Abbas ejuſdem Monaſterii Porzia, in plu-

ribus,

ribus, quibus ipſe perfunctus erat, quibusque ad Purpuram gradum fecerat, muneribus ſufficiendum Te ſibi curaverit. Sanctiſſimus quapropter Pontifex Max. Benedictus XIII., cui innotueras, Conſultorem Indicis Librorum Congregationi Te dedit, ſociumque iis adjunxit, quos altera eaque maxima Sancti Officii Congregatio Conſiliarios adhibet. Carus etiam fuiſti Clementi XII., qui renuntiatum ulterius Te Sacrorum Rituum Conſultorem, Roma abeſſe non eſt paſſus. Eo defuncto, quum ad gubernandum Tuum Sancti Petri Mutinæ Monaſterium Te recepiſſes, vix Summum Pontificatum Optimus Max. Benedictus XIV. cepit, ut ad Urbem ejus nutu revocatus ſis, tuisque reſtitutus muneribus. Qualis autem quantusque in iis eſſe perrexeris, cum omnium erga Te obſequium, tum maxime perpetuus Domini Nostri favor & judicium abunde declararunt. Divini namque ſpiritus Auguſtusque Princeps, optime intelligens intereſſe Reip. pietatem Tuam dignitate eminere, doctrinamque auctoritate muniri, in Sacrum Purpuratumque Urbis & Orbis Senatum, ſumma cum omnium laude plauſuque, invita tantum pro more ac reluctante Tua Modeſtia, Te cooptavit. Indultum hac in re juſtiſſimo Summi Parentis genio, bonoque conſultum publico, non Tuis ſolummodo

responsum meritis, persuasum est universis. Tulit vero protinus consilii sui providentissimus PRINCEPS, votique sui pretium Respublica. Quantum etenim Dignitate, tantum virtutibus emines; & locum amplissimum consiliorum factorumque magnitudine imples. Augendæ ornandæque rei Christianæ quam maxime intentus, finem bene de ea merendi facturum Te nullum, in hoc natus suetusque promittis. Magno itaque adjumento magnoque gaudio es supremo MODERATORI, qui & gratum animum Tuum Beneficentissimus diligit. Urbs quoque tota virtutes & merita miratur Tua: comitatem præterea ac benignitatem Tuam, conlocandique beneficii studium omnes amant. Quæ quum ita sint, non alii certe quam Tibi, CARDINALIS EMINENTISSIME, in clientelam commendandæ erant Animadversiones meæ. Reliquum est, ut, quum minus mereantur, Clementia eas tuteris, tum mihi, quod enixe precor, patrocinari pro summa humanitate non cesses. Ego vero, ut soleo, veneratione potius, & apud Deum votis, quam præconio & gratiarum actione, his impar, perpetuo Te colam.

BENIGNO LECTORI.



QUemadmodum etiam hæ in Numismata Pisana Animadversiones non parum temporis, antequam prelo supponerentur, apud me jacuerunt, ita e prelo egressæ, ut in publicum prodirent, tardius inpetrare a me potuerunt. Præterquamquod enim eisdem, sicut antea aliis, timere non cessabam, illis consultum iri cunctando sperabam: fieri namque posse credebam, ut aut alii aut tempus eas corrigendi, ac meliusculas faciendi, mihi præberent occasionem. At, quum frustra, quam avebam, apud alios quæsierim censuram, nec meliora tempus suggesserit, declinandæ differendæque rei locum haud amplius esse ratus, ut publici juris, qualescumque eæ sint, fiant, permittere demum coactus sum. Judicio quapropter tuo me sistens, Lector, Te oro obtestorque, ut benignitate, sicubi umquam, heic utaris erga me tua. Ut vero aliquem tarditatis meæ fructum habeas, hæc accipe, pauca alia in calce Voluminis accepturus.

ADDENDA ET CORRIGENDA
IN PRÆCEDENTI VOLUMINE.

DE PRINCIPE JUVENTUTIS.

(1) *Pag.* 109.

(2) *XIV. Lib.* 1.

SCripsi (1), titulum *Principis Equestris Ordinis* post Sejani Patrem mihi non occurrisse: at postea occurrit in Plinii junioris Epistola (2) ad Junium Mauricum, ubi de Minicio Aciliano hæc leguntur. *Est ei --- Pater Minicius Macrinus* EQUESTRIS ORDINIS PRINCEPS, *quia nihil altius voluit; adlectus enim a Divo Vespasiano inter Prætorios, honestam quietem huic nostræ ambitioni, dicam, an dignitati prætulit.* Dignitatem Senatoriam ac Consularem, ad quas Plinius pervenit, heic ipse designare videtur. De Aciliano autem, Macrini filio, subdit: *Quæsturam, Tribunatum, Præturam honestissime percucurrit; ac jam pro se tibi necessitatem ambiendi remisit.* Prætura summus erat *Equestris Ordinis* Magistratus; interque Prætorios adlectus Macrinus, quia nihil altius ipso *Equestri Ordine* voluit, intra eum se continens, *PRINCEPS*, Seniorum sc. Equitum evaserat. Sed Acilianus filius post Præturam altius volens, Senatorium adpetebat ordinem. Reservatum itaque *Equestris Ordinis Principatum* iis intelligimus, qui in

eo

eo ſeneſcebant : nec proinde Imperatorum filiis conveniebat, qui nedum ad Senatum, ſed ad ipſius Senatus Principatum deſignati erant. Bene autem ipſis congruebat *Juventutis Principatus*, quia ex hoc ad illum Senatus patebat aditus. Hinc Ovidius, Equeſtris & ipſe Ordinis, Cajo Cæſari, Auguſti Nepoti & heredi, cecinit (1): *Nunc Juvenum Princeps, deinde future Senum*. Præterea, quemadmodum novus erat Equeſter Ordo (2), ita novus fuit ejuſdem Principatus. At vero *Principatus Juventutis*, non ſecus ac ille Senatus, erat antiquus. Poſtquam igitur *Princeps Senatus* renuntiatus eſt Auguſtus, *Principes* quoque *Juventutis* appellati ſunt ejus Nepotes, Cajus & Lucius Cœſares. Et, ſicuti titulus *Principis Senatus* inde evaſit proprius Imperatorum, ita ille *Principis Juventutis* factus eſt proprius heredum imperii; nec niſi ſola utriusque nominis umbra apud privatos, ſi quidem duravit, remanſit.

(1) *Lib. I. de Art. am. verſ.* 194.
(2) *Vid. pag.* 107. *Vol. præc.*

DE CONSULE.

PAgii Viri Cl. de Conſulatibus Imperatorum *ſuffectis* ſæpe omiſſis in nummis & inſcriptionibus opinioni (3) accedens Vir alter Cl. Piovenus, in primis notat (4), Conſulatum Domitiani ſecundum tertiumve ordinarium *Suffectis* omiſſis ſæpe proponi. Hinc nummum inluſtrans Muſei Farneſii (5) inſcriptum --- VESP. F. DOMITIAN. AVG. P. M.) (COS. XIII. DES. VIIII. P. P. S. C., nullus dubitat (6), quin Noriſius, ſi hoc Domitiani monumentum offendiſſet, opinionem ſuam (7), illi Pagii contrariam, omnino mutaſſet, & e contra adſeruiſſet, omnium Imperatorum, etiam Domitiani, monumenta exſtare antiqua, quæ, quum mentionem faciant eorum Conſulatuum, modo Conſulatus omnes nequidem omiſſis *ſuffectis* numerant, modo omiſſis *ſuffectis* ordinariorum tantum meminerunt. Certe numerus XIII. nummi ejuſdem Farneſii omnes Domitiani Conſulatus tum ordinarios tum *ſuffectos* connotat, numerus vero VIIII. ordinarios tantum reſpicit. De quibus etiam, non *de ſuffectis*, ut male in typos (8) irrepſit, intelligendos eſſe *COnSulatum* II. & VII. ejuſdem Domitiani in aliis nummis jam obſervavimus (9).

(3) *Vid. Anim. VI. de Coſ. n.* 5. *p.* 116. *& ſeqq.*
(4) *Tom. IX. Muſ. Farneſ. pag.* 51.
(5) *Tab. III. n.* 24. *ejuſd. Tom.*
(6) *Pag.* 115.
(7) *Vid. p.* 117. *Animadv. noſtræ VI. de Coſ.*
(8) *Ibid. p.* 118. *lin.* 38.
(9) *Ibid.*

DE LITTERIS AMK

In Nummis Tarſi & Anazarbi.

PLures tum alienas tum noſtras exhibuimus (10) harum litterarum explicationes; at nondum nobis ipſis, ut aperte & ingenue confiteamur, ſatisfecimus. Vero itaque nunc propius credimus, *Ludos* ſeu *Certamina Magna Ciliciæ* iis litteris deſignari,

(10) *Animadv. XIV pag.* 245. *& ſeqq.*

ri , quæ modo Tarsi ; modo Anazarbi , occasione Conventus seu Concilii publici sint celebrata . Habebat Cilicia, aliarum more Provinciarum, in primoribus Urbibus Templa & Sacra communia, ad quæ statis temporibus universa conveniebat Provincia, magnaque edebantur Certamina. Inter obvia hujus generis exempla adnotari potest in duabus illis apud Van Dale (1) inscriptionibus mentio ΑΓΩΝΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΑΣΚΛΕΠΙΕΩΝ ΤΟΥ ΚΟΙΝΟΥ ΤΩΝ ΓΑΛΑΤΩΝ, *Certaminum Magnorum Asclepiorum* , seu Æsculapii , *Communis Galatarum* . Similem vero interpretationem recipere possunt etiam litteræ AMK in nummis Tarsi & Anazarbi, nempe Α'γῶνα Μεγάλα Κιλικίας , *Certamina Magna Ciliciæ*, seu Α'σκλεπιέα *Asclepia Magna Ciliciæ* , seu potius Α'κτια, *Actia*, quæ satis solemnia, & apud plures gentes recepta in honorem celebrabantur *Actii* Apollinis , postquam Augustus victo apud Actium Antonio cum Cleopatra, Templum ipsi Apollini majus ibi extruxit (2), *& Ludos musicos ac gymnicos , & Certamen equestre cum Sacro Quinquennali constituit , Actios Ludos illos vocans* . Honore autem præcipuo Apollinem colebant Tarsenses: & ipsum Augustum super omnes optime sibi habuerunt volentem ac familiarem, teste utriusque rei Dione Chrysostomo (3) . ΑΔΡΙΑΝΗΣ (4) quoque in honorem *Hadriani* Imp. , & ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗΣ (5) in honorem *Antonini* Caracallæ dicitur in nostris nummis Tarsus ; & Templa exhibet *Communia Ciliciæ* (6). Quemadmodum vero Certamen, quod in honorem instituit Commodi, cujus gratia ΚΟΜΟΔΙΑΝΗΣ (7) *Commodiana* pariter appellata est , ΚΟΜΟΔΙΑΝΟΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ (8) *Commodianum Œcumenicum* cognominavit , ita Certamina , quæ Hadriano & Antonino dedicavit , *Hadrianea* & *Antoniniana* nuncupasse videtur ; atque ea esse possunt , quæ in nummis per litteram A designantur . Quum etiam *Alexandriana*, sive in honorem ejusd. Caracallæ, qui alter Alexander videri voluit (9), sive potius Sev. *Alexandri* cognominata sit Tarsus , *Alexandriana* Certamina interpretari possumus. In nostris præterea nummis Hercules (10) sæpius conspicuus est , πυρὰν πάνυ καλὴν αὐτῷ ποιεῖτε (11) , *cui rogum sane pulchrum faciebant* Tarsenses . Similia haberi possunt pro explicatione litterarum AMK in nummis Anazarbi.

(1) *Diss. III. de Pont. Gr. & Asiar. pag. 292. & seq.*

(2) *Dio Cass. Lib. LI. p. 442. Vid. Com. in n. 3. Tab. XLII. p. 121.*

(3) *Tars. I. p. 394. C. & 407. C. Tars. II. p. 415. C.*

(4) *Tab. XXX. n. 4. p. 88.*

(5) *Tab. XLIIII. n. 1. p. 125.*

(6) *Ead. Tab. XXX. & n. 4.*

(7) *Ibid.*

(8) *Num. Gaz. Gall. Reg. apud Morell. in Spec. Tab. XIV.*

(9) *Com. in N. III. Tab. XXXVIII. p. 108.*

(10) *Tab. L. n. 3. LVI. n. 1. LIX. n. 1.*

(11) *Dio Chrys. Tars. I. p. 408. B.*

ANIMAD-



ANIMADVERSIO I.

DE TRIBUNICIA POTESTATE AUGUSTORUM CÆSARUMQUE *ROMANORUM.*

Tribunicia Poteſtas, quando ac qualis inſtituta, & quomodo aucta

I. Nno ſextodecimo ab exactis Roma Regibus, quum a Patriciis ſeceſſionem feciſſet Plebs Romana, agi de concordia cœptum, conceſſumque in conditiones, ut Plebi ſui Magiſtratus eſſent ſacroſancti, quibus auxilii latio adverſus Conſules eſſet; neve cui Patrum capere eum Magiſtratum liceret (*a*). *Ita Tribuni Plebeji creati duo*, ſeu quinque (*b*): inieruntque Magiſtratum IV. *Idus Decembris* anno Urbis conditæ Varroniano, [quo nos utimur], CCLXII. Hinc XXXVI. *anno a primis Tribunis pl.* X. *creati ſunt, bini ex ſingulis claſſibus; itaque cautum eſt, ut poſtea crearentur* (*c*). Decretum quoq; eſt, ut Tribuni ſacroſancti & inviolabiles eſſent, lege in hoc lata, & jurejurando addito, quo confirmaretur hæc ſecuritas (*d*): inde *Tribuni* ſacroſancti ſunt habiti. Conceſſum poſtea (*e*), ut quoties Tribuni concionem quacumque de re advocaſſent, ei ſe Patricii non miſcerent neque interturbarent: idque lege per Tribunos ipſos, ſuffragante populo, lata (*f*) confirmatum eſt. Quumque Conſules (*g*), ut potiori poteſtate præditi, imperio ſuo ſubjectum vellent, quidquid in urbe eſſet; e contra

(a) Liv. Lib. II. c.33. Appian. lib. I. Bell. C. p.628. Ed. Amſtel. ann. 1670. qua utimur al. 370.
(b) Livius ibidem & Dionyſ. Halic. Lib. VI. Ant. Roman. pag. 410. Ed. Lipſ. an. 1691. al. 303.
(c) Liv. Lib. III. c.30. Dionyſ. Lib. X. p. 657. al. 485.
(d) Idem Dionyſ. Lib. VI. p. 410. al 303.
(e) Id. Lib. VII. pag. 430. al. 318.
(f) Pag. 432. al. 319
(g) P. 430. al. 317.

Tribuni contenderunt, quidquid a plebe judicari decernique ſoleret, id omne eſſe in ſua poteſtate. Admiſſi vero in Senatum Tribuni *(a)*, adſtruxerunt etiam ſibi licentiam Patricios ipſos accuſandi: fuitque prima Marcii, Patricii hominis ad cauſſam apud populum dicendam citatio atque damnatio: & ex illo tempore *(b)* morem ſibi fecere Tribuni, quibuſcumq; liberet, civibus diem ad populum dicere. Unde maximum incrementum poteſtas plebis habuit; & contra Optimatum factio maximum priſtinæ dignitatis accepit detrimentum, admiſſis plebejis hominibus in Senatum, ad Magiſtratus, & Sacerdotia, alioſque primarios honores, qui antea ſolis Patriciis peculiares fuerant. Neque vero ſolum privatos ſed etiam Magiſtratus accuſare cœperunt Tribuni. Hinc duo Tribuni *(c)* Q. Conſidius & T. Genucius diem dixerunt Menenejo ſuperioris anni Conſuli *(d)*, juſſuſque hic fuit rationem reddere rerum bello nec proſpere nec honorifice geſtarum; in primis autem de Fabiorum interitu ac Cremeræ excidio graviter inſimulatus, Tributis comitiis a plebe omnibus ferme calculis damnatus eſt. Mox etiam *(e)* alius Vir Patricius idemque Conſul *(f)* Sp. Servilius, non multo poſtquam Magiſtratu abiit *(g)*, capitis apud populum accuſatus eſt a duobus Tribunis plebis L. Cædicio & T. Statio, die dicta; nec niſi deprecantibus Patriciis abſolutus eſt. Publius autem Volero iterum Tribunus plebis *(h)*, quum legem de Tribuniciis comitiis, ut pro curiatis tributa fierent, iterum ferret, contradicentem Appium Claudium Conſulem duci juſſit in carcerem *(i)*. Tum Quinctius alter Conſul, quum concedenda plebi æqua poſtulata cenſeret, de lege ad Senatum retulit, & poſt longam diſſuaſionem Appii Tribunorumque ſuaſiones multis calculis vicit ea Senatus pars, quæ rogationem permittebat: factoque Senatuſconſulto diremptiſque privatis Tribunorum & Appii contentionibus, Plebs æquis animis amplexa, quod Senatus conceſſerat, legem ſuffragio ſuo comprobavit. Hoc porro fuit inter curiata & tributa Comitia diſcrimen *(k)*, quod Curiata tum demum rata habebantur, ſi re prius in Senatu agitata, populique calculo per Curias approbata, poſt ambo iſta, divina etiam ſigna atq; auſpicia adſenſiſſent. Tributa vero, etiamſi nec Senatuſconſultum præceſſiſſet, nec ſacra vel auſpicia addixiſſent, una die peragebantur a Tribulibus. Rurſus autem contentiones *(l)* recruduerunt inter Tribunos & Conſules, qua

(a) Pag. 454. al. 335.

(b) Ab An. U. C. 264. Liv. Lib. II. cap. 35. Dionyſ. Lib. VII. pag. 469 al. 347.

(c) Id. Dionyſ. Lib. IX. Ant. R. p. 585. al. 432.

(d) An. U. C. 278.

(e) An. U. C. 280.

(f) An. U. C. 279.

(g) Dionyſ. eod. Lib. p. 586. al. 433.

(h) An. U. C. 284.

(i) Dionyſ. p. 604 al. 445.

(k) Id. pag. 598. al. 441.

(l) Dionyſ. Lib. X. p. 657. al. 485.

qua concertatione Tribuni nonnihil Consulari potestati detraxerunt: nam antea concionum dumtaxat jus penes Tribunos erat, Senatum convocare aut sententiam dicere eis non licebat, sed Consulum is honos fuit. At vero Tribuni Senatum convocare adgressi sunt, auctore Icilio (*a*) Tribuno; tum etiam dimittere (*b*) instituerunt. Nec multo post (*c*), quum Æquis bello superatis, prædam propter inopiam ærarii Consules vendidissent, invidiæ res ad exercitum fuit, & Tribunis materiam criminandi ad plebem Consules præbuit. Itaq; ergo, ut Magistratu abiere (*d*), Sp. Tarpejo, A. Æterio Coss. dies dicta est, Romilio ab C. Claudio Cicerone Tribuno plebis, Veturio ab L. Halieno Ædili plebis; uterque magna Patrum indignatione damnatus; Romilius x. millibus æris, Veturius xv. millibus. Vincebatur itaque Consulare imperium (*e*) Tribunicio auxilio, datumque legimus (*f*) *sub jugum Tribuniciæ Potestatis Consulatum fuisse*. Nec vero potestatem more ipsorum Consulum aliorumque Magistratuum creato Dictatore deponebant Tribuni; sed ceterorum quidem Magistratuum jure in Dictatorem translato, soli Tribuni officium retinebant suum. Quin L. Manlius Dictator bellum Hernicum adfectans, quum delectu acerbo juventutem agitasset, omnibus in eum Tribunis plebis coortis, seu vi seu verecundia victus, Dictatura abiit. Neque eo minus dies Manlio dicta est a M. Pomponio Tribuno. Jus (*g*) etiam Tribuni dicere consueverunt, receptumque (*h*) fuit, ut Tribunorum januæ numquam clauderentur, sed noctes diesq; apertæ essent, tamquam portus & perfugium ope indigentibus: nec vero ab urbe unam noctem abesse per leges Tribunis pl. licebat (*i*). Ceteris omnibus conlegis volentibus, unus, qui nollet, & se opponeret, plus poterat (*k*). Majus adhuc jus dignitatemque Plebs atque Tribuni adquisierunt, quum Plebiscita legibus proprie dictis & Senatus decretis æquiparata (*l*) sunt. *Plebiscita* (*m*) *appellabantur, quæ Tribunis Plebis ferentibus accepta sunt: quibus rogationibus antea Patricii non tenebantur; donec Q. Hortensius Dictator eam legem tulit, ut eo jure, quod Plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur*. E contra nihil ratum habebatur, quod Senatus decrevisset, nisi Tribuni Plebis adprobassent. Hinc *ante* (*n*) *valvas* Curiæ *positis subselliis decreta Patrum adtentissima cura examinabant; ut, si qua ex eis improbassent, rata esse non finerent. Propterea veteribus Senatusconsultis* T. *littera subscribi*

(a) An. U.C. 299.
(b) Appia. Lib. II. Bell. Civil. p. 445.
(c) An. U.C. 300.
(d) Liv. Lib III. c. 31.
(e) Liv. Lib. III. c. 30.
(f) Id. Lib. IV. c. 26. Vid. Libro VII. paullo post principium.
(g) Plutarch. in in Catone Utic.
(h) Id. in Quæst. Rom. nu. 80.
(i) Cicer. apud Dion. Cass. Libro XLV. p. 284. A.
(k) Plutarch. in Catone Uticensi. *quo sensu accipe, quæ quarto loco de Tribunis pag. 5. notantur.*
(l) An. U.C. 467.
(m) Gell. Libro XV. cap. 27.
(n) Val. Max. Libro II. cap. 2. num. 7.

ſcribi ſolebat ; eaque nota ſignificabatur , ita Tribunos quoque cenſuiſſe . Dictator quidem Sylla Tribuniciam (*a*) Poteſtatem minuit, & quam (*b*) arctiſſime contraxit, omne jus legum ferendarum adimens (*c*), auxilii ferendi relinquens: qua in re vehementer Syllam probat Q. Cicero (*d*) apud Marcum. At *Cn.* (*e*) *Pompejo & M. Craſſo Coſs.* (*f*) *Tribunicia Poteſtas reſtituta eſt*; & homines adoleſcentes ſummam poteſtatem nacti, quibus ætas animuſque ferox erat, cœpere Senatum criminando exagitare. Paullo poſt (*g*) P. Atinius Tribunus Plebis Bibulum Coſ., quod legi Cæſaris conlegæ de agro toti populo dividendo contradiceret, in carcere includere adgreſſus eſt, idque, ni obſtitiſſent reliqui Tribuni, perfeciſset. Hæc & alia Tribuni Plebis ſtante Republica conſecuti ſunt, atque uſurparunt.

(a) Vict. de Vir. Inl. c. 7. in Sylla.
(b) Dionyſ. Hal. in fine Lib. V.
(c) Liv. Epit. 89.
(d) De Legib. IV. 9.
(e) Catilin in Ep. ad Q. Catul. apud Salluſt. de Bel. Catil. Vellej. Libro II. cap. 30.
(f) An. U. C. 695.
(g) Dio Caſſ. Lib. XXXVIII. pag. 62. B.

Tribunicia Poteſtas Imperatorib. delata.

II. Sublata vero Republica manſit quidem Tribunicia Poteſtas manſeruntque Tribuni, ſed a Tribunis ad Imperatores ſumma ejus Magiſtratus poteſtas tranſiit. Ubi itaque de Pharſalica pugna fama Romam advenit, deque Pompeji morte auditum eſt, mox Cæſari, quæcumque excogitari ad ejus honorem potuerunt, decreta ſunt (*h*): τήν τε ἐξουσίαν τῶν δημάρχων διὰ βίου, ὡς εἰπεῖν, προσέθετο: inter alia, *ut Tribuniciam Poteſtatem per omnem vitam haberet*. Alteri quoque Cæſari poſt devictum Antonium conceſſum eſt, τήν τε ἐξουσίαν τὴν τῶν δημάρχων διὰ βίου ἔχειν (*i*), *ut Tribunicia Poteſtate perpetua uteretur*. Hanc tamen inter ea pauca fuiſſe, quæ tum non admiſit Cæſar, ex eo conſtat, quod iterum ei delatam legimus (*k*). Conſul itaque XI., quum & ipſe jam inde a compoſitione Reip. ac nonnulli alii toto anno conſulatum geſſiſſent, inhibere eum morem cupiens, ut ad plures Conſulatus perveniret, extra urbem Magiſtratu abiit, ne impediretur. Laudatum eſt hoc ejus factum, idq; etiam, quod in ſuum locum ſubrogavit L. Seſtium, qui Bruti rebus faverat, & adhuc memoriam colebat. „ Ea „ propter Senatus inter alia Cæſari decrevit (*l*), Δήμαρχόν τε „ αὐτὸν διὰ βίου εἶναι, *ut Tribunus plebis perpetuus eſſet*. Inde exor„ tum eſt (*m*), ut ipſe Cæſar Auguſtus, quique eum ſecuti „ ſunt, Imperatores, quaſi conſuetudinis ac dicis cauſſa, cum „ aliis, καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τῇ δημαρχικῇ ἐχρήσαντο, *tum Tribunicia Poteſta*„ *te uterentur* : nam Tribuni plebis nomen neque Auguſtus „ neque ullus alius Imperator geſſit. Tribunicia (*n*) itaque „ Poteſtas efficiebat, ut intercedere iis, quæ ab aliis contra ip„ ſorum

(h) Dio Caſſ. Lib. XLII. p. 194. D.
(i) Id. Dio Lib. LI. p. 457. B.
(k) Apud ipſum Lib. LIII. p. 518. D.
(l) Apud ip. Lib. LIII. p. 518. E.
(m) Apud ip. eod. Lib. p. 519. A.
(n) Id. Dio eod. Lib. p. 508. D.

„ ſorum ſententiam movebantur, poſſent; ac inviolabiles eſ- „ ſent, ita ut, ſi vel minimo, non dicam, facto, ſed verbo ſe ab „ aliquo læſos exiſtimarent, eum indicta cauſſa, tamquam qui „ ſe piaculo obſtrinxiſſet, necare poſſent. Gerere quidem Tri- „ bunatum plebis nefas ducebant Imperatores, quum utique „ ipſi eſſent Patricii: τὴν δὲ δύναμιν τὴν τῶν δημάρχων πᾶσαν ὅσηπερ „ τὰ μάλιστα ἐγένετο, προςίθενται, καὶ δι' αὐτῆς καὶ ἡ ἐξαρίθμησις τῶν ἐτῶν τῆς ἀρ- „ χῆς αὐτῶν, ὡς καὶ κατ' ἔτος αὐτὴν μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων λαμβανόντων, „ προβαίνει: *Omnem vero Tribuniciam Poteſtatem, quanta um-* „ *quam maxima fuit, accipiebant; & juxta eamdem dinumera-* „ *tio quoq; annorum imperii ipſorum procedebat, quaſi & ipſis ſingu-* „ *lo quoq; anno eam cum Tribunis plebis ejus temporis accipientibus.*

III. In pluribus itaque differebant a Tribunis, eoſque ſupereminebant Imperatores. Primo, quia Imperatores erant Patricii, Tribuni vero plebeji. Secundo omnem Tribuniciam Poteſtatem, quanta umquam maxima fuit, accipiebant Imperatores, ſecus ac Tribunis acciderat, utpote qui modo majorem, modo minorem exercere permiſſi fuerant. Tertio Tribunicia Poteſtas in Imperatoribus erat perpetua; in Tribunis vero ad annum. Quarto plures erant Tribuni, utque ratum aliquid eſſet & inviolabilis auctoritas, toti conlegio vel ſaltem plurium ſententiis ut probaretur, neceſſe erat; at Imperatoribus, quum integro Magiſtratus jure potirentur, quidquid placebat, vim legis habebat. Legimus etiam (*a*) conceſſum Auguſto, quum ei primum Tribunicia Poteſtas delata eſt, ut omnibus, qui ipſum imploraſſent intra pomerium & extra uſq; ad octo (*b*) ſtadia cum dimidio, auxilium ferre poſſet, quod nemini quidem Tribuno plebis umquam licuerat. Quum tamen Tribuniciam Poteſtatem tum temporis non admiſerit Auguſtus, neſcimus, utrum id ei confirmatum ſit, quum rurſus Tribunicia Poteſtas illi demandata eſt. Τοῦτο διαμένει μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων τὸ ἔθος, τοῦ μηδενὸς εἶναι τῶν ἔξω τῆς πόλεως τοὺς Δημάρχους κυρίους. Teſte demum Dionyſio Halicarnaſſenſi (*c*), qui imperante Auguſto floruit, *hic mos ad eam uſque ætatem permanſerat, ut Tribuni plebis in iis, quæ erant extra Urbem, nullum jus ac Poteſtatem haberent:* erat enim hæc mœnibus circumſcripta; immo nec pernoctare quidem extra Urbem eis licebat, niſi Latinarum in Albano Feriarum tempore. Imperatores autem nedum Urbe, ſed etiam Italia excedere poterant, Tribuniciaq; Poteſtate, ubicumque erant, uti: quod factum Tiberii in Inſula

Diſcrimen inter Tribuniciam Poteſtatem Imperatorum & Tribunorum Plebis.

(a) Apud Dionem Lib. LI. p. 457. B.

(b) *Septem cum dimidio*, ὀγδόου ἡμισταδίου, interpretatur Caſaubonus in Not. ad cap. 27. vitæ Auguſti Suet.

(c) L. VIII. Ant. Rom. p. 554. Ed. Lipſ. anni 1691. al. pag. 409.

(a) Dio Lib. LV. pag. 554. D.

Insula Rhodo satis indicat. Quum enim Augustus (*a*), ut Cajum & Lucium Cæsares modestiores efficeret, Tiberio Tribuniciam Potestatem in quinquennium concessisset, hic, ut eorum declinaret invidiam, Rhodum secessit. Porro *unum*

(b) Sueton. in Ti. cap. 11.

(*b*) *hoc tantummodo, neq; prætereaquidquam notatum est, in quo exercuisse jus Tribuniciæ Potestatis visus sit*. Quum circa scholas & auditoria Professorum adsiduus esset, moto inter Antisophistas graviore jurgio, non defuit, qui eum intervenientem & quasi

(c) Sequitur Suet.

studiosiorem partis alterius convicio incesseret (*c*). Sensim itaque regressus domum, *repente cum adparitoribus prodiit, citatumque pro tribunali voce præconis conviciatorem rapi jussit in carcerem*. Tribunicia quippe Potestate ornatus Tiberius inviolabilis evaserat, ita ut, si minimo sermone se ab aliquo læsum existimaret, eum indicta caussa, tamquam qui se piaculo obstrinxisset, & *in carcerem trudere*, & necare etiam posset.

(d) Ibid.

Suetonius, antequam factum hoc Tiberii referat, scribit (*d*) eumdem Rhodi forte quodam in disponendo die, mane prædixisse, quidquid ægrorum in civitate esset, visitare se velle; eoque a proximis aliter excepto, jussos omnes ægros in publicam porticum deferri, ac per valitudinum genera disponi. Hinc

(e) Ad ann. Chr. 147. nu. X.
(f) Diss. XII. de Praest. pag. 428.

Pagius (*e*) & Spanhemius (*f*) tradunt, Tiberium Rhodi Tribuniciæ Potestatis jus exercere fuisse creditum, quasi nempe vi ejus Potestatis jubere posset, ut omnes ægri ad se deferrentur, non animadvertentes, Suetonium unum illud, in quo exercuisse jus Tribuniciæ Potestatis Rhodi visus est Tiberius, non ad ægros, de quibus ante, quibusque nihil cum Tribunis aut Tribunicia Potestate, sed ad sententiam, quam de conviciatore Sophista Tiberius tulit, quamque historicus subdit, procul dubio referre.

(g) Suet. eodem cap. 11.
(h) Id. cap. 12.

Transacto (*g*) *autem Tribuniciæ Potestatis tempore, remansit* (*h*) *Rhodi Tiberius*, ac *tunc privatum egit*.

Expenditur Norisii de Tribunic. Potestate opinio.

IV. Tribuniciam Potestatem, quam & Tribuni plebis stante Rep. habuerunt, & Imperatores postea acceperunt, minuere videtur Eminen. dignitate & doctrina Norisius, ubi ad

(i) Apud Pagium ad ann. Chr. 147. num. IX.

Virum Cl. Pagium scribit (*i*), *Tribuniciam Potestatem, stante Rep. fuisse tantum jus intercedendi cum immunitate, qua Tribuni Plebis sacrosancti habebantur. Hoc enim*, inquit, *omnis Romana docet Historia. Hanc ipsam Potestatem Imperatores postea habuisse* subdit, *eamque suis Filiis adhuc tantum Cæsaribus communicasse*.

(k) Lib. LIII. p. 508. D.

Testem vero adducit Dionem (*k*), ubi tradit, „ Tribuniciam „ Potestatem, quam Imperatores accipiebant, effecisse, ut in-

„ tercedere

„ tercedere iis, quæ ab aliis contra ipſorum ſententiam move-
„ bantur, poſſent; ac ſacroſancti eſſent, ut, ſi vel minimo ſer-
„ mone ſe ab aliquo læſos exiſtimarent, indicta eum cauſſa,
„ tamquam qui ſe piaculo obſtrinxiſſet, necare poſſent ". Hinc, *videſne*, ait, *Dionem in ipſis Imperatoribus, iiſdem terminis, ac antea erat in Republica, definiviſſe?* At ipſe Dio teſtatur etiam (*a*), Imperatores *omnem Tribuniciam Poteſtatem*, ὅσηπερ τὰ μάλιςα ἐγένετο, *quanta umquam maxima fuit*, accepiſſe. Quanta autem fuerit, ſtante Rep., ex iis, quæ ſupra (*b*) adtulimus, ſatis ſuperque conſtat. Tribunicia itaque Poteſtas principio quidem fuit tantum jus intercedendi cum immunitate, qua Tribuni plebis ſacroſancti habebantur; at immane, quantum poſtea crevit. Fatetur tamen Noriſius (*c*), poteſtatem quoque faciendi promulgandique edicta ac Leges habuiſſe Tribunos. At hoc non ſufficit.

(a) Eodem loco.
(b) Num. I. hujus Animadv.
(c) Apud Pag. ibidem num. XI.

V. Multo vero minus ſufficit laudato Viro Cl. Pagio, utpote qui ſentit (*d*), Tribuniciam Poteſtatem fuiſſe *partem ſummi imperii ſupremæque potentiæ*. Scribit itaque (*e*), Tribuniciam Poteſtatem & Imperium Proconſulare partes duas ſupremi Imperii fuiſſe, ratione quarum Conlega quis imperii cenſebatur. Hinc Tacitum adducit (*f*), ubi de Tribunicia Poteſtate diſſerens (*g*), *id*, ait, *ſummi Faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera Imperia præmineret*. Atque inde Vir Cl. infert (*h*), quod, quum Tribunicia Poteſtas cetera Imperia præemineret, nempe Regium ac Dictatorium, non poterat ſecum non invehere aliquod imperium ſeu aliquam poteſtatem; alioquin cetera non præeminuiſſet, ſed iis inferior fuiſſet. Adſerit vero (*i*), Euſebium ſive Hieronymum in Chronico Tribuniciam Poteſtatem Druſo Filio a Tiberio datam his verbis exprimere: *Tiberius Druſum conſortem regni facit*; hiſque pariter verbis uti, quum Tribuniciam Poteſtatem Philippo Juniori conceſſam narrat. Hinc Pagius ipſe concludit, Tribuniciam Poteſtatem, etiam quando ſine Imperio Proconſulari in aliquem conferebatur, non fuiſſe ſine auctoritate & Imperio aliquo. Noriſius tamen adduci non potuit, ut aliquid imperii Tribuniciæ Poteſtati immiſceret: adeoque ſcripſit (*k*), numquam in Romanis Scriptoribus Imperium Tribunicium, ſed Poteſtatem tantum Tribuniciam nominatam reperiri, quæ licet Imperia aliorum, ut ait Tacitus, præemineret,

Pagii de Tribun. Imperatorum Poteſtate opinio.
(d) Ad ann. Chr. 147. nu. XI.
(e) Ad eumd. an. num. IV.
(f) Nu. VIII. & X.
(g) Lib. III. Annal. c. 56.
(h) Ibid. nu. X.
(i) Num. VIII.
(k) Apud Pag. num. IX.

neret, non tamen erat Imperium, quo nomine poteſtas militaris veniebat. Sed neque Pagius inde a ſententia ſua ſibi recedendum cenſuit.

Pagii & Spanhemii opinio.

Quum igitur de hac re diſceptatum, & acerrime quidem, inter duos hoſce Viros, ſingulari harum antiquitatum peritia & tractatione conſpicuos, vidiſſet Inl. Spanhemius (*a*), ut litem, quam adhuc eſſe ſub judice comperiebat, dirimeret, potiorem omnino habendam eſſe Pagii opinionem (*b*) judicavit, pronuntiavitque Tribuniciam Poteſtatem omnibus imperiis juxta Tacitum præeminuiſſe; eamque ademptum, *conſortem regni* ſeu *Imperii*, & *Conlegam Imperatoris* evaſiſſe: At bona venia eruditiſs. Viri huic ſententiæ adſentiri nondum ego queo, quin contra potiorem habendam hac in parte Noriſii opinionem crediderim, ita ut Tribuniciam Poteſtatem, etiam quando cum Imperio Proconſulari conferebatur, diſtinctam ab Imperio fuiſſe cenſeam. Hoc autem inde mihi perſuaſum eſt, quod Tribunicia Poteſtas in imperio non continebatur, quin extra illud erat. Neque me movet Tacitus (*c*), ubi ſcribit, *id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtum reperiſſe, ne Regis aut Dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret*. Nam Tacitus non hiſtorico ſed oratorio heic, ut etiam alibi, utitur ſcribendi modo; citra quem verbiſque ad hiſtoriam & veritatem magis accomodatis ab ipſo (*d*) dicitur idem Auguſtus, *poſito Triumviri nomine, Conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem Tribunicio jure contentum.* Sane Tribuniciam Poteſtatem haudquaquam ut ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne ſcil. Regis aut Dictatoris nomen adſumeret, ſed, ut tradit Dio, Auguſtus ceterique ſucceſſores τὴν τε τȣ̃ Αὐτοκράτορος πρόσρησιν διαπαντὸς — πρὸς δήλωσιν τῆς αὐτοτελȣ̃ς σφῶν ἐξȣσίας, ἀντὶ τῆς τȣ̃ Βασιλέως τȣ̃ τε Δικτάτωρος ἐπικλήσεως, ἔχȣσιν (*e*), *nomen Imperatoris ad ſignificandam plenam ſuam & perfectam potentiam ſemper geſſerunt, loco nominis Regii & Dictatoris*; quæ, ut ſubdit, ſemel e Rep. ſublata, ut non imponebant ſibi, ita eorum vim ac rem ipſam *Imperatorio titulo* confirmabant. Hinc, quum *Tribunicia Poteſtas per omnem vitam* decreta eſt primo Cæſari, hoc etiam accepit, καὶ Δικτάτωρ ȣ̓κ εἰς ἑξάμηνον, ἀλλ' εἰς ἐνιαυτὸν ὅλον λεχθῆναι ἔλαβε, *ut Dictator non ad ſemeſtre tantum ſpatium, ſed in integrum annum diceretur*, teſte ipſo Dione (*f*); adeoque Dictatoria & Tribunicia Poteſtas diverſæ. Tribuniciam igitur Poteſtatem loco Dictatorii nominis invehere

(a) Diſſ. XII. de Præſt. pag. 427.

(b) Pag. 428.

(c) Lib. III. Annal. c. 56.

(d) Lib. I. Annal. cap. 2.

(e) Lib. LIII. pag. 508. A.

(f) XLII. p. 194. D.

here non potuit Auguſtus, nam ita hoc ab illa diſtinctum erat, ut potius opponerentur: creato enim Dictatore, poteſtatem more omnium Magiſtratuum Tribunus non deponebat ſuam; ſed omnium Magiſtratuum jure in Dictatorem translato, ipſe ſolus officium retinebat ſuum, teſte (*a*) Plutarcho. Quod autem ſublata Rep. etiam in Imperatoribus Tribunicia Poteſtas ab Imperio diverſa eſſet, fidem faciunt Scriptores, utpote qui eam, etiam quando cum Imperio Proconſulari conferebatur, ab Imperio diſtinguunt. *Tribuniciam Poteſtatem perpetuam*, inquit de Auguſto Suetonius (*b*), *recepit, in qua ſemel atque iterum per ſingula luſtra Conlegam ſibi cooptavit*, Agrippam nempe & Tiberium. Agrippæ tamen numquam communicavit imperium; Tiberius autem, ubi Tribuniciam Poteſtatem primum accepit, non ſolum imperii conſors non eſt habitus, quin invidiam Caji & Lucii Cæſarum, quibus imperium ipſum Auguſtus reſervaverat, declinaturus, Rhodum ſeceſſit, totoque quinquennio, in quod ei delata fuerat, ab omni Reip. adminiſtratione abfuit. Ut vero Lucium & Cajum Cæſares mors fato propera, vel novercæ Liviæ dolus abſtulit, inquit ipſe Tacitus (*c*), Druſoque pridem extincto, *Filius, Conlega Imperii, conſors Tribuniciæ Poteſtatis adſumitur* Tiberius. Titus ex Suetonio (*d*), poſtquam ab oriente Romam reverſus eſt, ex eo non deſtitit *participem atque etiam tutorem imperii agere:* triumphavit cum Patre, Cenſuramque geſſit una: *eidem conlega & in Tribunicia Poteſtate*, & in ſeptem Conſulatibus fuit. Hinc Trajano Plinius dixit (*e*), *ſimul Filius, ſimul Cæſar, mox Imperator, & conſors Tribuniciæ Poteſtatis, & omnia pariter & ſtatim factus es, quæ proxime parens verus tantum*, nempe Veſpaſianus, *in alterum Filium*, Titum ſc., *contulit*. Ubi conlatam eodem quidem tempore, diſtincte tamen ab imperio Tribuniciam Poteſtatem videmus. Antoninus autem vivo adhuc Hadriano occurrit Imperator, quod non ſolum *factus eſt* (*f*) *Patri in imperio Proconſulari & in Tribunicia Poteſtate conlega;* καὶ αὐτοκράτωρ ἐγένετο (*g*), *verum etiam Imperator* renunciatus eſt. Marcus autem, quod ſolum *Tribunicia* (*h*) *Poteſtate donatus eſt, atq; Imperio extra Urbem Proconſulari*, vivo Antonino Imperator minime nuncupatus eſt; nec niſi mortuo Antonino *illi* (*i*) *Senatus detulit imperium*. Clarius adhuc in rem noſtram Capitolinus, *defuncto*, inquit (*k*), *Pio Marcus in Lucium omnia contulit, participatu etiam Imperatoriæ Poteſtatis*

(a) Quæſt. Rom. LXXX.
(b) In vit. c. 27.
(c) Lib. I. Annal. cap. 3.
(d) In vit. cap. 6.
(e) In Paneg. c. 8.
(f) Capitol. in Vit. cap. 4.
(g) Xiphil. Lib. LXX. p. 799. A.
(h) Capitol. in Vit. cap. 6.
(i) Id. in Vero cap. 3.
(k) Ibid. & cap. 4.

indulto, sibique consortem fecit. Dato igitur Imperio, & indulta Tribunicia Potestate, Proconsulari etiam honore delato, Verum vocari praecepit. Spartianus quoque Tribuniciam Potestatem ab Imperio, etiam Proconsulari distinguit; nam de Juliano scribit (*a*), quod facto Senatusconsulto *Imperator est appellatus, & Tribuniciam Potestatem, jus Proconsulare emeruit.* Dio autem Cassius Elagabalum accusat (*b*), quod, ubi imperium arripuit, Imperatorem se inscripsit, tum etiam Proconsulem, Tribuniciaeque Potestatis, antequam haec ei a Senatu deferrentur. At eo interfecto Alexander *accepit imperium*, quum ante Caesar a Senatu esset appellatus, *Augustumque nomen idem recepit, addito eo, ut & Patris Patriae nomen, & jus Proconsulare, & Tribuniciam Potestatem, & jus quintae relationis, deferente Senatu, uno die* juxta Lampridium (*c*) *adsumeret*. Et, ut finem hac de re dicendi faciamus, quum delatum Probo a militibus imperium auditum est, acclamatum in Senatu legimus (*d*): *Quod imperium suscepisti, gratias agimus.* Hinc Manlius Statianus, *Decerno igitur*, inquit, *Patres conscripti, votis omnium concinentibus, nomen Caesareum, nomen Augustum, addo Proconsulare Imperium, Patris Patriae reverentiam, Pontificatum maximum, jus tertiae relationis, Tribuniciam Potestatem.* Ex quibus omnibus clare constat, Tribuniciam Potestatem, etiam quando cum Imperio Proconf. conferebatur, a supremo Imperio distinctam fuisse. Quod ut clarius adhuc constet, animadvertendum est, Tribuniciae Potestatis & Imperii Proconsularis officia diversa fuisse ab officiis Imperii. Tribunicia enim Potestas ea tantum respiciebat, quae a Tribunorum plebis officio pendebant. Jus autem Proconsulare Provincias spectabat, nihilque in urbe poterat. At vero Imperium summo jure constabat, ineratque in eo, uti certiores nos reddit Dio (*e*), „ jus scribendi exer„ citus, pecuniae conficiendae, bella suscipiendi, pacem facien„ di, peregrinis & civicis legionibus semper & ubique simili„ ter imperandi, atque etiam intra pomerium Equites Sena„ toresque necandi, aliaque agendi, quae Consulibus aliisque „ cum pleno imperio Magistratibus facere licebat". Quae quum ita sint, rem exhausisse non videtur Pagius, ubi tradidit (*f*), Tribuniciam Potestatem & Imperium Proconsulare partes duas supremi Imperii fuisse, ratione quarum Conlega quis Imperii nuncuparetur. Multo adhuc minus certum, quod Spanhemius docet, eum nempe, qui Tribuniciam Potestatem, etiam

(a) In Vit. cap. 3.

(b) Lib. LXXIX. pag. 907. A.

(c) In Vit. cap. 1.

(d) Apud Vopisc. in Vit. cap. 12.

(e) Lib. LIII. pag. 508. B.

(f) Ad an. Chr. 147. num. IV.

etiam ſine Imperio Proconſulari adeptus erat, *conſortem regni* ſeu *Imperii*, *&* *Conlegam Imperatoris* effectum. Neque favet viro eruditiſs. (*a*) Suetonius, quum ſcribit (*b*) *Conlegas* ab Auguſto conlata Tribunicia Poteſtate Agrippam & Tiberium *adoptatos*; ibi enim *in Tribunicia* quidem *Poteſtate*, at non in imperio *Conlegas* adoptatos tradit hiſtoricus. Dicitur quoque a Vellejo (*c*) Tiberius *conſortione Tribuniciæ Poteſtatis æquatus Auguſto*; at adulatum Tiberio Vellejum, ejuſque res, ſupra quam par erat, extuliſſe, nemo neſcit: quare intelligendus Tiberius in Tribunicia Poteſtate, h.e. in re maxima, quæque ſuſpiciendum colendumque eum omnibus præſtabat, æquatus Auguſto. Ceterum tunc Rhodum ſeceſſit Tiberius, totoque Tribuniciæ Poteſtatis tempore a Reipub. adminiſtratione abfuit. Sed neq; Pagio favet Euſebius ſive Hieronymus in Chronico, ubi ait: *Tiberius Druſum conſortem regni facit*: idq;, quum de Philippo Juniori agit, repetit. Nam, præterquamquod a Viris, rebus ſacris omnino addictis, non ea exigenda eſt in hujus generis rebus locutio, quæ vacet omni difficultate, quæque pro ſententia habenda ſit, gratis adſerit Pagius, Tribuniciam Poteſtatem ibi Euſebium ſeu Hieronymum indicare voluiſſe; nam re ipſa conſortium regni indicaſſe, credi poteſt. At de his ſatis. Nunc Harduinum audiamus, Virum eruditiſſimum.

(a) Diſſ. XII. pag. 426.
(b) In Aug. c. 27.
(c) Lib. II. c. 99.

Harduini de duplici Tribunicia Poteſt. opinio, ut legitur in ejus Op. Sel. Ed. Amſt. an. 1709. qua nos utimur.

VI. Harduinus itaque in Hiſtoria Auguſta, ex nummis antiquis Græcis Latiniſque, ſi ei credimus, reſtituta, anno urbis Romæ DCCXXXI. in primis habet *Auguſtum Coſ.* VIII. *Conlega*, [*ut* ei *videtur*], *M. Agrippa tertium*; etſi Auguſtus eo anno Coſ. XI. fuerit, Conlega Cn. Piſone, qua de re inferius. Hinc ſcribit, in Natali Urbis, XI. Kal. Maji, accepiſſe Cæſarem Auguſtum Tribuniciam Poteſtatem, atque hunc fuiſſe primum Auguſti poteſtatis annum. Citat vero Plinium Lib. XI. Sectione, prout is eum dividit, LXXIII., ubi ſcribit: *Divo Auguſto Spoleti ſacrificanti primo Poteſtatis ſuæ die, ſex victimarum jecinora, replicata intrinſecus, ab ima fibra reperta ſunt: reſponſumque, duplicaturum intra annum imperium.* Deſcribere hunc locum ex Plinio Suetonium in Auguſto cap. XCV., ſed mutilum & præpoſtere a ſe intellectum, ſubdit Harduinus; atque explicari certe non poſſe, quando aut quale Auguſtus imperium duplicarit intra annum acceptæ poteſtatis; niſi quoniam intra annum acceptæ Tribuniciæ Poteſtatis in exerciti-

bus, hoc anno nimirum, atque hoc die Natali Urbis, accepit eamdem & in Provinciis: quod alterum in rebus etiam civilibus imperium esse tradit. Sejungi autem solitam esse interdum alteram illam potestatem ab altera, alios etiam aliorum Augustorum nummos suadere adfirmat; notatq; non appellasse Romanos, in nummis certe, aliam Potestatem, nisi Tribuniciam. Locum tamen Plinii aliter ac melius in Notis (*a*) ad eumdem, postea intellexit, & primum Potestatis Augusti diem explicavit de die illo, quo bellum sibi contra Antonium una cum Potestate Prætoria decretum est, teste Dione (*b*) Cassio. At nummum Hadriani describens (*c*) cum litteris $\frac{SC}{AB}$, *hoc est*, inquit, *primus & secundus Tribuniciæ Potestatis Senatusconsulto acceptæ annus; primus in exercitibus; secundus, ex quo potestatem eam accepit ex S. C. in rebus civilibus exercendam*. Rursus ad alium nummum Hadriani cum litteris $\frac{SC}{E\varsigma}$, *quintus*, ait (*d*), *& sextus Tribuniciæ Potestatis annus*. Demum in nummo M. Aurelii adhuc Cæsaris inscripto TR. POT. VII. TRIB. POT. VIII. S. C. (*e*), gemina videtur Harduino designari Tribunicia Potestas, altera anno uno post priorem delata Marco; prior ei concessa anno Christi CXLVII. in rebus civilibus exercenda; posterior, quæ potior, anno CXLVIII. in exercitibus. Sic ludit Vir eruditiss.; inanibus tamen hujusmodi conjectationibus a vero abductus aliis Viris eruditiss. videtur; cui propterea refellendo, haud opus est ut multis immoremur. Nam, quum hujusmodi conjectationes nullo satis valido nitantur fundamento, statimatque ratio eis & auctoritas opponitur, corruunt. Unica igitur, stante Rep., Tribunicia Potestas, eaque ad rem civilem spectans, occurrit; nec nisi eamdem, sublata Rep. Imperatoribus demandatam novimus, qua de re satis supra dictum est. At vero in exercitibus non Tribunicia, sed Imperatoria Potestas exerebatur. Imperatoriæ enim Potestatis ratione, ut id repetamus, exercitus scribendi, bella suscipiendi, pacem faciendi, τοῦ τε ξενικοῦ καὶ τοῦ πολιτικοῦ ἀεὶ καὶ πανταχοῦ ὁμοίως ἄρχειν (*f*), *peregrinis & civicis legionibus semper & ubique similiter imperandi*, teste Dione Cassio, jus habebant Principes. Nummi porro illi, quos cum duplici Tribunicia Potestate seu anno adfert Harduinus, non de gemina eaque diversa Tribunicia Potestate duobus annis continuis accepta, sed de unica & intra eumdem annum iterata Tribunicia Potestate explicant alii Antiquarii, ita ut cusos dicant in illum diem,

quo

(a) Edit. Parisi. an. 1723.

(b) Libro XLVI. pag. 311. & 314.

(c) In Hist. Aug. pag. 756. col. 1.

(d) Pag. 758. col. 1.

(e) Pag. 774. col. 1.

(f) Dio Cass. Lib. LIII. p. 508. B.

quo prior Tribunicia Poteſtas ſeu annus deſinebat, incipiebatque poſterior. Nos aliam præterea explicationem infra ſuggeremus. Corrigendus etiam in eo eſt Harduinus, quod tradit in Natali Urbis, XI. Kalendas Maji, accepiſſe Cæſarem Auguſtum Tribuniciam Poteſtatem; at prius aliorum quoque ſententiæ proferendæ in medium ſunt.

Spanhemius non bene aliorum opiniones referre videtur.

VII. Hac autem in re præivit nobis Spanhemius, ita tamen ut ſequi non placeat. Scribit itaque Vir eruditiſs. (*a*), *de tempore ſeu menſe, ac die, quibus Tribunicia Poteſtas Imperatoribus vel deſtinatis Imperii heredibus conferri conſueverat*, haud unam eſſe eruditorum quoque, qui & in Faſtis aut nummis antiquis verſandis ac inluſtrandis ſedulam operam poſuerunt, ſententiam. [Alii quippe, *ait*, ſicut Sigonius (*b*), ac Petavius (*c*) Kalendis Januariis id factum ſtatuunt: alii, quod illa die eam Poteſtatem ab Auguſto ceperit Tiberius, ut ex Vellejo conſtat, ac ipſemet ante Auguſtus, a. d. V. Kalendas Julias, uti a Viro inſigni eruditione (*d*) Perizonio factum inter alios video: alii, ut doctiſſimus Toinardus (*e*) a. d. IIII. *Idus Decembr.*, qua nempe, juxta Dionyſium (*f*) Halicarnaſſenſem, inibant Tribuni Plebis Poteſtatem, & quod a Dione (*g*) dicatur eadem *Tribunicia Poteſtas* quotannis ab Imperatoribus cum *Tribunis Plebis* fuiſſe renovata: alii denique, ut Onuphrius (*h*), Noriſius (*i*), Pagi (*k*) harum litterarum ac antiquitatum eximie periti, Imperii Natali, vel ipſa ſuſcepti Imperii die, & quidem juxta Pagi (*l*), V. Kal. ejuſdem menſis, qui in quadam nempe religione apud Romanos ſit dein habitus, quod V. Kal. Julias eam dignitatem ſuſceperit Auguſtus, ac dein Tiberius, & ara Victoriæ victis Antonio & Cleopatra V. Kal. Septembris ſit dicata]. Ita Vir Inl., qui tamen rem confundere nobis videtur; quippe, quæ de iterata Tribunicia Poteſtate tradunt laudati Viri, is de tempore, quo primum conlata eſt, accipit. Aliud quippe eſt quærere, quo tempore conferri, aliud, quo renovari conſueverit Tribunicia Poteſtas. Nos itaque rem diſtinguemus, ac de utraque agemus.

(a) Diſſ. XII. nu. 5. pag. 432.
(b) Com. in Faſt.
(c) De Doct. Tem. Lib. XI. cap. 26.
(d) Anim. Hiſt. pag. 314.
(e) Vid. Crit. Baron. pag. 103.
(f) Ant. Lib. VI. pag. 410.
(g) Libro LIII. pag. 508.
(h) Com. ad L. II. Faſt. p. 180. Edit. Santandr.
(i) Cenot. Piſ. p. 360.
(k) Crit. Baron. pag. 103.
(l) In Appar. ad an U. C. 731. & in Crit. pag. 136.

Onuphrii, Pagii & Harduini de tempore, quo conferri conſuevit Tribun. Poteſtas, opinio examinatur.

VIII. Quoad tempus igitur, quo Tribunicia Poteſtas conferri primum conſuevit, Cl. Onuphrius (*m*), quum apud Vellejum legiſſet, Auguſtum V. *Kalendas* Julii anni U. C. DCCLVII. adoptato a ſe Tiberio contuliſſe Poteſtatem Tribuniciam, intulit eadem etiam die V. Kalend. *Julias* Auguſtum multiplicaſſe Tribuniciam Poteſtatem. Fas nempe credidit, Auguſtum

(m) Apud Pagium in Appar. ad Crit. Baron. ad ann. U. C. 731.

Augustum solemni sibi die tantam dignitatem Tiberio contulisse; is enim Vellejo dicitur *Tribuniciæ Potestatis consortione æquatus Augusto*; nullam autem aliam apparere caussam solemnitatis ejus diei tradit, nisi quod ea ipsa die Augustus Tribuniciam Potestatem anno U. C. DCCXXXI. primum accepisset. Indeque ulterius deducit Onuphrius, Imperatores eodem die ac mense, quibus Tribuniciam Potestatem sumpsissent, iisdem etiam Cæsaribus tradere solitos. Hujus sententiæ est etiam Jo: Georgius Grævius (*a*), qui proinde *præsumendum* docet, *quemvis Imperatorem eo die & mense primum Tribuniciam Potestatem iniisse, quo die & mense postea ipse in alios eam contulerit; & vicissim, quemvis Imperatorem eo die & mense primum Tribuniciam Potestatem in alios contulisse, quo ipse eandem primum obtinuerit*. Pagius autem (*b*), licet verum credat, Augustum eodem die ac mense, v. nempe *Kal. Julias*, quibus Tribuniciam Potestatem accepisse eum scribit, in Tiberium postea contulisse; falsum tamen arbitratur, sequentes Imperatores eo die ac mense, quibus ipsimet Tribunicia Potestate exornati fuissent, aliis eamdem tribuisse. At factum id tradit *de more* v. *Kalendas alicujus mensis indiscriminatim, quod eo die Ara Victoriæ dedicata fuisset, & Augustus Tribuniciam Potestatem primum suscepisset*. Harduinus vero (*c*), ut jam vidimus, scribit in Natali Urbis, XI. Kal. Maji, accepisse Cæsarem Augustum Tribuniciam Potestatem, idque a reliquis etiam Imperatoribus observatum tradit (*d*), exceptis solum Antonino Pio & Marco, quorum annos Tribuniciæ Potestatis a Kalendis Januariis incipere adserit. At nihil horum nobis arridet: nam, quod ad Onuphrium spectat, quamvis die v. Kal. Julias Tribuniciam Potestatem Tiberio Augustus contulisset, quod tamen, ut infra (*e*) videbimus, non est certum, adhuc minus certum est illo die Augustum eam primum accepisse. Neque verum est, sequentes Imperatores eo die ac mense, quibus ipsimet Tribunicia Potestate exornati fuerunt, aliis eamdem tribuisse. Quin nec probabile est, quod addit Pagius, factum id de more v. Kal. alicujus mensis. Quod autem Harduinus habet, a vero longius abscedit. At non vacat hæc omnia heic persequi, sed suo loco singula tractabuntur, ita ut facile quisque intelligere possit, Imperatores quocumque mense, ac quolibet intra mensem die tum recepisse, tum communicasse Tribuniciam Potestatem.

(a) In exerc. de num. Tribun. Pot. Obser. VII. p. 24.

(b) Loco cit.

(c) In Hist. Aug. ad an. U. C. 731. pag. 699. Oper. Select.

(d) Præfat. Histor. August. pag. 682. Oper. Select.

(e) Num. XVI.

IX. §. 1. Dif-

IX. §. 1. Difficilior nunc examinanda venit quæſtio, quo ſcilicet infra annum tempore renovari Tribunicia Poteſtas conſueverit: nam iteraſſe ac multiplicaſſe Imperatores ſingulo quoque anno ipſam Tribuniciam Poteſtatem, ex nummis & inſcriptionibus tum etiam ex Scriptoribus ſatis ſuperq; conſtat: at vero, quo tempore id factum ſit, omnino certum nondum eſt. Communiſſima tamen & apud fere omnes receptiſſima opinio eſt, Tribuniciam Poteſtatem die, qua ſuſcepta ab Imperatoribus fuit, renovatam quotannis fuiſſe. Onuphrius Panvinius ex lapidum ac nummorum inſcriptionibus omnium primus obſervaſſe dicitur (*a*), Imperatores iteraſſe Tribuniciam Poteſtatem ea anni die, qua illam primum inierant. Quam ſententiam fere omnes poſtea amplexati ſunt, Virique doctiſſimi Noriſius ac Pagius pro maxima ipſorum eruditione confirmare conati ſunt. Quare Inluſtr. Spanhemius pronuntiavit (*b*), veriorem omnino ſtatuendam eſſe, [ut iis difficultatibus, quibus aliæ ſententiæ implicantur, liberam, ac præſtantium in hiſce litteris Virorum Onuphrii, Noriſii, Pagii e priſcis Auctorum, nummorum, ac lapidum teſtimoniis adſertam], hanc ſententiam, quæ ipſa ſuſcepti imperii die initam, & quotannis dein renovatam Tribuniciam Poteſtatem contendit. Et hunc Canonem, ſive *Obſervationem* eruditiſſim. Jo. Georgius Græevius propoſuit (*c*). *Si jam invenimus, quo die & anno Tribunitia Poteſtas alicui primum fuerit delata; ab eo tempore computandi ratio ordinarie ita eſt ineunda, ut ad eundem ſemper diem ſequentis anni una numeretur Tribunitia Poteſtas, eoque ipſo die illius ſequentis anni jam altera inchoetur, & ſic in reliquis Tribunitiæ Poteſtatis numeris procedatur.*

De tempore, quo renovari ſoleret Trib. Pot. aliorum opiniones.

(a) Noriſ. Diſſ. II. de Cen. Piſ. c. xv.

(b) Diſſ. XII. de Uſu & Præſt. nu. ant. pag. 434.

(c) In Exerc. de num. Trib. Pot.

§. 2. Doct. Petavius (*d*) notat anno exeunte Chr. CCLI. (*e*), extinctis ambobus Deciis, Gallum Hoſtilianum cum Voluſiano filio ſucceſſiſſe. Hinc animadvertit, biennium his a Victore & Eutropio tribui, ab hoc quidem non integrum, at ab Euſebio in Chronico & Caſſiodoro annos duos, menſes quatuor. Poſtea deſcribit ex Occone nummum cum hac epigraphe IMP. CAE. C. VIB. VOLVSIANO AVG. P. M. TR. P. IIII. COS. II; ex quo Baronius Gallo & Voluſiano quatuor adſcribit annos. At vero ipſe Petavius mortuos tradit anno Chr. CCLIIII. (*f*): *quod ipſum*, inquit, *Chronologiæ noſtræ conſentaneum eſt, ut cum novo anno Juliano nova Tribunicia Poteſtas inchoata ſit, adeoque quater inſtaurari potuerit. Quamobrem ineunte anno Chr.*

Petavii opinio.

(d) Libro XI. de Doctr. Tempor. cap. 28.

(e) U.C. 1004.

(f) U.C. 1007.

CCLIIII.

CCLIIII. *Gallus & Volusianus interfecti sunt, quum imperassent annos solidos duos, nempe* CCLII. *&* CCLIII., *ac menses quatuor, qui postremam anni* CCLI. *partem, & tres circiter primos anni* CCLIIII. *menses occupant.* Hanc de renovanda Kalendis Januariis Tribunicia Potestate opinionem insinuavit etiam Emin. Norisius (*a*), de nummis agens Nervæ, in quibus habetur annus imperii *tertius*, seu Tribunicia Potestas III., quum tamen certum sit Nervam anno XCVI. (*b*) Epochæ vulgaris, die XVIII. Septembris post occisum Domitianum ad imperium evectum, & XVII. postea mense imperandi & vivendi finem fecisse, ex Dionis Excerptis, Clemente Alexandrino Lib. I. Stromat., & Theophilo Antiocheno Lib. III. ad Autolicum; *itaque vel ubique erratum est*, inquit, *in adsignando eidem anno tertio, vel forte idem Kalendis Januariis præter morem cum Tribunis Plebis Tribuniciam Potestatem bis iteravit.* At postea hanc opinionem prorsus falsam esse tradidit (*c*): etenim Tribuniciam Potestatem initio statim delati imperii suscipi, nec Kalendis Januariis anni Juliani iterari, sed die ipsa natali imperii consuevisse docuit. Hinc eodem anno Juliano diversos Tribuniciæ Potestatis annos concurrere observat. Hoc ex nummis constare subdit, præcipue Domitiani, qui plures Consulatus ordinarios junxit. In illis inscribitur TR. P. IIII. COS. XI, & rursus TR. P. V. COS. XI. Plura numismata Commodi ex Cimeliis Mediceis laudat (*d*), in quibus anno postremo imperii dicitur TR. P. XVII. COS. VII, & TR. P. XVIII. COS. VII. Eo autem anno *septimum* Consulatum cum vita explevit. Id evincere etiam innumeras lapidum inscriptiones tradit doctissimus Purpuratus. Clarius porro præ ceteris probare nobis videntur nummi Domitiani, Kalendis Januariis Tribuniciam Potestatem minime ipsum renovasse. Nam *Consulatus* XVII. *cepit, quot ante eum nemo; ex quibus septem medios continuavit*, hoc est ab octavo ad quartum decimum. Occurrit (*e*) autem TR. POT. III. & IIII. COS. X.; hinc TR. P. IIII. & V. COS. XI; postea TR. P. V. & VI. COS. XII; sic etiam TR. P. VI. & VII. COS. XIII; demum TR. P. VII. & VIII. COS. XIIII. Quod si Kalendis Januariis Tribuniciam Potestatem renovasset Domitianus, duplex Tribunicia Potestas, seu diversi numeri Tribuniciæ Potestatis cum uno eodemque Consulatu simul esse non possent.

(a) Diss. II. de Num. Licin. Lic. cap. 6.

(b) U. C. 849.

(c) De Vot. X. cap. 5.

(d) Cap. 3.

(e) Apud Goltz., Mediobar., Harduin. & alios.

Sigonii opinio apud Norisium & Spanhemium.

§. 3. Petavio in adsignandis renovationi Tribuniciæ Potestatis Kalendis Januariis Sigonium quoque Norisius ac Spanhemius

nhemius (*a*) accenſent. „ Sigonius, [*inquit* (*b*) *Emin. Pur-* (a) Diſſ. XII. de Uſu &Præſt.pag. 433.
„ *puratus*], in Commentariis Faſtorum ad annum Urbis
„ Capitolinum DCCXXX. ſcribit, Faſtos Capitolinos, quod (b) Differ. II. de Cenot.Piſan.c.15.
„ annos Tribunitiæ Poteſtatis Auguſti adtinet, a Tacito diſ-
„ crepare, quum juxta illos Auguſtus mortem obierit anno
„ Tribunitiæ Poteſtatis XXXVI, at juxta Tacitum XXXVII. Sed
„ vir in Romana hiſtoria alias verſatiſſimus initium Tribuni-
„ tiæ Poteſtatis Auguſti non eſt aſſecutus, quum ea in re Ta-
„ citus cum Capitolinis Tabulis plane conveniat. ——. Pan-
„ vinius ex lapidum ac nummorum inſcriptionibus omnium
„ primus obſervavit, Imperatores non iteraſſe Poteſtatem Tri-
„ bunitiam ipſis Kalendis Januariis, *quo in errore hæſit Sigo-*
„ *nius*; ſed ea anni die, qua illam primum inierant. Sane mi-
„ ror Petavium Lib. XI. Doctr. Temp. cap. 28. putaſſe *cum*
„ *novo anno Juliano novam Tribuniciam Poteſtatem inchoatam.*
„ Idem antea ſcripſerat in Chronologia Imperatorum in fine
„ Animadv. in Epiphanium num. 35. & 37. ". Ita de Sigonio
Noriſius. At vero ipſe Sigonius, ubi delatam Auguſto in Con-
ſulatu XI., id eſt anno U. C. Capitolino (*c*) DCCXXX. Tribu- (c) Varron. 731.
niciam Poteſtatem ex Dione docuit, *hoc poſito*, ſubdit ad an-
num ſequentem (*d*), *tum nova exiſtit quæſtio, a quo anno ea repe-* (d) Comment. in Faſt. ad an. U.C. 731.Capit. qui eſt Varron. 732.
tenda ſit; an a priore anno, quo ei delata eſt; an ab hoc U. C.
Capit. DCCXXXI. *quo eam delatam primum uſurpavit. Tacitus prio-*
rem ſententiam tuetur, qui Auguſtum per XXXVII. *annos eam con-*
tinuaſſe ſcribit; poſteriorem Capitolini auctores, ex quibus Augu-
ſtum, quo anno mortuus eſt, Tribuniciæ Poteſtatis XXXVI. *eſſe pro-*
batur. Quæ eadem quæſtio poſt in Tribunicia Tiberii Poteſtate
oritur. Ex quibus illud quidem conſtat, ſenſiſſe Sigonium, Tribuniciam Auguſti Poteſtatem alios ab anno, quo Conſul XI. fuit, alios vero ab anno ſequenti numerare cœpiſſe: attamen iteraſſe Imperatores Kalendis Januariis Tribuniciam Poteſtatem, ſenſiſſe Virum eumdem Clariſs., nequaquam inde conſtat. Sed nec aliunde id arguere mihi licuit; nam cuilibet quidem anno Juliano unam tantummodo Tribuniciam Poteſtatem adſcripſit in Faſtis, at in hoc Faſtos ipſos imitatus eſt, qui unicam ſingulo quoque Conſulari anno Tribuniciam Poteſtatem Auguſti exhibent.

§. 4. Eruditiſs. Pearſonius quoque (*e*), ut notat Clar. (e) In Annal. Cypr ad ann. Chr. 253. pag. 44. nu. VIII.
noſter Valſechius (*f*), Petavii ſententiam refellens, illam ſin- (f) Diſſ. de Trib. Pot. V. Elagab. cap. 5. pag. 88.
gulare ejus Auctoris commentum appellat, *quo, ubi ad incitas*

 redigitur,

Pearsonius Petavii opinionem refellere conatur.

redigitur, sæpius utitur, nunquam autem infelicius, quam in hoc ipso Galli imperio. At æque infeliciter, ut recte putat Valsechius, hoc postremum ipse Pearsonius demonstrat. *Gallus imperium obtinuit*, [hæc ejus probatio], *circa finem anni* CCLI. *Anno* CCLII. *Consul, secundum morem factus est ordinarius, & a Calendis Januariis dictus est* COS. II : *ab eo autem die non est ejus Tribunitia Potestas innovata, sed continuata, ut ex nummis tum Græcis tum Latinis certo intelligitur.* ΑΥΤ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΤΡΕΒΩΝ. ΓΑΛΛΟΣ ΣΕΒ. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥΣ. ΥΠΑΤΟΣ ΤΟ Β. IMP. CAES. C. VIB. TREBONIANVS GALLVS AVG. P. M. TR. P. COS. II. *Similiter de Volusiano, qui cum eo imperium adeptus est, & mox Consulatum primum simul cum Patre iniit, legimus:* ΑΥΤΟΚ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΟΥΟΛΟΥΣΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥΣ. ΥΠΑΤΟΣ. IMP. C. C. VIB. VOLVSIANVS AVG. PONTIF. TR. P. COS. *Quamobrem eadem Tribunitia Potestas, quæ anno* CCLI. *his Imperatoribus contigit, post Calendas Januarias anni* CCLII. *sub Consulatu Galli secundo & Volusiani primo continuata est. Idem etiam observare licet in nummis omnium Imperatorum, qui ex more vetusto, post imperium arreptum aut concessum, Consulatum inierunt, quibus* TR. P. *simpliciter posita cum eo Consulatu tribuitur. Quum, si vera esset Petavii observatio*, TR. P. II. *ei Consulatui ab ipso initio semper præfigeretur. Frustra igitur*, [concludit Vir Clar.], *ad sinceritatem paucorum & adulterinorum nummorum tuendam, hoc adminiculum adhibetur, quod omnes nummi respuunt, & aversantur.* Is adlati a Pearsonio argumenti cardo unus est, quod, quum TR. P. simpliciter posita inspicitur, eam primum annum dumtaxat Tribuniciæ Potestatis indicare, opinetur. Id autem cap. ult. suæ Dissertationis falsitatis apertæ arguere se subdit Valsechius. Sane, sicuti Consulatus ac titulum Imperatoris ob victorias sine notis numeralibus, quæ illis competunt, passim observare est in nummis, ita etiam Tribuniciam Potestatem simpliciter & absolute positam, tacitisque notis numeralibus, quæ illi congruunt, sæpe videre est. Melius itaque Petavio hac in re nummos ejusdem Volusiani objecisset ex Valsechio Pearsonius inscriptos TR. P. II. COS. II; quorum tres apud Goltzium. Consulatum enim secundum iniit Volusianus anno Christi CCLIII. (*a*); quare, si novo anno Juliano CCLII. Tribuniciam Potestatem II. instauravisset, initio etiam anni insequentis Tribuniciam Potestatem III. numerasset. Ita Valsechius (*b*).

(a) U.C. 1006.

(b) Pag. 89.

§. 5. Quia vero idem Petavius sibi quodammodo gratulatur,

latur, quod ea ratione Volusiani nummum TR. P. IIII. inscriptum explicaverit, quum inquit: *Vides, quam belle cum inscriptione veteri Chronologia nostra consentiat*; obiter adnotemus, vult laudatus Valsechius (*a*), neque eo modo satis illum occurrere nummis Gallieni, in quibus dicitur: TR. P. IIII. COS. II., & TR. P. VIIII. COS. IIII., quum ex iis Valerianum & Gallienum, non modo anno Chr. CCLIV. (*b*), quo per Petavium Gallus & Volusianus extincti, sed etiam anno præcedenti imperio potitos, colligatur. Neque enim juvat, quod vel illi initio anni CCLV. (*c*) novam Tribuniciam Potestatem inchoaverint, nam ea etiam tunc iterata, anno CCLVI. Tribuniciam Potestatem IIII, & anno CCLXI. (*d*) Tribuniciam Potestatem VIIII. numerare nequaquam potuissent, si regnare cœpissent dumtaxat anno CCLIV. Huic Valsechii animadversioni eam & nos addimus, quod Tribunicia Potestas IIII, quæ Volusiano in numismate a Petavio descripto tribuitur, nonnisi Kalendis Januariis anno U. C. MVII. Chr. CCLIV. iniri potuit: at tum perierat cum Gallo Volusianus, ut præter nummos (*e*) fidem faciunt etiam Fasti Consulares, qui Kalendis ipsis Januariis Valerianum Augustum & Gallienum filium habent Consules.

Petavii opinio ulterius expenditur.

(a) Pag. 89. & 90.

(b) U. C. 1007.

(c) U. C. 1008.

(d) U. C. 1014.

(e) Vid. numer. XXXIV. & XXXV. hujus Animadv.

§. 6. Ceterum video, inquit toties laudatus laudandusque Valsechius (*f*), ipsum etiam Petavium perquam cito illam suam sententiam deserere. Eodem enim capite, quum Aureliano sex annos, minus paucis diebus a Vopisco, & annos V, menses VI. ab Eutropio, Victore, Eusebio, Orosio, & Cassiodoro tribui animadvertisset, atque adnotasset præterea, ex antiquis nummorum inscriptionibus conclusisse Baronium, septimum annum ab eodem Aureliano esse libatum, quum in iis inscribatur TR. P. VII., ita ipse respondet: *Nihilominus tot Historicorum concordia pluris est apud me quam inscriptionis illius fides, quæ sive cusoris hallucinatione, sive exceptoris ipsius, mendosa videri potest*. Si enim, eleganti illa Tribuniciæ Potestatis instauratione novi anni Juliani initio facta, eos nummos conciliare cum prædictis Historicis poterat, quid opus erat, ad cusoris aut exceptoris hallucinationem confugere? Ita perspicacissimus Valsechius: cujus sententiam amplectimur, eo vel maxime, quod observamus, Tribunicias Potestates tamquam annos, ac pro annis imperii Petavium ipsum passim accipere; ut videre est Lib. XI. de Doctrina Temporum capiti-

(f) Pag. 90.

A tradita in Gallo & Volusian. de renovanda Trib. Pot. opinione alibi se Petavius ipse removet.

C 2 bus

bus septimo, vicesimo, ac vicesimo quinto, expressius autem capite XVII, ubi, quum citasset nummum Vespasiani inscriptum TRIB. POT. II. COS. III: *is*, inquit, *est annus Christi* LXXI, *quo Tribuniciæ Potestatis annus secundus adhuc erat in cursu Kalendis Januariis, quibus tertium Consulatum iniit.* Quibus verbis nihil clarius desiderari potest, ut constet, Virum ipsum Clariss. Kalendis Januariis non renovasse Tribuniciam Potestatem.

Harduini de renovanda Tribun. Potestate opinio.

§. 7. Producenda nunc Harduini opinio, prout habetur in ejus *Historia Augusta ex Nummis antiquis Græcis Latinisque restituta*, vel, ut alii volunt, sus deque acta. Ante tamen monitum volumus Lectorem, hanc opinionem esse posse, facileq; inter eas fuisse, quas in nova Operum suorum Editione corrigere aut omittere, si per Typographum Amstelodamensem licuisset, Harduinus ipse se voluisse profitetur (*a*). Aperte enim eadem opinio cum Historicis pugnat, immo & cum numismatis & inscriptionibus. Prophanos igitur (*b*) Scriptores Romanæ Historiæ, si paucos, inter quos Plinium seniorem unice suspicit, excipias, fictos ac falsos putat, passimq; traducit, quo liberius, &, quæ ipsi tradunt, rejiciat, &, quæ ipse vult, contraria statuat. Nummis quidem utitur; at prout ipsi libet, eosdem sæpe interpretatur, & eos, quos contrarios sentit, omittit, aut minime admittit. Neque vero vacat hæc persequi aut confutare; nam, ut cadant, sufficit Historicos admittere, quod faciunt omnes alii. Quin in gratiam cum eisdem Historicis Harduinum ipsum rediisse discimus, adeo ut, quæ contra scripserat, ex iis esse rursum credamus, quæ sublata voluisset e nova Editione. Ejus tamen opiniones, prout prostant, in medium adferimus, & ita laudamus aut rejicimus, ut non mentem auctoris, quæ nobis incerta, sed ejus scripta & vulgata spectemus. Sunt autem plura in iis laude digna, & eruditione plena: eique in promendis describendisq; nummis fidem maximam adhibemus, unde & passim citamus. Quod heic universe de Harduini scriptis dictum acceptumq; volumus. Ad Chronologiam itaque statuendam, alteram hanc regulam adhiberi oportere scribit (*c*). *Si in nummis Latinis anni Tribuniciæ Potestatis semper ducant initium a die Natali Urbis, qui fuit* XI. *Kal. Maji, exceptis solum Antonino Pio & Marco; quorum anni Tribuniciæ Potestatis ab ipsismet Kalendis Januariis incipiunt.* Quo autem fundamento nitatur hæc regula, mox prodit, quum

(a) In fine Edit. Amstel. Oper. Select. Hardu. ann. 1709.

(b) Vid. Præf. Histor. Aug. p. 685.

(c) Ibidem num. I. pag. 682.

quum hæc ſubdit *(a)*. „ De vita ac rebus geſtis Imperatorum, „ vix aliquid magis dignum notatu in nummis ſe offert, quam „ quod unicuique Principi poſt Neronem, definitum a Senatu fuerit tempus gerendæ poteſtatis. Nam etiam poſt „ Cæſarem Auguſtum pœnituit Senatum Perpetui Imperatoris a ſe olim creati. Nullus deinceps poſt ipſum, per annos quadringentos, aut rarus fuit. *Ac ne Auguſtus quidem, uſque ad liberos Conſtantini, perpetuus aliquis fuit; ſed alii ad annum unum & alterum, ad tres, quinque, ſeptem, decem; vix certe ultra annos novemdecim aut viginti quiſquam: ne Antoninus quidem ipſe Pius*: „ cui idcirco tres & viginti anni, cum titulo & „ munere Auguſti, ſunt attributi, quoniam tres annos priores, quos in peragrando orbe Romano, & totidem gerendis Conſulatibus inſumpſiſſet, nollet Senatus in legitimo annorum viginti tempore computari. Nam & ea cauſa eſt, „ quamobrem a Kalendis Januariis una cum Conſulatu cœperint anni ipſius Tribuniciæ Poteſtatis; non, ut in Auguſtis ceteris, a die Natali Urbis. Quid quod, ne hereditarium prorſus imperium in exercitibus cenſeretur, aut in Provinciis Auguſta Poteſtas, numquam hic alteruter honos „ poſt filios tranſiit ad nepotes: ſed lege cautum fuit, ut, ſi „ quis Auguſti filius patri ſuccederet, vel cum patre imperaret, non ulterius in ea ipſa domo aliquis Imperator vel Auguſtus eſſet; ſed transferretur principatus ad eos, qui eſſent „ in tranſverſo cognationis gradu, reddendus ei familiæ poſt „ annos forte viginti ". Hæc Harduinus; quæ, quum omnino contraria ſint iis, quæ habent Hiſtorici, neque etiam innitantur nummis, non eſt, cur confutare ſtudeamus: ſed ſatis erit, ea, quæ contra ſtatuemus, Auctorum nummorumque fide ſuo quæque loco firmare. Inde vero inter alia conſtabit, annos Tribuniciæ Poteſtatis Romanorum Principum haudquaquam a die Natali Urbis aut a Kalendis Januariis ſemper initium ducere: quod heic contra Harduinum ipſum probandum eſſet.

(a) Num. II.

X. §. 1. Jamdiu Chronologos torquent, ait Pagius Vir Cl. *(b)*, varia numiſmata, in quibus plures tribuuntur anni quibuſdam Imperatoribus, quam ex certis hiſtoriæ monumentis eos regnaſſe conſtat. Superſunt nummi Græci *Nervæ*, in quibus tertius annus notatur; quum tamen ſecundum imperii tantum delibarit. Sic in nummo Græco *Heliogabali* a Vaillantio

(b) In Crit. ad an. Chr. 103. nu. VI.

Toinardi de renovanda Tribunicia Poteſt. opinio.

tio Tom. II. Numiſmatum Coloniarum recitato, legitur annus quintus, quem is prætermiſit, quod Heliogabalus ad illum non pervenerit. *Toinardus, qui me monuit de illo nummi Heliogabali mutilatione, exiſtimabat difficultatem ceſſare, ſi advertamus, Imperatores annos Imperii ac Tribuniciam Poteſtatem a die* IV. Idus Decembris *cum Tribunis iniiſſe, & menſes, qui a die ſuſcepti imperii ad* IV. *Idus Decembris fluxerant, pro anno computaſſe, eodemque die annum ſecundum ſeu Tribuniciam Poteſtatem* II. *inchoaſſe, & ſic deinceps.* Paullo ante idem Pagius, quum anno U. C. DCCCLVI. Chr. CIII. Conſulatum Trajani *quintum* conſentientibus Faſtis omnibus adfixiſſet (*a*), & inde duo numiſmata ejuſdem Trajani (*b*) cum epigraphe TR. POT. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. ſibi objeciſſet, quippe quæ Tribunicia Poteſtas in annum ſequentem differre eumdem Conſulatum videtur, *Toinardus*, inquit (*c*), *ſic explicanda cenſet* numiſmata. *Tribuni Plebis* IV. Idus Decembris *creabantur, ut teſtatur Dionyſius Halicarnaſſenſis. Dio autem Lib.* LIII. *de Imperatoribus ſcribit:* „ Tribuniciam Poteſtatem, quanta unquam maxima fuit, „ accipiunt, &, quia quotannis eam cum Tribunis Plebis ejus „ anni renovant, annorum imperii ipſorum hinc ſumma con„ cipi ſolet. *Ex his infert Toinardus, Trajanum anno Chriſti* XCVII. (*d*) *quinto Kalendas Novembris Tribunicia Poteſtate ornatum eſſe, ac* IV. *Idus Decembris ejuſdem anni cum Tribunis Plebis Tribuniciam Poteſtatem renovaſſe, id eſt, Tribuniciam* II. *numeraſſe. Quo pacto anno Chriſti* CII. (*e*) IV. *Idus Decembris, quum adhuc Conſul* V. *deſignatus eſſet, Tribuniciam Poteſtatem* VII. *inchoare potuit. Variis nummis ſuam opinionem Vir doctiſſimus mihique amiciſſimus confirmat: v.g. in nummo græco Galbæ Imperatoris legitur,* TR. POT. II, *quem tamen certum eſt ſecundum imperii annum non inchoaſſe. Is itaque juxta Toinardi conjecturam, Tribuniciam Poteſtatem ineunte menſe Aprili anni* LXVIII. (*f*) *ſuſcepit, eodemque anno,* IV. *Idus Decembris ſecundam Tribuniciam Poteſtatem ingreſſus eſt, occiſus menſe Januario inſequentis anni. Eo modo de multis aliis numiſmatis, quæ germana eſſe conſtat, Toinardus diſcurrit.* His recitatis ſe ſe ad oppugnandam hanc Toinardi opinionem convertit Pagius (*g*).

Idem vero, quod *Toinardum* ſenſiſſe ſcripſerat *Pagius*, ſenſit etiam *Ulricus Obrechtus*, in peculiari Diſſert. *de Trib. Cæſar. Rom. Poteſtate* A. CIϽ IϽCLXXVIII. *habita*, teſtante Jo: Georgio Grævio (*h*), qui ſubdit, in eam Diſſertationem ſe poſtea

(a) Num. I. & III.
(b) Num. II. & IV.
(c) Num. V.
(d) U. C. 850.
(e) U. C. 855.
(f) U. C. 821.
(g) Num. VI.
(h) In Exer. Acad. de numer. Trib. Pot. Auguſtorum Cæſarumq; Rom. habit. die 26. Aug. an. 1721. nu. VI. pag. 14.

demum

demum incidisse, quam primam suam de hoc argumento commentationem ediderat. Ibi vero, §. XVI., hæc scripsit eruditiss. Obrechtus: *De ratione computandi annos Cæsarum secundum numeros Tribuniciæ Potestatis ita forte sentiendum fuerit: quo quisque tempore Imperator Tribuniciam Potestatem acceperit, ab eo primam periodum ejus potestatis numeratam fuisse, ad tempus, quo Tribuni Ordinarii Magistratum inierunt; ab eo autem tempore* TR. POT. II. *computari solitam, ad* IIII. *Idus Decembris anni Juliani sequentis, a quo principio* TR. POT. III. *cœpit procedere*. Eamdem opinionem etiam *Pearsonio* adscribit *Henricus Dodwellus*, *Prælect. Cadmen.* XVIIII, nu. XXIII. At enim vero fallere istam opinionem, erroremque natum esse ex falsa interpretatione Dionis Cassii, & ejusdem *hypotheseos* falsitatem claris evidentibusque exemplis redarguere Pagium, seque suo tempore pluribus demonstraturum esse, subjungit Grævius.

§. 2. Pagius itaque, *Verum eam sententiam*, inquit (*a*), *nummi refellunt. Mediobarbus duos Neronis exhibet, in quibus is dicitur* TR. P. III. COS. II, *qui tamen anno Chr.* LVII. (*b*), *quo secundum Consulatum gessit*, TRIB. POT. IIII. COS. II. *diceretur, si mense Decembri anni* LIV. (*c*) *secundam Tribuniciam Potestatem, ut vult Vir doctissimus, auspicatus esset: mense enim Octobri illius anni Claudio successerat. Sic Domitianus in nummo apud Mediobarbum dicitur* TR. P. II. COS. VIIII. *Imperare cœpit Domitianus die* XIII. *Septembris anni* LXXXI. (*d*): *quare anno* LXXXIII. (*e*), *quo Consulatum* IX. *sumpsit, non* TR. P. II, *sed* TR. P. III. *diceretur, si ea sententia vera esset. Marcus Aurelius Tribunicia Potestate anno Chr.* CXLVII. (*f*) *ornatus est, qui ideo initio anni* CLXI. (*g*), *quo tertium Consul processit, dictus fuisset* TRIB. POT. XVI; *& tamen Mediobarbus varios hujus Imperatoris nummos profert, in quibus legitur:* TRIB. POT. XV. COS. III. *Denique Severus Alexander in variis nummis apud Mediobarbum dicitur* TRIB. P. IIII. COS. II, *qui, quum anno Chr.* CCXXII. (*h*) *mense Martio regnare cœperit, annoque* CCXXVI. (*i*) *secundum Consulatum capessierit, prius Tribuniciam Potestatem* V, *quam Consulatum* II. *suscepisset, si* IV. *Idus Decembris eam exorsus esset*. Ita contra Toinardum Pagius.

(a) Num. VI. loci citati.
Toinardi opinio a Pagio oppugnata.
(b) U. C. 810.
(c) U. C. 807.
(d) U. C. 834.
(e) U. C. 836.
(f) U. C. 900.
(g) U. C. 914.
(h) U. C. 975.
(i) U. C. 979.

§. 3. Quod si germana ea est, & fideliter a Pagio recitata Toinardi observatio, recte procul dubio eumdem Pagium illam plurium, descriptorum nempe numismatum ope refellere, autumat Cl. Valsechius (*k*). Qui ulterius observat, alium

Valsechius Pagium contra Toinardum laudat.
(k) De Trib. Pot. V. Elag. cap. 5. pag. 78.

præter

præter laudatum a Pagio exſtare apud eumdem Mediobarbum Neronis nummum, in quo legitur: TR. P. VI. COS. IIII; juxta autem Toinardum anno Chr. LX. (a), quo Nero Conſulatum quartum ſuſcepit, legendum fuiſſet: TR. P. VII. COS. IIII. Nummo pariter Domitiani, quem laudat Pagius, addit Valſechius alios ejuſdem Domitiani nummos, apud ipſum Mediobarbum inſcriptos: TR. P. III. COS. X.)(TR. P. IIII. COS.XI.)(TR. P. V COS. XII.)(TR. P. VI. COS. XIII.)(TR. P. VII, COS. XIIII.)(& TR. P. XIIII. COS. XVII.); in quibus, ſi vera Toinardi ſententia, alium ſemper addendum fuiſſe annum Tribuniciæ Poteſtatis notat. Quod autem ad nummos adtinet Marci Aurelii, quos Pagius e Mediobarbo profert, peccare heic ipſum Clar. Virum Toinardo hujuſmodi nummos objicientem docet, & quidem recte Valſechius: nam falſum eſt, inquit (b), Marcum Aurelium initio anni Chriſti CLXI. (c) debuiſſe, juxta Toinardi ſententiam, Tribuniciam Poteſtatem XVI. numerare; quum ex ea conſequatur dumtaxat, illum Tribuniciam Poteſtatem XV. præferre debuiſſe, ut numeranti patebit. Neceſſum autem fuiſſet, ut nummos proferret, in quibus TR. P. XIIII. COS. III, quorum tamen nullus apud Mediobarbum. Ita Valſechius, qui recitatæ Pagii contra Toinardum ſententiæ, eique nummis Neronis ac Domitiani munitæ, ſic demum calculum ſuum addit (d): *His ſane locupletiſſimis certiſſimiſque nummorum monumentis Cl. Viri opinionem, prout a Pagio refertur, ſatis ſuperque revelli crediderim.*

(a) U. C. 813.
(b) Ibid. & pag. 79.
(c) U. C. 914.
(d) Pag. 79.

§. 4. Verum animadvertit ipſe Valſechius (e), Toinardum, in Epiſtola ad Clar. Virum Franciſcum Dronium, *De Galbæ Numiſmate Ægyptiaco* Pariſiis ann. 1689. una cum *Trajani & Caracallæ Alexandrinorum duorum numiſmatum Interpretatione*, impreſſa, de Pagio conqueri, quod *non omnino bene* is ſuam illam obſervationem retulerit. *Qua vero ratione*, [inquit in laudata epiſtola], *in Galba, qui decimum dumtaxat Imperii menſem ad ſummum attigit, duo computentur anni, aperiam in* Tractatu de Tribunicia Imperatorum Poteſtate, biſariam dinumerata. *Meam ſuper ea re Obſervationem, Pariſiis anno 1685. cum V. C. Ant. Pagio communicatam, piget dicere non omnino bene a Clar. Auctore, pag. 7. ad annum Chr.* CIII. *in* Critica ſua Baroniana, [*Pariſiis hoc anno 1689. edita*], *fuiſſe relatam:* ac deinde ibid. *minus appoſite confutatam, pag.* 304. *in* Addendis. *Sed de hoc alias.* Optaſſe porro ſe ſubdit Valſechius (f), ut Clar. Vir

(e) Ibid.
Toinardus conqueritur de Pagio, quod non omnino bene is ſuam obſervationem retulerit.
Idem Toinardus promittit Tractatum de Tribun. Pot. biſariam dinumerata.
(f) Pag. 80.

Vir ſuum illum *De Tribunicia Imperatorum Poteſtate, bifariam dinumerata*, Tractatum tandem publici juris feciſſet. Jam vero, ut intelligeret accuratiſſimus ipſe Valſechius, quæ ejus ſuper re illa germana obſervatio eſſet, Pariſios ad Cl. e noſtris Virum, ſibique jamdiu ſumma neceſſitudine conjunctum, D. Anſelmum Bandurium ſcripſit, rogavitque, ut pro ſua humanitate exquireret, num alicubi Libellus ille manu exaratus exſtaret, ac, ſi inveniſſet, eum ſibi, ſi fieri poſſet, exſcribendum curaret: ſin vero minime inventus, petiit, ut quempiam ſaltem eruditorum Virorum, quibuſcum Toinardus, quum adhuc in vivis ageret, verſatus fuerat, adiret, atque ab eo, quæ vera illius exſtiterit mens, percontaretur. Convenit Vir Clar. Bandurius Toinardi amicum. Intellexit, Librum *de Tribunicia Imperatorum Poteſtate bifariam dinumerata*, Toinardum quidem ſcripſiſſe, at ideo, quod Viris doctis non probaretur, credi, illum poſtea ſuppreſſiſſe. De illius vero opinione nihil præterea reſpondit, quam quod e Pagio ſuperius expoſitum eſt. Librum ipſum, *De Tribunicia Imperatorum Poteſtate bifariam numerata* ſub oculis habuit etiam Noriſius, deque eo ad Virum Eruditiſs. Nicaſium ita ſcripſit: *Diſſertationem amici noſtri Toinardi a V. C. Pagio accepi, cujus tamen opinionem de bis in anno iterata Tribunicia Poteſtate Impp. inſcripti lapides oppugnant; die enim natali tantum Imperii eamdem multiplicabant* (*a*). Hæſit Valſechius, miratus, quæ Toinardus in laudata epiſtola ſcripſerat, ſcilicet *non omnino bene* relatam a Pagio ſuam opinionem, minuſque ab eodem appoſite confutatam. Hinc ſiquidem deprehendebat, aliud quidpiam Cl. Virum ſenſiſſe, præter id, quod Pagius ac eruditus Toinardi amicus monuiſſent. Relegenti itaque eidem Valſechio Tractatus, quem pollicitus Toinardus fuerat, titulum, in mentem venit, eam fortaſſis Toinardi ſententiam fuiſſe, quod in Imperatorum numiſmatis Tribuniciæ Poteſtatis aut Imperii anni duplici ratione numerari, conſueverint. Id enim ferre videbatur titulus *De Tribunicia Imperatorum Poteſtate* BIFARIAM *dinumerata*. At unde, ajebat Vir ipſe perſpicaciſſimus Valſechius, duarum hujuſmodi Epocharum initia repetenda? A die alterum ſuſcepti imperii, cogitabat, Toinardum fortaſſis deduxiſſe, alterum vero a die decima Decembris, qua ab Imperatoribus Tribuniciam Poteſtatem iterari, noverat Clar. Virum juxta Dionem contendiſſe. Sic enim ceſſare videbat difficultatem illi e nummis a Pagio

Exquirit Valſechius per Bandurium, num dictus Tractatus alicubi exſtaret.

(a) Epiſt. data Florent. 4. Non. Maji an 1690., quæ habetur Tom. V. p. 346. Oper. Noriſ. Edit. Veron. ann. 1741. & eſt num. CLXXXII. inter Epiſt.

Dubitatio Valſechii de ſenſu Toinardi circa Trib. Pot. bifariam dinumeratam, ejuſque oppugnatio.

objectam. Nam quæ Neronis, Domitiani, Alexandri, ac aliorum proferuntur numismata, in quibus haud cernitur prædicto modo iterata Tribunicia Potestas, illa reponere posset Toinardus, annos a suscepti imperii die numerare. Ceterum, quum nummi etiam sint, in quibus plures anni Imperatoribus tribuuntur, quam eos regnasse constet, annos, inquiet, in iis putari a decima die Decembris, cum prædicta Tribuniciæ Potestatis, eo die, cùm Tribunis Plebis facta iteratione. „ Hæc „ mea quidem, *ait Valsechius* (*a*), Toinardi sententiæ, e titulo Libelli petita, divinatio. Quæ si minime mendax; licet „ profecto Cl. Viri hoc modo explicata observatio, minus, ut „ ille ipse inquit, apposite confutetur a Pagio, aliis nihilominus subesse difficultatibus constat, ut neutiquam mirari „ subeat, quod, quum doctis viris non probaretur, eam supprimere Toinardus ipse censuerit. Neque enim video, unde bellam hanc concinnamque annorum in nummis putandorum diversitatem expiscari, licuerit Toinardo. Si textus „ Dionis vera ab illo usurpata explicatio, cur non in omnium „ Imperatorum nummis Tribunitia eorum Potestas a die x. „ Decembris cum asserta iteratione computatur? De omnibus quippe Imperatoribus Dionem loqui, manifestum est. „ An ideo fortassis, quia non omnes, sed aliqui tantum Imperatores eam, cum Tribunis plebis renovavere? At quæ „ id adstruunt monumenta? Non omnes profecto eam illo „ die renovarunt, aut, si renovarunt, major certe illorum pars, „ non a mense Decembri, sed a die suscepti imperii numeravit. At, si de majori id parte fatendum, cur non etiam de „ omnibus adfirmandum? Nervam, qui secundum tantum „ imperii annum libavit, Tribunitiam Potestatem prædicto „ die iterasse, ipse contendit, quod, ut superius dictum, sint „ Græci ejus nummi anno III. imperii signati. At, si iteravit, „ cur tot exstant apud Occonem & Mediobarbum illius ipsius „ nummi aurei, argentei, atque ærei, in quibus dicitur TR. P. „ II. COS. IIII.? Si iterasset, initio anni Chr. XCVIII, quo Consul quartum processit, Tribunitiam Potestatem III. numerare debuisset: imperium namque susceperat mense Septembri anni Chr. XCVI, ac mense postea Decembri ejusdem anni Tribunitiam Potestatem II. cœpisset numerare. Trajanum etiam illam eodem die iterasse, asserit Toinardus, ut „ ejus nummos TR. P. VII. COS. IIII. DES. V. signatos, in con-

„ cordiam

(a) Pag. 81.

„ cordiam cum veteribus Fastis adducat. At plures etiam ejusdem Trajani occurrunt apud Occonem & Mediobarbum nummi, in quibus legitur: TR. P. III. COS. III, & TR. P. IIII. COS. IIII. Trajanus, ut supra observatum, Tribunitiam Potestatem suscepit V. Kalendas Novembris anni Chr. XCVII, quare, si IV. Idus Decembris ejusdem anni Tribunitiam Potestatem II. exorsus est, initio anni Chr. C, quo Consulatum III. iniit, Tribunitiam Potestatem IIII, & initio anni CI, quo Consul quartum processit, Tribunitiam Potestatem V. prætulisset". Hanc Valsechii sententiam secutus J. Geor. Grævius, *hæc si fuisset*, inquit (*a*), *Toinardi sententia de Tribunitia Potestate bifariam numerata omnino vana fuisset*. Unum adhuc superesse subdit Valsechius, ut hanc etiam aquam transiliat Toinardus, quod variis in regionibus dicat varie fuisse nummos percussos, ita ut non quidem ubique, sed alicubi tantum Tribuniciæ Potestatis anni in illis juxta prædictam iterationem fuerint notati. At unde, [interrogat ipse Valsechius], hæc diversitas? Si alicubi anni cum ea Tribuniciæ Potestatis iteratione computabantur, nonne Romæ præsertim, ubi IV. Idus Decembris, ea, ut ait Toinardus, fiebat iteratio? At videas apud Gruterum plurimas Imperatorum Romæ positas Inscriptiones, in quibus ab delati dumtaxat Imperii die Tribunicia Potestas numeratur. Ita Vir perspicacissimus atque diligentiss. Valsechius, qui inde pergit ad textum Dionis, e quo suam Toinardus elicuit observationem, expendendum. De eo nos infra.

(a) In Exerc. Acad. de nu. Trib. Pot. Observ. IX. pag. 28. 29.

Difficultates, quæ reperiuntur in renovanda eodem die, quo primum accepta est, Trib. Pot.

XI. §. I. Hæc de Petavii, Harduini, & Toinardi opinionibus. At in ea etiam, quam priori loco retulimus, ac communissimam & receptissimam diximus, quæ sc. eodem die, quo primum accepta est, Tribuniciam Potestatem annuatim renovat, sententiam pæne innumeræ difficultates reperiuntur. Sunt vero duplicis generis: aut enim numerus Tribuniciæ Potestatis numerum Consulatuum, cum quibus jungitur, superat & excedit; aut plures habentur Tribuniciæ Potestatis numeri, quam sint anni, quibus illam Principes tenuerunt. Prioris generis exempla sunt hujusmodi. Inscribitur Tiberius in quodam nummo (*b*) TR. P XXIII. COS. III. Itaque, si Tribunicia Potestas annuatim die, quo primum accepta est, renovetur, ut laudata fert sententia, circa diem V. Kalendas Julias anno U. C. DCCLXXIV. (*c*) Tribunicia Potestas XXIII. Tiberii cœpisset: at tum haud amplius COS. III. sed IIII. erat Tiberius, Fastis testibus.

(b) Apud Biaccam in Notis ad Mediob. pag. 65.

(c) Chr. 21.

bus. Numerus propterea Tribuniciæ Poteſtatis numerum excedit Conſulatuum. Claudius in inſcriptione apud Gruterum

(a) Num. 8. pag. CLXXXVIII.
(a) dicitur TRIB. POT. III. COS. II. Imperium is accepit nono

(b) Chr. 41.
Kalendas Februarias anno U. C. DCCXCIV. (b), quum jam tum Conſul prima vice fuiſſet. Hinc Conſul *iterum* proceſſit ſubſequentibus Kalendis Januariis, *tertium* vero Kalendis Januariis

(c) Chr. 43.
anno U. C. DCCXCVI. (c). Nono itaq; Februarii hujus anni die cepiſſet Claudius Tribuniciam Poteſtatem III, ſi annuatim a die, qua primum ſumpſerat, illam renovaſſet: at tum erat jam Conſul *tertium*, ideoque COS. II, prout in inſcriptione legitur, dici non potuiſſet. Excedit itaque Conſulatum *ſecundum* Tribunicia Poteſtas III. eo modo numerata. Claudio ſuc-

(d) Chr. 54.
ceſſit Nero III. Idus Octobris anno U. C. DCCCVII. (d), moxq; Tribuniciam Poteſtatem accepit: anno tamen U. C. DCCCXIII.

(e) Chr. 60.
(f) Apud Grut. pag. CXVIII.
(e) *Kalendis Januariis*, ac *tertio Nonas Januarias* præfert in Inſcriptione (f) Fratrum Arvalium TRIB*uniciam* POT*eſtatem* VII: quod fieri non potuiſſet, ſi III. Idus Octobris ipſam Tribuniciam Poteſtatem ſingulo quoque anno renovaſſet. Trajanus a Nerva adoptatus, Tribunicia etiam Poteſtate donatus

(g) Chr. 97.
eſt die XXVIII. Octobris anno U. C. DCCCL. (g), Kalendis vero Januariis ſubſequentibus Conſulatum ſecundum iniit, ter-

(h) Chr. 100.
tiumque Kalendis Januariis U. C. DCCCLIII. (h); & tamen

(i) Apud Gruter. pag. CLV. 10.
(k) Apud eumd. pag. CXC. 2.
(l) Chr. 101.
(m) Chr. 103.
dicitur (i) TRIB. POT. IIII. COS. II; tum etiam (k) TRIB. POT. V. COS. III: quum Kalendis Januariis U. C. DCCCLIV. (l) Conſul *quartum* proceſſerit. Rurſus, quum Kalendis Januariis anni U. C. DCCCLVI. (m) Conſulatum *quintum* inierit, dicitur tamen in nummis TR. P. VII. COS. IIII. DES. V. Quibus in locis, ſicut & in aliis aliorum Imperatorum, quæ heic omittimus, infra adducturi, Tribunicia Poteſtas juxta communiſſimam ſententiam annuatim a die, qua primum accepta eſt, numerata excedit, ſuperatque anno uno Conſulatus, cum quibus conjuncta comparet.

In nummis in quibus Trib Poteſt. ſuperat annos imperii, erratum docet Pagius.

§. 2. Secundi generis difficultatem pariunt numiſmata, quæ majorem exhibent numerum Tribuniciæ Poteſtatis, quam ſint anni, quibus imperarunt Principes, quorum ſunt ipſa numiſmata. Hæc vero multa ſunt & obvia. *Jamdiu Chro-*

(n) In Crit. ad an. Chr. 103. nu. VI.
nologos torquent, ait Pagius (n), *varia numiſmata, in quibus plures tribuuntur anni quibuſdam Imperatoribus, quam ex certis Hiſtoriæ monumentis eos regnaſſe conſtat*. Relata porro rejectaq; prout ſupra, Toinardi de his nummis opinione, *Hæc mea*, ſub-

dit

dit Vir Cl.(*a*), *de hujuſmodi nummis conjectura*. *Omnes nummi* (a) Num. VII.
Latini, in quibus anni Tribunitiæ Poteſtatis annos imperii excedunt, aut mendoſe deſcripti, aut a Monetariis in iis cudendis erratum, aut anni unius Imperatoris alteri adtributi, ut de Gallo & Voluſiano loquens oſtendi. Quoad nummos Græcos, in quibus plures imperii anni leguntur, quam reapſe Auguſti regnarint, vel idem dicendum ac de Latinis, in quibus anni Tribunitiæ Poteſtatis annos imperii ſuperant, vel exiſtimandum annos illos, non ad imperium, ſed ad aliquod alind nobis incognitum referri. Hæc Pagius.

§. 3. Quæ quum memoraſſet Vir Cl. Valſechius (*b*), (b) De Trib.Pot. V. Elagab. cap.5. pag. 92.
ultro fatetur, mendoſe, imperitia aut oſcitantia Antiquariorum nummos interdum deſcriptos eſſe, aut typis minus accuratis eſſe vulgatos. Fatendum etiam, perq; vehementer dolendum eſſe ſubdit, improborum artificum fraude aliquot poſtremis hiſce temporibus nummos conflatos, qui affabre adeo ad antiquorum normam cælati ſunt, ut vel peritiſſimi cujuſq; oculos, niſi ſumma cautio & diligentia adhibeatur, facile poſſint illudere. In his porro eorumdem nebulonum inſcitia, aut cumulatiore fortaſſis ſcelere, quo majus nimirum ſuis mercibus pretium facerent, numerales quandoque ſive Tribuniciæ Poteſtatis, ſive Conſulatuum, ſive aliarum Epocharum notæ turbatæ ſunt, ſicque ſus deque omnia permixta. *Verum, quod a Monetariis, in antiquis ipſis procudendis nummis, erratum ſit, aut quod anni unius Imperatoris alteri in iiſdem tributi, ut contendit Pagius, nonniſi ægre valde ac ſummis difficultatibus preſſis credendum. Quis enim non videat, hac ratione omnium nummorum fidem ſubverti, eoque canone admiſſo, nullum amplius nos poſſe pro Hiſtoricis & Chronologicis rebus e nummis præſidium adſciſcere*? Iiſdem veſtigiis inſiſtens Grævius notat (*c*), *Alios, quæcumque monimenta aliquam difficultatem afferre videbantur, omnia tanquam falſa & ſpuria rejeciſſe*; quod is improbat. Valſechius porro deſcribit duos ex Goltzio nummos, in quibus plures tribuuntur anni Elagabalo, quam ex certis hiſtoriæ monumentis eum regnaſſe conſtat, duos itidem ex Occone, duoſque ex Mediobarbo, unum ex Vaillantio, alterumque e Gaza Medicea, in quibus omnibus iiſque Latinis habetur TR. P. V. ejuſdem Elagabali; refert quoque græcum ex Goltzio cum ΔHM. EΞ. E. *Tribunicia Poteſtate quinta*. His addit nummos Aquiliæ Severæ & Anniæ Fauſtinæ Elagabali Uxorum cum L. E, *anno quinto*, a Vaillantio in nummis Græcis, e Muſeo Nob. Mauroceni,

Ejuſdem opinionis impugnatio.

(c) Ead. Exerc. ad Obſerv. VIIII. pag. 28.

roceni, recitatos, quorum persimiles possidebat etiam Senator amplissimus D. Johannes Dominicus Theupolus, qui pro eximio suo in rem antiquariam, atque in ipsum etiam Valsechium amore, eorum ectypos Venetiis ad illum Florentiam transmisit. Eos autem exhibet in ære incisos, iique nunc etiam prostant cum aliis nummis ab eodem Excellentiss. Theupolo magna diligentia magnaque impensa conlectis, legatisque demum testamento Excellentissimis Laurentio Equiti & D. Marci Procuratori, ac Federico Senatori Fratribus Theupolis, qui *Musei Theupoli antiqua numismata olim collecta ab ipso Jo: Dominico* Theupolo, & a se ipsis aucta ediderunt, magna cum laude bonoq; Reip. litterariæ: quos *Viros Cl.* ob eximia nedum in me & in ipsam litterariam hac de caussa aliisque plurimis, verum & in Venetam eamq; maximam Remp. merita honoris dignitatisque caussa nomino, ac maxime colo. His nummis, quos exempli gratia adducit Valsechius, plures alios tum Latinos tum Græcos addere nos possumus, Augusti scilicet, Nervæ, Hadriani, Commodi, Sept. Severi, Galli, Volusiani, Postumi, aliorumque; a quibus tamen describendis heic abstinemus, infra enim suoque loco producturi eosdem sumus, considerandosque exhibituri, adeo ut heic memorasse seu potius innuisse satis esse possit. *Quis autem credat*, ut verbis utar laudati Valsechii (*a*), *in his omnibus Monetarios errasse, aut aliorum Imperatorum posticas iisdem Elagabali*, addam Augusti aliorumque memoratorum Principum, *nummis veteres ipsos Monetarios junxisse? Si autem anni, qui in nummis græcis persæpe sola litera* L. *cum nota numerali adjecta designantur, non ad imperium, sed ad aliquod aliud sunt referendi, cur Pagius ipse iis nummis toties utitur pro Augustorum imperii annis definiendis? Id enim vero genus argumentorum non inutile modo, sed plane deridiculum foret, si, imperii annos iis minime notis inscribi, semel asseramus.*

(a) Pag. 95.

De nummis cusis in dissitis locis ante nuntium mortis eorum, quorum sunt.

§. 4. Ita recte Valsechius, qui & de alia Pagii aliorumque Antiquariorum regula pro intelligendis explicandisque hujus generis nummis, qui annos excedunt imperii, hanc fert sententiam. *Alia porro*, ait (*b*), *qua idem Pagius aliis in locis aliique passim Antiquarii utuntur, de hujusmodi sive Latinis sive Græcis numismatis regula, quod nempe in dissitis regionibus, quum a Monetariis Imperatorum mors adhuc ignoraretur, percussa sint, si de paucorum dumtaxat dierum, aut alicujus etiam fortassis mensis differentia agatur, haud plane est improbanda.* Hanc regulam ipsis

(b) Eod. cap. pag. 95. 96.

etiam

etiam Elagabali nummis Pagium antea aptasse, notat Vir Cl., at re melius perpensa eam repudiasse subdit. Neque enim videtur credibile, tamdiu ejus necem Monetarios latuisse, ut tot diversi illi nummi TR. P. V. signati cudi potuerint; neque præterea explicari satis poterunt nummi Anniæ Faustinæ & Aquiliæ Severæ cum L. E., *anno quinto*, quum post Anniam Faustinam, aliam atque aliam duxerit Elagabalus, ac demum ad Aquiliam Severam redierit. Ita doctissimus Valsechius.

§. 5. Viri hujus Cl. observationem animadversionemq; de Elagabali nummis, ad alios etiam aliorum Imperatorum, de quibus supra latiusq; infra, nummos nos extendimus. Quippe, exempli gratia, decimum (*a*) imperii mensem haud adtigit Galba, & tamen cum L. B. *anno secundo* comparet (*b*) in nummis. Nerva itidem regnavit *annum unum, menses quatuor, dies novem*, Dione teste (*c*); adhuc tamen habet (*d*) L. Γ. *annum tertium*, & TRIB*uniciam* POTEST*atem* III. Rem porro gratam utilemque omnibus fecisset laudatus Valsechius, si, postquam Pagii perniciosos nummis omnibus aliisque antiquitatis monumentis Canones jure merito rejecit, rationem modumque suggessisset, quibus intelligi explicarique possent in nummis tum Latinis tum Græcis ii Imperatorum anni, qui non parum sed multum imperii eorum tempus excedunt. Proponit ipse (*e*) quidem modum nummos Elagabali, hujusmodi annis insignitos interpretandi, quippe conjicit, quod Elagabalus, licet die tantum XVI. Maji anni Chr. CCXVIII. (*f*) Imperator a militibus salutatus fuerit, sui imperii nihilominus initium a die VIII. Aprilis anni CCXVII. (*g*), qua Antoninus Caracalla, cujus se filium nuncupabat, fatis concesserat, repetere potuerit, nulla habita ratione imperii Macrini, quem ut ejusdem imperii raptorem habebat. Sic enim Elagabalus die VIII. Aprilis anni CCXXI. (*h*) *Tribuniciam Potestatem* V., ac *quintum annum* imperii iniisset, & post eum initum usque ad diem X. Martii anni CCXXII (*i*), qua occisus fuit, Anniam Faustinam dimittere, duas alias uxores ducere, ac demum ad Aquiliam Severam sat commode redire potuisset. At in primis hanc esse meram conjecturam Valsechius ipse fatetur (*k*), eamque alii rejiciunt. Secundo, etiamsi conjecturam ipsam de nummis Elagabali admittamus, alii aliorum Imperatorum nummi remanent, qui imperii eorum tempus non parum excedunt, quibusve rationes aut conjecturæ satisfacere non possunt.

Auctoris de hujusmodi nummis animadversio.

(a) Dio & Joseph. adducendi infra Num. XIX.

(b) Vid. ibid.

(c) Dio Libro LXVIII. p. 771. B.

(d) Vid. nu. XX. hujus animadver. circa finem.

(e) In Dis. de Trib. P. V. Elagab. cap. 6. & Diss. de init. Sev. Al. cap. 15.

(f) U. C. 971.

(g) U. C. 970.

(h) U. C. 974.

(i) U. C. 975.

(k) Citatis modo locis & alibi passim in laudatis Differt.

ſunt. Inde etiam ipſa de nummis Elagabali conjectura infirmari mihi videtur, quod a peculiaribus, quæ imperio Elagabali competunt, obſervationibus petita ſit; quum difficultas, quæ ex nummis oritur, ſit communis pluribus Imperatoribus. Reſtant præterea omnes nummi & inſcriptiones, in quibus is Tribuniciæ Poteſtatis ac Conſulatuum numerus conjunctus eſt, qui ſi de Tribunicia Poteſtate annuatim ipſo die, quo primum accepta eſt, renovata ſumatur, Tribunicia Poteſtas excedit Conſulatus; ut paullo ante oſtendimus. Demum alias tum in chronologicis tum in hiſtoricis rebus difficultates eaſque plurimas ac graves pati mihi videtur hæc ipſa communiſſima & apud fere omnes, ipſum etiam Valſechium receptiſſima opinio, quæ docet, Tribuniciam Poteſtatem die, quo ſuſcepta ab Imperatoribus erat, renovatam quotannis fuiſſe.

Novum omnium ſententiarum examen.

XII. §. 1. Itaque, quum maximis hiſce incommodis hanc etiam ſententiam obnoxiam animadverterem, ceteras iterum ſententias expendere, & ad res chronologicas hiſtoricaſq; exigere cœpi. Qua in re multum temporis inſumpſiſſe me fateor: unicuique enim ſententiæ chronologiam & hiſtoriam, hiſque rurſus unamquamque ſententiam aptare, quantum potui, conatus ſum. Ac quidem accidit, ut Petavii & Harduini ſententiæ alicubi congruerent; at vero ſæpius illas diſcordare cognovi. Quare, quum pluribus iiſque gravibus difficultatibus obnoxiæ viderentur, ab ipſis recedere coactus ſum, eo vel maxime, quod & Petavius, ut notavimus, a ſua paſſim, ac fere ubique recedat; & illa Harduini contraria omnino ſit Auguſtæ hiſtoriæ Scriptoribus, nec aliunde nummorum aliorumque monumentorum, fide dignorum, auctoritate conſtet. Quin hanc ipſam ſententiam inter illas fuiſſe cenſemus, quas Harduinus ipſe a ſe poſtea removit, recuſaſque Amſtelodami doluit (*a*), deq; iis cum Typographo expoſtulavit. Reſtabat ea, quæ Toinardi credita eſt, ac dicitur ſententia; quam mihi conſideranti ſtatim ſeſe proponebant difficultates, quas illi Pagius aliique objecerant: ac præterea videbam, Toinardum ipſum conqueri, quod ſua ſuper hac re obſervatio non omnino bene a Pagio fuiſſet relata, ac deinde minus etiam appoſite confutata. Quare concludebam, Toinardi opinionem aut non ſatis expreſſam a Pagio fuiſſe, aut ſaltem a Toinardo ipſo ſepoſitam, ita ut, quæ ſub nomine Toinardi apud ipſum Pagium modo exhibetur, aut Toinardi numquam fuerit, aut ſaltem

(a) In Calce ejuſdem Edit. Amſtel. an. 1709.

eſſe

esse desierit: nam illam certe Toinardus a se removere conatus palam est, ut vidimus. Considerans vero etiam titulum ejus operis, quod ad exponendam suam mentem Toinardus ipse promiserat, nempe *Tractatum de Tribunicia Imperatorum Potestate bifariam dinumerata*, in primis ob oculos mentemq; ea habebam, quæ contra observaverat scripseratq; Valsechius (*a*) cum Grævio: præterea tenebras adferre posse duplex hoc numerandi Tribuniciam Potestatem principium animadvertebam. Admisso enim hoc duplici principio, ita ut nempe Tribunicia Potestas modo die, quo primum accepta est, modo die x. Decemb. cum Tribunis Plebis renovata quotannis sit, prout argui posse videtur ex eodem titulo, inde quidem satisfiet difficultatibus, quæ ex numero Tribuniciæ Potestatis cum Consulatibus aut annis imperii conlato oriuntur; at vero in reliquis nummis ac monumentis, quæ nullam patiuntur difficultatem, quæque multo plura sunt, quam ea, quæ difficultatem patiuntur, scire nequaquam poterimus, utrum uno potius, an altero principio uti in iis interpretandis debeamus. Huc progressus, quum omnes aliorum sententias quam maxime implicatas maximisque laborantes difficultatibus, re mature, prout fert ingenii mei tenuitas, considerata cognovissem, cogitare serio cœpi, utrum effugiendi difficultates omnes recteque simul interpretandi nummos & inscriptiones aliquis alius esset modus. At, quamvis nihil ex omnibus iis, quæ in mentem mihi venire longo temporis spatio multaque meditatione potuerunt, intentatum reliquerim, nihil tamen occurrit, quod vacuum ab omnibus difficultatibus esset, quodque satisfacere omnino posset.

(a) Vid. supra.

Omnes omnium sententiæ difficultatibus obnoxiæ.

§. 2. His igitur pressus angustiis, ad considerandum me converti, ubi minores essent difficultates, quidve probabilius in hac re dici posset; id enim unum reliquum esse mihi videbatur. Pensatis itaque omnibus omnium sententiarum difficultatibus, minores visæ mihi sunt, quæ opinionem hanc ultimam adficiunt, qua duplex multiplicandæ quotannis Tribuniciæ Potestatis principium, alterum a tempore anniversario susceptæ primum ejusdem Potestatis, alterum vero a die x. Decembris repetendum statuitur; satisfactum etenim hoc modo videtur omnibus utriusq; generis difficultatibus. Obstant quidem huic Tribuniciæ Potestatis bifariam dinumerandæ methodo, ut vidimus, Valsechius & Grævius; &, si hujusmodi

Minores difficultates in ea opinione, quæ Tribuniciam Potestat. bifariam dinumerat, a die sc. anniversario & X. Dec.

fuit Toinardi ſenſus, viris aliis doctis illum minime probatum audivimus. Quippe qui tenebras adfundere videtur; incertum enim non raro remanet, utrum a tempore ſuſceptæ primum Tribuniciæ Poteſtatis, an a die x. Decembris, numerus Tribuniciæ Poteſtatis repeti debeat. Attamen hæ difficultates tanti ponderis momentique non ſunt, ut falſitatis opinionem hanc certo arguant, & ab ea recedere prorſus cogant. Plura etenim ſunt nummorum inſcriptionumque exempla, quæ duplex illud dinumerandæ Tribuniciæ Poteſtatis principium ſuadent; quippe quæ nonniſi hoc modo explicari poſſe videntur. Quod autem ad confuſionem ſpectat, ea demum paucorum menſium eſt, neq; annum excedit. E contra omnes hæc opinio tollit difficultates, ſuamq; nummis & inſcriptionibus ſervat auctoritatem, quæ alias integra conſiſtere non poteſt.

§. 3. Quod ſi hunc ipſum dinumerandæ multiplicandæque Tribuniciæ Poteſtatis modum alii non admittunt, ſimilem tamen apud aliquos legere eſt. Henricus Dodwellus *(a)*, adnotante Grævio *(b)*, copioſe demonſtrare voluit, Hadrianum Imperatorem duplicem numerandæ Tribuniciæ Poteſtatis habuiſſe Epocham, alteram ab adoptione, nempe a die IX. Auguſti A. U. C. DCCC.LXX, alteram a morte Trajani, nempe ab XI. Auguſti A. U. C. DCCCLXXI. repetendam. Similiter Valſechius *(c)* memorat, tum Lacarryum *(d)*, tum Philippum Bonarotam *(e)* duplex initium Tribuniciæ Poteſtatis Commodi Antonini numerandæ admiſiſſe; & quidem Lacarryum, alterum ab anno Chr. CLXXV, ubi Senatus Commodo poſtulaverit Tribuniciam Poteſtatem conferendam; alterum ab anno CLXXVIII, quo idem Commodus a M. Aurelio Auguſtus ſit declaratus, repetiiſſe. Neque ipſum Valſechium repugnare notat Grævius, ſi quis in numeranda Elagabali Poteſtate duplex exordium ſtatuat, aliud nempe menſe Aprili anno Chr. CCXVII, & aliud menſe Majo aut Junio ann. Chriſti CCXVIII. Immo & Ant. Pagius *(f)*, ut conciliaret teſtimonia veterum monumentorum alioqui diſſentientia, in computanda Caracallæ Tribunicia Poteſtate duplex admiſit exordium, oſtenditq; hujus Imperatoris *Trib. Pot.* in aliquibus nummis & inſcriptionibus ab ann. Chr. CXCVII, quo Imperator ſolemniter deſtinatus ſit; in aliis autem ab anno CXCVIII, quo Auguſtus appellatus confirmatuſque ſit, deſumi ſolitam fuiſſe. Alia ejus generis exempla ſe prætermittere ſubdit laudatus Grævius; qui proinde

Alii etiam duplex numerandæ Tribuniciæ Poteſtatis principium aliquando admittunt.

(a) Append. ad Differt. Cyprian. XXXX. & ſeqq.

(b) Exerc. Acad. de nu. Trib. Pot. Obſerv. IX. pag. 29.

(c) Differ. de Init. Imp. Sever. Alex. cap. 20. pag. 218.

(d) In Hiſtor. Imperat. Roman.

(e) In Obſervat. ad num. Cardin. Carpinei pag. 97. & ſeq.

(f) In Critic. Baron. ad ann. Chr. 198. pag. 189.

proinde hunc ſtatuit Canonem, ſive *Obſervationem* in ordine VIIII. *Si quis primum ab exercitu extra Romam declaratus, aut alias deſtinatus eſt Imperator, aut ſibi ipſe arrogavit ſummæ poteſtatis jura, & poſt aliquod demum temporis intervallum a Senatu Romano talis agnitus confirmatuſque eſt; ejus Tribunitiæ Poteſtatis anni ſæpius ab illa prima declaratione, quam a ſubſecuta confirmatione, numerati inveniuntur; aut certe* DUPLICI RATIONE *aliquando deſignantur*. Hinc docet, occurrere quoſdam nummos veteres lapideſque inſcriptos, qui in referendis numeris Tribuniciæ Poteſtatis quorumdam Imperatorum mirum in modum ſibi adverſari videntur. In iis explicandis viros nonnullos eruditos maximopere aliquando ſe torſiſſe, ſed ſæpe rem parum feliciter expediiſſe tradit. *Sed, ſi cogitemus*, inquit, *ob certas cauſſas fieri potuiſſe, ut aliquando numeri Tribunitiæ Poteſtatis alicujus Imperatoris a duplici principio, & Epocha, repeterentur; dari poteſt occaſio apte conciliandi ejuſmodi diſſenſus, ita, ut & ordo faſtorum ſalvus maneat, & numis lapidibuſque antiquis, niſi aliunde in ſuſpicionem veniant, ſua conſtet auctoritas*. „ Quod ſi „ enim inter Hiſtoricos aliquando quidam annos imperii cer- „ torum Imperatorum ſtatim ab acclamatione exercitus; alii „ a pleniore occupatione imperii, poſt anteceſſorum obitum, „ numerarunt; cur non idem in ſignandis Tribunitiæ Pote- „ ſtatis numeris accidere potuiſſe putemus“? Se quidem non in omnium, ſed tantum in quorumdam Imperatorum Tribunicia Poteſtate numeranda, duplicem computandi rationem admittere ſubdit, *ubi nimirum ſatis probabilis aut manifeſta apparet cauſſa Epochæ duplicis conſtitutæ; & ubi hac ſola ratione vetuſta monimenta, quæ inter ſe diſſident, in concordiam redigi poſſe videntur*. At vero aliis, in omnium Imperatorum Tribunicia Poteſtate numeranda, ſatis probabilis aut manifeſta apparere poteſt cauſſa *Epochæ* duplicis conſtituendæ: nam, etſi non ſemper vetuſta monumenta inter ſe diſſidere in illis dignoſcuntur, adhuc tamen ſatius videri poteſt, eum Canonem ſtatuere, qui univerſalis ſit, quique non a cauſſa peculiari ſed ab univerſali ratione & ordine pendeat; quales heic ineſſe videntur.

Ratio ſtatuendi duplicis principii numerandæ omnium Imper. Tribuniciæ Poteſtatis.

§. 4. Si igitur in re tanti momenti plenaque periculi nobis quoque opinari licet, obſervamus, monumenta non tantum Hadriani, Commodi, Caracallæ, & Elagabali exigere duplicem Epocham, quod laudati Viri admittunt, ſed etiam plura alia plurium Imperatorum, ita ut horum pars major

duplex principium postulare videatur. Reliqui vero Imperatores si idipsum non exigunt, inde provenit, quod tempus illud, quo Tribuniciam Potestatem gesserunt, id minime permittit. Exempli gratia Otho, Pertinax, Didius Julianus, Balbinus & Pupienus, Quintillus, Florianus, aliique, de quibus suo loco, eo tempore imperarunt, quod Epocha duplici non eget, adeoque nec monumenta habentur, quæ eamdem exhibeant. Quare duplicem ii quidem Epocham non exigunt, sed nec excludunt; eamq;, si quid ego judico, requirerent etiam ipsi, si quidem eorum imperium in id tempus incidisset, quod eam inducere solet, circa diem scilicet x. Decembris, uti constabit in decursu hujus Animadversionis. Caussa itaque universalis duplicandæ Epochæ inesse videtur.

§. 5. Remanet ita quidem quandoq; confusio aliqua, aliquorum nempe mensium intra annum, adeo ut res, quas monumenta produnt, deputari aliquibus potius mensibus, quam aliis certo nequeant. At hæc ipsa confusio, quin etiam major habetur in aliorum sententiis. Quod si ad tollendas difficultates duplex principium statuere, idque a diversis etiam annis repetere, licitum sibi alii credunt, nec confusionem, quam duplex Epocha parit, morantur; multo magis permissum nobis credimus duplex illud principium excogitare, quod minoris temporis confusionem, adeoq; minorem difficultatem parit. Porro, qui nonnisi die anniversario susceptæ primum Tribuniciæ Potestatis hanc multiplicant, discrimen sæpius plurium mensium inferunt, quam ii, qui die anniversario simulque x. Decemb. eamdem iterant; adeoq; major oritur in illorum quam in horum sententia confusio. Præterea, quod gravissimum est, duplicis Epochæ a duplici susceptæ Tribuniciæ Potestatis principio deductæ nullum aliquando habetur in historia fundamentum; aut, si exstat, satis non est ad explicandam, quæ occurrit, difficultatem. Exempli gratia, unicum est imperii ac Tribuniciæ Potestatis Nervæ principium; & tamen numerus Tribuniciæ Potestatis major est ejusdem imperio. Duplex etiam principium imperii Galbæ ad explicandum secundum ejus annum non sufficit; si nempe anniversario tantum die Tribunicia Potestas, annique imperii multiplicentur. E contra, si præter diem anniversarium dies quoque x. Decemb. tam Nervæ Tribuniciæ Potestati, quam annis imperii Galbæ, sicque plurium aliorum Imperatorum iterandis adsignetur, majori Tribuniciæ

Minor confusio juxta Auctoris opinionem, quam juxta alias aliorum opiniones.

Duplex aliorum Epocha aliquando locum non habet.

bunicia

buniciæ Poteſtatis annorumque imperii numero hac ratione ſatis ſuperque fiet. Reliquis vero monumentis, quæ majorem hunc numerum non habent, immo minorem continent, explicandis anniverſaria iteratio ſufficiet, atque hoc modo ceſſabunt difficultates, minorque remanebit confuſio: nam, quemadmodum in hac opinione duplex principium intra unum eumdemque annum ſeſe continet, ita unum annum excedere confuſio non poteſt. At vero in aliorum ſententia, quia duplex hujuſmodi principium anno ſæpe diverſo ſtatuitur, major fere intercedit temporis inter utrumque differentia, adeoque major etiam oboritur confuſio.

§. 6. Ceterum non eſt hæc aut alia opinio, quæ confuſionem pariat, ſed res ipſæ ſunt in confuſo. Sunt itaque vetera ipſa monumenta, quæ confuſionem pariunt, egentque inluſtratione. Excogitatæ autem ſunt plures opiniones ad tenebras difficultateſque tollendas. Qua in re alter altero felicior exſtitit, ſeu minus infelix; nemo etenim hucuſque fuit, cui rem ipſam in aperto tutoque ponere contigerit. Id quidem plurimi tentarunt, ſed pro voto nemini hucuſque ceſſit. Nos etiam non parum laboris ad hoc inſumpſimus; at voti omnino compotes facti non ſumus. Res porro ipſa, quocumque vertatur, eo deducitur, ut aut erroribus ſcatere monumenta dicendum ſit; & hoc pacto, quidquid alicui opinioni contrarium occurrit, inter ipſos errores referendum: aut non facile admittendi in veteribus monumentis errores, ſed explanandæ, quæ reſtant, difficultates. Primum a vero recedere videtur; nedum enim omnis opinio, quæcumque illa ſit, ſed etiam quodcumq; commentum hoc modo defendi poterit. Alterum itaque, quod abſque dubio ad veritatem propius accedit, tenendum eſt, ita ut nonniſi coacti, reque ipſa exigente, errata & menda in hujuſmodi monumentis fateamur; quidquid vero excuſationem explicationemque admittit, has ei non negemus. In id autem præcipue laborandum eſt, ut penſatis omnibus eam ſeligamus opinionem, quæ minores numero ac pondere difficultates patitur, & has ipſas facilius ac melius explicat. Talis cuicumque docto, & a partibus alieno videri haud immerito poteſt, ac forte debet hæc ipſa præ ceteris opinio, quæ duplex ſtatuit multiplicandæ Tribuniciæ Poteſtatis principium, unum ſc. a die anniverſario ejuſdem primum ſuſceptæ, alterum a die x. Dec. quotannis repetendum: hoc enim modo omnes tolluntur difficultates,

Vetera ipſa monumenta ſunt in confuſo. Quænam vero regula in iis inluſtrandis tenenda.

Auctoris opinio præ ceteris confuſionem minuit.

ficultates, quadrantque omnia. Remanet quidem aliqua alicujus temporis confusio; at hujus caussa non est ipsa opinio, sed res ipsæ, quæ sunt in confuso: laudanda propterea ipsa opinio, quæ, etsi non omnem omnino tollit confusionem, eam tamen præ ceteris minuit.

Auctoris opinio auctoritate & ratione constat.

§. 7. Quod si cui auctoritate ac ratione destitui hæc opinio videtur; velim mecum is cogitet, id semper ratione constare, quod rebus congruit. Unde, quæ magis aptantur ipsis rebus opiniones, eæ magis ad rationem & veritatem accedunt. Nulla vero alia opinio magis aptatur rebus ipsis, quam hæc de duplici hujusmodi Epocha, adeoque rationi quoque magis consona videri debet. Quin nec auctoritate carere censenda est; sunt etenim nummi, qui simul duplicem Tribuniciæ Potestatis numerum exhibent. Exstat in Granelliano Cimelio (*a*) nummus subæratus Domitiani, hinc ejusdem capite & TR. P. IIII, inde Pallade & TR. POT. III. insignitus. Docet quidem Cl. Frœlich in eruditissimis ejusdem Cimelii inlustrationibus, iconium capitis ad aliud aversæ partis typarium pertinuisse, in quo nulla Tribuniciæ Potestatis mentio; ac nummum inter illos refert, qui vitiosa formarum combinatione laborant. At vero concessum nobis credimus, Monetarios hoc errore absolvere, & TR*ibuniciam* POT*estatem* IIII, quæ aliter numerantibus esset TR*ibunicia* POT*estas* III, interpretari. Neque enim solus occurrit hic nummus, qui duas Tribunicias Potestates repræsentet. Est etiam nummus M. Aurelii Cæsaris ab eruditiss. Spanhemio (*b*) relatus, in cujus aversa facie legitur: TRIB. POT. VII. TRIB. POT. VIII. Quæ inscriptio separari non potest, & ad duplex typarium referri. Heic quidem cum Spanhemio probabiliter dici posse arbitratur Frœlich (*c*), *nummum hunc eo tempore signatum esse, quo Aurelius expleta* TRIB. POT. VII. *eandem octavum sumeret*. Harduino autem, Viro & ipsi Eruditiss. (*d*) *gemina designari videtur Tribunicia Potestas, altera anno uno post priorem delata Aurelio Cæsari*. Priorem fuisse ei concessam subdit anno Christi CXLVII, in rebus civilibus exercendam; posteriorem, quæ potior, anno CXLVIII, in exercitibus. At duplicem hujusmodi Tribuniciam Potestatem in rebus civilibus & in exercitibus, quam Harduinus excogitavit, explodi ab aliis supra vidimus. Gratis quoque adseritur, nummum hunc eo tempore signatum esse, quo Aurelius expleta TRIB. POT. VII. eamdem *octavum* sumeret. Nummus

(a) Apud Frœlich Diss. de Num. vitiosi. cap. IV. pag. 392. Edit. Vien. 1737.

(b) To. II. p. 432. e Cimel. Chiffletiano.

(c) Loco citato.

(d) In Hist. Aug. ad an. Chr. 154.

mus autem duplicem conjungit Tribuniciam Poteſtatem; quod verum eſſe non poteſt, niſi utraque ſimul decurriſſet. Unica porro quum fuerit Tribunicia Poteſtas in Imperatoribus ac Cæſaribus, quod contra Harduinum cenſent omnes; duplex ejuſdem Poteſtatis numerus nonniſi ad duplicem ejuſdem numerandæ modum referri merito poſſe videtur. Scribit *Vir ſanguine juxta ac eruditione Clariſs.*, ut recte dicitur ab altero Viro Cl. Frœlich (*a*), *Scipio Maffejus* (*b*), in Muſeo Roteliniano ſe animadvertiſſe ipſum *M. Aurelium* TR. P. XXIIII. & in altera TR.P.XXIII. Qui nummus duplicem Tribuniciæ Poteſtatis Epocham confirmare videtur; ac cuſus dici poteſt, quo tempore alii TR*ibuniciam* P*oteſtatem* XXIIII. Marci numerabant, alii TR*ibuniciam* P*oteſtatem* XXIII. Sunt plures nummi Hadriani græce ſcripti, qui diverſos ejuſdem annos exhibent. Inter eos ſunt etiam ii duo ſupracitati cum duobus ſimul annis $\frac{SC}{AB}$, *hoc eſt*, inquit Harduinus, qui eoſdem refert in H. A., *primus & ſecundus Tribuniciæ Poteſtatis Senatuſconſulto acceptæ annus:* $\frac{SC}{E\varsigma}$, *hoc eſt quintus & ſextus Tribuniciæ Poteſtatis annus*. Notandum vero eſt, per aliquod tempus unum eumdemque numerum Tribuniciæ Poteſtatis duplici Epochæ congruiſſe; extremum etenim unius cum principio alterius concurrebat, ſimulque fluebat. Hinc occurrit (*c*) *Antoninus Aug. Pius* cum TR. P. XV, & rurſus in altera parte cum eadem TR. POT. XV. Cuſus nempe eſt nummus, quo tempore TR*ibunicia* P*oteſtas* juxta utramque Epocham XV. numerabatur.

(a) In calce cap. IV. cit. pag. 404.
(b) Epiſt. XXII. pag. 111. Gal. Ant.
(c) Apud Liebe in argent. Theſ. Frider.

Exemplis inluſtratur de duplici Epocha opinio.

§. 8. Exemplis res clarior fiet, ſimulq; confirmabitur. Celeberrima fuit Seleucidarum Epocha, a Seleuco Nicatore Alexandri M. in Syria ſucceſſore deducta. Hac præter alios multos uſi ſunt Scriptores Libri primi ac ſecundi Machabæorum, ita tamen, ut primi Auctor annos ejuſdem Epochæ a vere exordiatur, ſcilicet a menſe Niſan, a quo incipiebat legalis Hebræorum annus (*d*); ſecundi vero Auctor ab autumno juxta morem civilem communemq; Hebræis cum vicinis populis annos auſpicatur. Hinc aliqua habet poſteriori anno Auctor Libri primi, quæ ad annum anteriorem refert Auctor ſecundi. Itaque in primo mortuus dicitur Antiochus rex (*e*), Nobilis appellatus, ſive Inluſtris, qui & Deus Epiphanes, *anno centeſimo quadrageſimo nono*; eique ſucceſſiſſe Antiochus filius, Eupator nuncupatus. At in ſecundo (*f*) jam tum *anno centeſimo quadrageſimo octavo* regnaſſe dicitur Eupator. Hinc Judas obſediſſe

(d) Exod. c. XII. v. 2. & Levit. cap. XXIII. v. 5. ac Num. XXVIII. v. 16.
(e) Cap. VI. v. 16.
(f) Cap. XI. v. 21. & 31.

fediſſe eos, qui erant in arce Jeruſalem *anno centeſimo quinquageſimo* deſcribitur in primo (*a*); in ſecundo autem id refertur (*b*) *anno centeſimo quadrageſimo nono.* Deinde Demetrius Seleuci filius regnare cœpiſſe *anno centeſimo quinquageſimo primo* narratur ab Auctore Libri primi (*c*); ab illo autem ſecundi (*d*) *centeſimo quinquageſimo anno.* Quæ ita explicantur conciliunturq; a Viris doctis, ut idem ſit annus CXLVIII. Libri I. ac CXLVIII. Libri II, quo patri ſucceſſit Eupator; idemque ſit annus CL. ac CXLVIIII. belli Judæ; tum CLI. ac CL, quo regnum adſumpſit Demetrius. Hæc enim omnia poſt menſem Niſan accidiſſe obſervant, quando novum annum auſpicatus jam fuerat Auctor Libri I; Auctor vero ſecundi poſteriores ſex menſes anterioris anni adhuc numerabat. Qua de re nulla in ipſis Auctoribus ineſt confuſio: ſed tantum ea inter utrumque differentia intereſt, quod Auctor Libri *primi* ſex menſibus anticipat Seleucidarum æram, Auctor vero *ſecundi* juxta communiorem uſum, qui poſterior erat ſex menſibus, eamdem uſurpat. Id autem fieri ab Auctore Libri I. non potuit, niſi priores ſex ejuſdem æræ menſes, quibus ea uti cœpit, pro anno, licet incompleto, ſupputando: quod in rem noſtram omnino quadrat. In ea enim duplex pariter computus habetur, alter a die anniverſario ſuſceptæ primum Tribuniciæ Poteſtatis, alter a die x. Decemb., quando novi Tribuni Plebis Magiſtratum adibant. Qui porro Tribuniciam Imperatorum Poteſtatem die anniverſario multiplicarunt, idem feciſſe dici poſſunt, quod Auctor Libri II. Machabæorum, qui die anniverſario cœptæ primum æræ Græcorum eamdem iteravit. Qui vero die x. Decemb. cum novo Tribunorum Plebis Magiſtratu Tribuniciam Imperatorum Poteſtatem quotannis multiplicarunt, id uſurparunt, quod Auctor Libri I. Machabæorum, qui tempus anniverſarium inductæ primum æræ anticipavit, ſexque priores menſes pro anno habuit. Nam &, qui Tribuniciam Poteſtatem cum Tribunis Plebis repetierunt, tempus, quod præceſſit, etſi paucorum menſium, aut etiam dierum, pro anno computarunt. Qua in re, quemadmodum in illa Machabæorum nulla ineſſe videtur confuſio, ſed ſola ſupputandi differentia. Hæc autem differentia haud integrum annum complectitur; verum, ſicuti numerus annorum æræ Græcorum ſex menſibus idem erat, ſex vero aliis erat diverſus, ita numerus Tribuniciæ Poteſtatis per aliquod tempus idem & unus

(a) Cap. VI. v. 20.
(b) Cap. XIII. v. 1.
(c) Cap. VII. v. 1.
(d) Cap. XIV. v. 4.

unus erat, per aliud vero diſcordabat, alterque eorum unitate ab altero ſuperabatur.

§. 9. Apud ipſos igitur Hebræos duplex erat annum computandi modus, alter nempe ſacer, a Deo, ut innuimus, præſcriptus, alter civilis; ſexque menſibus alter ab altero differebat: ac Scriptorum aliqui uno, alio alii, ut modo vidimus, ac multo magis apud eos, qui de rebus Hebræorum tractant, videri poteſt, utebantur. Apud alios quoque populos id fere accidebat. Ipſi Romani, ne longius vagemur, duplicem paſſim adhibebant annum, alterum ab Urbe condita, dieque XI. Kalen. Maji, ſeu ex Parilibus deductum, alterum per Conſules, a Kal. Januariis ſub Auguſtis dinumeratum. Alias præterea anni formas inducere aliquando voluerunt in gratiam honoremq; Imperatorum, quamvis uſum eæ non obtinuerint. Decreviſſe legimus (*a*) Senatum, *ut dies, quo capta fuit* ab Auguſto *Alexandria, feſtus eſſet*, καὶ ἐς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι, *ab eoque reliquis deinceps annis numerandis initium ſumeretur*: hoc tamen admiſiſſe non videtur Auguſtus; quippe non occurrit uſurpatum; ſed paſſim adhibita cernitur etiam poſt ipſum forma annorum a Roma condita ex Parilibus, tum eorum annorum, *quibus Julianis nomen eſt* (*b*), *ſed ex die Kal. Januar.*, *unde Julius Cæſar anni a ſe conſtituti fecit principium*. Teſte autem Suetonio (*c*), *quædam Italiæ civitates diem, quo primum ad ſe veniſſet* Auguſtus, *initium anni fecerunt*. Ac fere in omni omnium gentium chronologia diverſitas occurrit annorum, adeo ut in ipſis enucleandis atque diſponendis inſudarint, inſudentque ſumma ingenia. Quod inde provenit, quia alii alia ſupputandi temporis ratione ſæpe uſi ſunt. Celebris fuit, eſtque adhuc Indictionum computus; at tam varii exſtiterunt ejuſdem cardines, ut, niſi hos quis noverit, magnam inde ſentiat confuſionem, neceſſe ſit. Alicubi etenim a die XXIV. Septembris, alibi a Kalendis ejuſdem menſis, alii a die XXV. Decembris Natali Chriſti ſacra, alii a Kalendis Januariis, vel a XXV. Martii, vel denique a Paſchate ſumpſerunt ipſarum Indictionum exordium. Nec unum adhuc eſt apud omnes anni civilis initium; Kalendis quidem Januariis novus annus fere aperitur; at non deſunt, quin multi ſunt præſertim in publicis actis, qui die XXV. Martii eumdem exordiuntur. Et, quod maxime notandum, in una eademque civitate & loco idipſum evenit, adeo ut ad diſcutiendas, quas diverſus hujuſmodi computus adfert,

Multiplex annorum Indictionumque principium.

(a) Dio Caſs. Lib. LI. pag. 457. A.

(b) Cenſorin. de Die Nat. cap. 8. Edit. Aldi ann. 1581.

(c) In Vit. Aug. cap. 59.

tenebras, cognitione ac diligentia opus ſit: quin ipſa diligentia ſatis aliquando non eſt. Paſſim itaque in antiquis monumentis, ac non raro in poſterioribus, quin etiam in iis, quæ nos propius reſpiciunt, aut reapſe tangunt, diverſæ annorum formæ occurrunt, ita ut confuſionem difficultateſque pariant, ac ſæpe in his diſcutiendis Viri etiam docti in aqua hæreant.

Duplex numerandæ Trib. Pot. Epocha, die ſcil. anniverſario, decimoq; Dec. vero ſimilis atque probabilis.

§. 10. Quapropter a vero non abhorret, quin veroſimile eſt, duplici numerandæ Tribuniciæ Poteſtatis forma uſos eſſe etiam antiquos; id enim ſuadent, ac fere perſuadent ipſa monumenta; nullo quippe alio modo conciliari explicarique melius poſſe videntur. Quo fit, ut, etiamſi tantam veri ſpeciem duplex hæc forma non haberet, admitti tamen ea ſola ratione adhuc poſſet, quod antiquis monumentis omnibus aptatur præ ceteris formis, difficultateſq; tollit omnes. Quod ſi non omnem, plurimam tamen adfert lucem, ac ſane majorem, quam ullus alius modus hucuſq; excogitatus pariat. Nec vero magna, aut magni æſtimanda, remanet tali pacto confuſio; nam ſunt plures Tribuniciæ Poteſtatis numeri, qui, qua ratione, una ſcil. potius quam alia ſupputari debeant, ſe ipſis produnt; ita enim uni aptantur, ut cum altera conciliari nequeant. Reſtant quidem alii, qui utraque ratione ſumi poſſunt; at hi aliis aliorum monumentorum Scriptorumque rationibus inluſtrari, & ad ſuam claſſem redigi debent. Quod ſi hæc deſint, integrum erit unicuique, una aut altera ratione numeros eoſdem ſumere: qua ex re nullum timendum erit incommodum; ſi enim hoc demum ex una naſcetur, ejuſdem declinandi modum ſuggeret alia ratio. Quæ, quum ita ſint, non intelligo, cur tantum a duplici hujuſmodi Epocha abhorrere ac timere debeamus. Nulla certe alia opinio melius occurrit difficultatibus, nullaq; nummis & inſcriptionibus reliquiſve monumentis melius aptatur. Remanet quidem, ut diximus, aliquando dubium, utrum potius juxta unam, an vero juxta aliam Epocham monumenta aliqua ſumi debeant. Sed hoc non officit; nam tunc hiſtoriæ aptari ipſa monumenta debent; aut, ſi hiſtoria deeſt, accipi pro libito poſſunt, prout ratio melior poſtulat. Sunt alia quoque, & quidem plurima in quacumque opinione monumenta, quæ pariter incerta manent, quæque proinde hiſtoria aut ratione duce in claſſem & ordinem rediguntur.

§. 11. Adeat benignus Lector numerum XXXI. & XXXIIII. hujus Animadverſionis, & obſervet nummos Viminacii & Daciæ.

ciæ. Notet vero in primis confuſionem, quam ipſi pariunt, eamq; nonniſi duplici poſita Epocha tolli, mecum, velim, conſideret & agnoſcat. Neceſſariam porro duplicem hujuſmodi Epocham, facile ſibi perſuaſurum credo; ſimulque intelliget per eam non omnem adhuc tolli confuſionem; aliqui quippe reſtant nummi, qui utrique Epochæ accomodantur, neq; conſtat, utrum potius juxta unam, an juxta aliam ſumi debeant. Attamen animadvertere poterit, hanc confuſionem nullius eſſe momenti, nullumque adferre incommodum; aut enim hujuſmodi nummos determinat hiſtoria, & hoc pacto vagi eſſe ii deſinunt; aut cujuſque arbitrio abſque ullo incommodo hiſtoria ipſa eoſdem relinquit. Quod omnino in caſu noſtro accidit. Sunt etiam nummi, qui Antiochiæ eſſe dicuntur, Tiberio cuſi, quique annum hujus Imperatoris A. *primum* conjungunt cum annis Antiochenſium ΓM. ΔM. & EM, hoc eſt XLIII, XLIV. & XLV. Hi porro anni, ſive Tiberii ſive Antiochenſium, niſi a diverſo principio, diverſoque anno repetiti eſſent, copulari non potuiſſent. Ita etiam annos PZE, PΞΘ, h.e. CLXV. & CLXIX. propriæ æræ Urbs Amiſus aptare Ælio Cæſari non potuiſſet, niſi duplex principium hæc æra habuiſſet; nam Ælius toto hoc tempore, quod alias repræſentant hi nummi, Cæſar non fuit.

§. 12. Antequam calamum ad aliud convertam, opportunum exiſtimo, frequentiam diverſarum Epocharum in nummis etiam Ægyptiis ſeu Alexandrinis notare: quod eo magis in rem noſtram conducet, quia annorum numeri in his nummis cum numeris Tibuniciæ Poteſtatis Latinorum numiſmatum ſæpius concordant. Ne vero nimius ſim, aliquot tantum exempla ſeligam. Occurrit *M. Aurelius* Cæſar, nondum Auguſtus, nudo ac juvenili capite cum diverſis annis, a primo nempe uſque ad L. IΔ (*a*), *annum* XIIII, eo ſcilicet tempore, quo regnabat Antoninus Pius. Hoc autem mortuo, cognomen ac dignitatem *Auguſti* ſuſcepit Marcus; ac rurſus comparet in nummis (*b*) cum *anno* II. III. IIII. ceteriſque ſequentibus. Habet vero etiam annos XXII., XXX. (*c*), & XXXII. (*d*), immo & XXXIIII (*e*). Αὐτὸς ἐννέα καὶ δέκα ἔτη, καὶ ἕνδεκα ἡμέρας αὐταρχήσας (*f*): *Ipſe regnavit annos decem ac novem, & dies undecim*: τῷ τε πατρὶ πρὶν Ἀντωνίνῳ συχνὸν χρόνον ὑπάρξας (*g*): *ſub Antonino autem patre diu ſocius principatus fuit*. Hinc modo ſuum, modo Antonini principatum notavit in nummis; quibus propterea

Multiplex etiam in nummis Aegyptiis Epocha.

(a) Muſ. Theup. pag. 1151.

(b) Ibidem pag. ſeqq. & in Muſ. Arigon.

(c) Muſ. Theup. pag. 1155.

(d) Muſ. Arigon. Num. 242. Nummor. Alexandr.

(e) Apud Goltz. pag. 78. D.

(f) Xiphilin. ex Dion. Lib. LXXI pag. 815. C.

(g) Id. ibid.

in interpretandis diſcretione opus eſt, quæ tamen aliquando locum non habet, adeoque incertum remanet, quinam anni deſignentur. In nummis Fauſtinæ Uxoris ipſius Marci legitur L. IΘ (*a*), *annus* XIX. Atque *hi nummi*, ſiquidem Harduinum (*b*) audimus, *fabulas Capitolini refellunt de morte Fauſtinæ: ubi, quot verba, tot*, inquit, *mendacia ſunt*. At vero habemus in aliis ejuſdem Auguſtæ nummis etiam L. K., L. KB. (*c*), *annum* XX. & XXII. Paullo poſt Caſſii mortem, quæ anno circiter XV. imperii Marci contigit, *Fauſtinam uxorem ſuam - exanimatam ſubito morbo amiſit* ex Capitolino (*d*) Marcus; qua in re concordat etiam Xiphilinus (*e*) cum Dione; idque alii admittunt, quidquid ſcribat Harduinus. Hujuſmodi porro anni ab eo tempore numerantur, quo Marcus *Fauſtinam duxit uxorem*, *& ſuſcepta filia*, *Tribunicia Poteſtate donatus eſt*, (*f*) *atque imperio extra Urbem Proconſulari*, *addito jure quintæ relationis:* quod nos factum credimus (*g*) circa principium anni U. C. DCCCC. (*h*). Anni vero, qui in ejuſdem Fauſtinæ nummis infra numerum XV. conſpiciuntur, paſſim ſumuntur de annis imperii Marci poſt mortem Antonini; attamen etiam a priori Epocha numerari poſſunt; atque adeo, utrum potius ab una, an ab alia computari certo debeant, minime compertum eſt. Anno U.C. DCCCCXIIII. (*i*), mortuo die ſeptima Martii Antonino Pio, Marcus Tribuniciam Poteſtatem & imperium L. Vero communicavit (*k*). Obiit vero Lucius anno poſt decimo; & tamen habet in nummis *annum* XIX. (*l*), immo & L. Λ.... (*m*), *triceſimum*, ac fortaſſis majorem. Annus porro XIX. nonniſi ad imperium Marci referri poteſt; & *triceſimus* nonniſi ad adoptionem Ælii Patris ab Hadriano factam anno U. C. DCCCLXXXIX (*n*). Reliqua Lucii numiſmata, quæ annos infra X. exhibent, de imperio ejuſdem intelliguntur: ac proinde triplex in eo Epocha habetur. Lucilla Marci filia & Veri Uxor, quouſque in imperio & in vivis degit maritus, hujus annos prætuliſſe in nummis creditur. At vero nota anni ΔΩΔΕΚΑΤΟΥ (*o*), *duodecimi* nonniſi ad patris imperium referri poteſt. Commodus Lucillæ frater exhibet in nummis L. ΛΒ. (*p*), L. ΛΓ (*q*), *annos* XXXII. & XXXIII. *Appellatus* (*r*) *eſt Imperator* V. *Kalendas Exſuperatorias Pollione iterum & Apro Coſs.*, anno U. C. DCCCCXXIX. (*s*); occiſus autem eſt (*t*) nocte, quæ Kalendas Jan. præceſſit anni U. C. DCCCCXLVI: atque adeo annus XXXIII. de ejuſdem imperio explicari

(a) In Theſ. Mauroc. pag. 125. & apud Foucault.
(b) In Hiſt. Aug. ad an. Chr. 179.
(c) In Muſ. Theup pag. 1157. & apud Hardu. in H. Aug. ad an. Chr. 182.
(d) In Vita M. cap. 26.
(e) Lib. LXXI. pag. 813.
(f) Capit. in M. cap. 6.
(g) Vid. num. XXIIII. hujus Animadv.
(h) Chr. 147.
(i) Chr. 161.
(k) Vid. numer. XXIIII. hujus Animadv.
(l) Jobert. in Scient. Numm. n. XVII. nov. Notit. circa hiſtor.
(m) Muſ. Theup. pag. 1160.
(n) Chr. 136.
(o) Muſ. Theup. pag. 1160.
(p) Ibidem pag. 1164. & Muſ. Arigon. Tab. XVI. num. Alex.
(q) Muſ. Arigon. ibid.
(r) Lamprid. in Vita cap. 12.
(ſ) Chr. 176.
(t) Vid. num. XXVI. hujus Animadv.

plicari non poteſt. Sed neque ad tempus vitæ referri poteſt : ἐβίω δὲ ἔτη τριάκοντα ἕν, καὶ μῆνας τέσσαρας (*a*): nam *vixit annos* XXXI. *& menſes quatuor*. Hinc creditum eſt, annos paterni imperii eiſdem notis deſignari; quod nummis ipſis infra adducendis (*b*) comprobatur. Sunt tamen alia Commodi numiſmata, quæ numerum annorum infra decimum quartum præferunt; eaque de annis imperii ipſius Commodi accipiuntur. Criſpina quoque Uxor, modo Commodi, modo Marci patris annos exhibet. Itaque L. A. (*c*), *annus primus* ad maritum refertur; *annus* autem L. KA (*d*), *viceſimus primus* ad Marcum. Atque hæc ſunt exempla unius familiæ Aureliæ; quibus ſimilia habentur in aliis familiis. Sunt etiam aliquot nummi, qui L. abſque nota numerali ullius anni habent; atq; hi a nonnullis Antiquariis (*e*) creduntur percuſſi ſtatim initio imperii eorum, quorum ſunt, quum adhuc neſciretur, utrum a ſuſcepto imperio, an a proximo anno novo ſuos annos numerari vellent novi Imperatores. Multiplices porro annorum computandorum hujuſmodi modi probabilem reddunt duplicem illam, quam ſuademus, numerandæ Tribuniciæ Poteſtatis Epocham.

(a) Xiphil. ex Dio. Lib. LXXII. pag. 828. C.

(b) Num. XXV. hujus Animadv.

(c) Theſ. Mauroc. pag. 127

(d) Muſ. Theup. pag. 1164.

(e) Harduin. in Hiſt. Aug. ad an. Chriſt. 55. 81. & 271. Jobert. in Scient. Numm. n. XIV. Nov. Notit. circa Hiſtor.

Inter opiniones, quæ unicam renovandæ Trib. Pot. Epocham admittunt, ea probabilior, quæ die X. Dec. ipſam Tr. Pot. multiplicat.

§. 13. Si quis tamen his omnibus perſuaſus nondum ſit, duplicemque Epocham admittere adhuc recuſet, nec niſi unicam velit; a me vero petat, quænam ex laudatis ſuperius opinionibus probabilior mihi videatur, & in quam potius inclíner, reſpondeo opinionem, quæ Tribuniciam Poteſtatem die x. Dec., quocumque alio intra annum die ſumpta primum ſit, quotannis renovat, mihi magis probabilem videri; quæ opinio, ut diximus, Toinardo tribuitur; quamvis eam ipſe uti ſuam minime agnoverit. Omnis etenim difficultas, quæ hanc adficit, eo, ut monuimus, tendit, quod Tribunicia Poteſtas hoc modo numerata aliquando non adtingat eos Conſulatus, cum quibus tamen in nummis & inſcriptionibus copulata non raro occurrit. Obſervare igitur eſt, omnia, quæ Viri Cl. præcipuique adverſarii Pagius ac Valſechius contra Toinardum adferunt, huc redire, quod, ſi vera eſſet hujuſmodi opinio, in variis nummis alius addendus eſſet annus Tribuniciæ Poteſtatis. Ex. gr., laudat teſte Valſechio Pagius (*f*) e Mediobarbo duos Neronis nummos, in quibus is dicitur TR. P. III. COS. II; qui tamen anno Chriſti LVII. (*g*), quo ſecundum Conſulatum geſſit, TR. P. IIII. COS. II. diceretur, ſi menſe Decembri anni LIV. (*h*) ſecundam Tribuniciam Poteſtatem

Unica ſeu unius tantum generis difficultas, quæ Toinardi opinionem impetit.

(f) Vid. ſupra pag. 23.

(g) U. C. 810.

(h) U. C. 807.

testatem auspicatus esset: mense enim Octobris illius anni Claudio successerat. Hujusmodi vero sunt & reliqui nummi, quos objiciunt. Nec vero multi sunt numero, nam præter duos laudatos alium ejusdem Neronis describit Valsechius: hinc notat Pagius unum Domitiani, cui quidem sex alios addit Valsechius: demum citat Pagius nummos Severi Alexandri, in quibus apud Mediobarbum dicitur TR. P. IIII. COS. II, qui, quum anno Christi CCXXII. (a) mense Martio regnare cœperit, annoque CCXXVI. secundum Consulatum capessierit, prius, inquit (b), Tribuniciam Potestatem V., quam Consulatum II. suscepisset, si IIII. Idus Decembris eam exorsus esset. Aliquot alios hujus generis aliorum Imperatorum nummos aliaque monumenta suo quæque loco in hac ipsa Animadversione nos adnotamus. At hæc difficultas non tantum Toinardum, sed ipsos etiam Pagium ac Valsechium omnesq; alios, non quidem laudatis monumentis, sed aliis, eodem tamen modo impetit. Sunt igitur nummi & inscriptiones, in quibus ea Tribunicia Potestas iiq; Consulatus copulantur, qui tamen simul non decurrerunt; etenim Tribunicia Potestas juxta illorum sententiam numerata eosdem Consulatus aliquando superat, sæpius vero minor est, quam ut eos adsequatur. Dicitur, prioris exempli gratia, Trajanus TR. P. VII. COS. IIII. DES. V. Quod si *Trib. Pot.* VII. annuatim a die XXVIII. Octobris, quo primum eam accepisse creditur, numeretur, superabit *Consulatum* V. *designatum*; nam hic cessavit Kalendis Jan. anni U. C. DCCCLVI., *Tribunicia* vero *Potestas* VII. initium habuisset nonnisi die XXVIII. Octobris hujus anni. Posterioris classis aliquot exempla producit Pagius (c), unum nempe Claudii, alterum Neronis, duo Commodi, unum Vespasiani, unumque Aureliani. Præter nummos vero & inscriptiones, Scriptores etiam hujus rei testes adhibet (d), Plinium scilicet, Suetonium, & Capitolinum. His omnibus tres apud Occonem (e) Commodi nummos addit Valsechius (f), ac citat etiam nummum Elagabali contra se a Clar. Vignolio adductum. Nos autem nummos & inscriptiones adjungimus Othonis, Vespasiani, Domitiani, Trajani, Antonini Pii, Aurelii, utriusq; Philippi, atq; Gallieni. In his porro monumentis idipsum observatur, quod in superioribus contra Toinardum adductis notatum est, nempe minorem esse Tribuniciam Potestatem Consulatibus, cum quibus copulatur, ita ut ipsa Tribunicia Potestas, etiamsi annuatim a die, quo primum sumpta fuit,

Eadem difficultas, quæ Toinardum, reliquas etiam sententias impetit.

(a) U. C. 975.

(b) In Critic. ad ann. Chr. 103., nu. VI.

(c) Part. I. cap. I. Diss. Hypat.

(d) Cap. 2. & 3.

(e) Pag. 312.

(f) Diss. de init. Sev. Al. cap. ult.

fuit, numeretur, adhuc tamen ad eum Consulatum, cum quo juncta est, nullatenus pertingat. Non igitur solam Toinardi opinionem, sed omnes omnium sententias hæc ipsa difficultas adficit. Porro est concors, & recta sententia, ex paucis, quæ difficultatem pariunt, monumentis reliqua, quum multo plura sunt, in periculum adduci non debere; verum hæc esse tenenda; quin nec ea pauca illico abjicienda, sed explicanda; si quidem fieri potest. Explicationem ergo suggerit ipse Pagius, utpote qui Consulatus hujusmodi, non jam initos, sed ineundos, idest designatos interpretatur. Ante enim, quam Consulatum aliquis iniret, ad eum designabatur; atque hic mos tum stante tum sublata Rep. servatus est. Designabatur autem aliquot fere, antequam iniret, mensibus; quin aliquot etiam aliquando ante annis factum id occurrit, ut videre est suo loco (*a*). *Venio*, inquit itaque Pagius (*b*), *ad arcem causæ, ostendoque Cæsares & Augustos Consules designatos, Consules absolute quandoque appellari, quod non tantum ex inscriptionibus ac nummis, sed etiam ex historiæ Augustæ Scriptoribus eruo, ne tanti momenti res diutius in tenebris jaceat*. Idque memoratis modo testimoniis probare conatur. Hinc alio loco scribit (*c*): *Alibi autem ostendimus*, Consulatus designatos *Cæsarum vel Augustorum in nummis & inscriptionibus non raro absolute & sine designatione memorari*; *quod in variis Commodi nummis observare licet:* quos quidem describit, & juxta hanc distinctionem explicat. Hac in sententia Pagio Dodwellus (*d*) aliique adsentiuntur: inter quos tempore, non eruditione postremus Cl. Geor. Grævius (*e*): nec ab ea dissentit Doct. Valsechius (*f*); quin eam proponit Viro Clar. Vignolio ad explicandum nummum Elagabali, quem sibi objicit, cum epigraphe P. M. TR. P. II. COS. III. De quo numismate nos infra agemus num. XXIIX. sub finem. Elagabalus Consulatum III. suscepit Kal. Januariis anni Chr. CCXX. (*g*), quo tempore, si suæ Tribuniciæ Potestatis initium sumpsisset a mense Aprili anni CCXVII, ut contendit Valsechius, Tribuniciam Potestatem III. numerare debuisset. Fatetur ipse Valsechius (*h*), nummum hunc, si vera illa inscriptio, suum plane systema evertere. Eamdem difficultatem in nummis quoque Commodi inesse monstrat. Nec vero aliud reponit, nisi duplicem Tribuniciæ Potestatis Epocham, aut Consulatus designatos absolute positos. Tillemontius (*i*), quum Pagii opinio tenebras potius, quam lucem historiæ adferre ei videretur,

Consules designati aliquando Consules absolute dicti.

(a) In Animadv. de Conf. n. VII.

(b) In Diss. Hyp. Part. I. cap. I. nu. IV.

(c) In Crit. ad an. Chr. 175. nu. V.

(d) Diss. Cyprian. Append. 47.

(e) Exer. de num. Tr. Pot. Obs. XI. pag. 38.

(f) De init. Sev. Al. cap. ult.

(g) U. C. 973.

(h) In Diss. de Elagab. Trib. Pot. V. cap. VII. pag. 112.

(i) Not. I. in Claudium Imp.

quoties

quoties Consules designati tantum, absolute Consules vocantur, erratum esse potius credit. At, si quid ego judico, melior habenda est de tacita Consulum designatione, quam de inscriptionum erroribus sententia. Quippe ea, quæ de tacita designatione dicuntur, ratione & exemplis haud parum suadentur; errores vero in nummis & inscriptionibus inesse, nonnisi coacti fateri debemus. Quoties itaque error manifestus apparet, nullamq; aliam verba admittunt interpretationem, cedendum est, & facile quidem veritati. At vero, quoties error nullus manifestus apparet, & interpretationem aliquam, eamque ratione & exemplis satis innixam verba admittunt, erroris dica numquam impingenda; ni plurimis antiquitatis monumentis in suspicionem adducendis fieri velit aditus. Procul itaque a nobis hujusmodi Canon, quo admisso facilius erit quamcumque, etiam minus recte conceptam opinionem tueri. His aliisq; rationibus adducti Consulatus designatos, absolute tamen positos nos admisimus (*a*). In quam rem addimus inscriptionem apud Gruterum pag. CLXIV. n. I., ubi Vespasianus dicitur TRIB. POT. VIII. COS. VIIII, qui Consulatus nonnisi designatus accipi potest; etenim Kal. Januariis anni U. C. DCCCXXXII (*b*), quibus Consulatum VIIII. iniit, jam TRIB*uniciam* POT*estatem* X. auspicatus erat Vespasianus. Clar. vero, nec sine laude nominandus Scipio Maffejus tum pro sua humanitate tum etiam pro ea, quæ inter nos intercedit, amicitia, facile permittet, ut antiquum procul dubio nummum Nervæ, quem in Domini Cleves Scrinio observavit (*c*), in anteriori parte inscriptum COS. II., in posteriori COS. III., & alium Trajani in Museo Rotelinano inscriptum COS. VI., & in parte aversa COS. V., de *Consulatu* III. Nervæ, & VI. Trajani designatis, absolute tamen positis interpretemur. Quum toties laudatus Pagius Philippi Jun. nummum produxisset ad ann. Chr. CCXLIX. cum hac aversæ partis epigraphe PONTIFEX MAX. TR. P. V. COS. III., & ipsam hujus nummi aversam partem ex Patris nummo mutuatam cum Mediobarbo censuisset, Cl. Frœlich non adsentit (*d*), sed eam Filio ipsi adjudicat. Itaque CO*n*S*ulatus* III. designatus tantum esse debet; eum etenim non iniit Philippus junior. Est etiam in Cimelio Conlegii Parisiensis Ludovici Magni, referente Harduino (*e*) & Pagio (*f*) nummus Philippi Patris cum epigraphe ΑΤΤΟΚΡΑ. Μ. ΙΟΤΛ. ΦΙΛΙΠΠΟϹ ϹΕΒ., id est, *Imperator M. Julius Philippus Aug.*)(ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΤϹΙΑϹ ΤΠΑΤΟ. Δ. ANTIO-

(a) Animadv. VI. de Cens. nu. IX.

(b) Chr. 79.

(c) Galliæ Antiquit. Epistol. 22. Apostol. Zeno inscripta pag. 111.

(d) Diss. de Numis, Monetariorum veterum culpa, vitiosis cap. 7.

(e) In num. Popul. pag. 55.

(f) In Crit. ad eumd. ann. Chr. 249. nu. II.

ANTIOKIA S.C. *Tribuniciæ Poteſtatis Conſul* IIII. In poſtrema, Amſtelod. ſc. Harduini Editione anni MDCCIX. idem nummus omittitur; & Pagius ſcribit, eam litteram Δ ad Conſulatum proxime delineatum non referri, ſed aliam ſignificationem habere, ſibi aliiſque, quos conſuluit, ignotam. Uterq; enim Vir Clar. animadvertit, *Conſulem* IIII. minime proceſſiſſe Philippum. At, quum nummus integer, & optimæ fidei ſit, & inſcriptio in nullo vitiata, teſtante eodem Pagio, idemque nummus etiam in Muſeo Arigonio exſtet (*a*), ſuus eidem ſervatur honor, ſi *Conſulatus* IV. deſignatus intelligatur. Nec vero dubitare licet de littera Δ, utrum ad Conſulatum proxime delineatum pertineat, necne; etenim pertinere certum reddunt alii ejuſdem Antiochiæ nummi eidem Philippo cuſi & inſcripti, ipſo teſte & explicante Harduino (*b*), ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥCΙΑC. ΥΠΑΤΟ. Β. ANTIOKIA S.C. *Tribuniciæ Poteſtatis Conſul iterum*; in aliis ΥΠΑΤ. Γ. *Conſul tertium*. Quæ quum ita ſe habeant, permiſſum nobis credimus, eos Conſulatus, qui Tribuniciam Poteſtatem, cum qua juncti ſunt, parum excedunt & ſuperant, de Conſulatibus deſignatis explicare. Jo: Georgius Græviús Vir Cl., & in hac de Tribunicia Poteſtate controverſia exercitatiſſimus, præter quam quod Pagii ſententiam de Conſulatibus deſignatis, tacita tamen deſignatione non raro memoratis, ut innuimus, laudat, docet quoque (*c*) Henricum Noriſium (*d*) luculentis exemplis oſtendere, in nummis antiquis quadrigas triumphales non ſemel ſignificare triumphos non eo tempore, quod Tribuniciæ Poteſtatis & Conſulatus numeri denotarent, ab Auguſtis Romæ jam actos; ſed tantum eiſdem a Senatu tunc decretos. Eodem modo & Conſulatus tantum decretos, non jam actos, aut adſumptos numeri eiſdem Conſulatibus adjuncti denotare aliquando poterunt.

(a) Tab. VI. Coloniar. num. 166.

(b) In num. Pop.

(c) Exerc. de nu. Tribun. Pot. Obſerv. XIII. p. 45.

(d) In Differt. de numiſm. Diocletiani cap. IV.

§. 14. Aliam quoq; reſponſionem, quæ propoſitæ difficultati reponi forte poteſt, in medium afferre liceat. Dici itaq; poteſt, Conſularem Poteſtatem ſeu Imperium Conſulare, quo præditi erant Imperatores, eoque, ſi non ante, ſaltem quum ſummum eis deferebatur imperium, ornabantur, aliquando in numerum Conſulatuum veniſſe. Conſularis hæc poteſtas, decreta primum Auguſto, ad omnes ſucceſſores dimanavit: qui propterea τά τε ἄλλα ὅσα τοῖς τε Ὑπάτοις — ποτὲ ποιεῖν ἐξῆν, λαμβάνουσιν (*e*), *omnia, quæ Conſulibus facere licebat, agendi jus habebant*. Anno U. C. DCCXXXV. Conſul fuit C. Sentius Satur-

(e) Dio Caſſ. Lib. LIII. pag. 508. B.

ninus, cui quum conlega eſſet dandus, Conſulatum Auguſto abſenti reſervaverant; at is non recepit, ſed Q. Lucretium deſignavit Conſulem, Romamque contendit: καὶ τὴν ἐξουσίαν τῶν Ὑπάτων διὰ βίου ἔλαβεν (*a*), *& Conſularem poteſtatem per omnem vitam accepit:* quod in Succeſſoribus continuatum eſt. Diſtinguendum porro quam maxime eſt inter Conſularem poteſtatem & Conſularia ornamenta; hæc enim erant pura honoris ſigna, & privatis concedebantur; Poteſtas vero Conſularis omnia, quæ Conſulibus facere licebat, agendi jus tribuebat, nec niſi Imperatoribus aut deſtinatis imperii ſociis vel heredibus conferebatur. Ornamenta Conſularia ipſe Auguſtus adhuc juvenis conſecutus erat. Quum vero in locum Panſæ & Hirtii, qui in bello perierant, Conſul cum Q. Pedio die IX. menſis ſextilis U. C. DCCXI. Conſul ſuffectus eſſet, οὐ μέντοι ὡς καὶ δεύτερον ὑπατεύων, ὅτι ταῖς τιμαῖς ταῖς ὑπατικαῖς ἐκεκόσμητο, ἐσεμνύνατο, κ. λ. (*b*), *etſi jam ante Conſularibus ornamentis decoratus fuerat, non tamen hunc ſuum Conſulatum, ſecundum nuncupavit*; idque in ſimili re ab omnibus deinceps uſque ad ſua tempora obſervatum fuiſſe, teſtatur Dio, qui imperante Sev. Alexandro ſcribebat. *Primum enim omnium fuiſſe* ſubdit *Severum Imperatorem, qui, quum Plautiano honores Conſulares tribuiſſet, eumq; deinde in Senatum adſcriptum Conſulem faceret, iterum Conſulem eſſe dixit, idque exemplum alios deinde ſecutos eſſe* adfirmat hiſtoricus. Sola itaq; Conſularia ornamenta aliquando effecerunt, ut, qui ea conſecutus erat, ſi poſtea Conſulatum acciperet, Conſul *iterum* diceretur. Quanto igitur magis Conſularis poteſtas ſeu imperium id efficere potuit? Ipſe Auguſtus *in numerum* (*c*) *Conſularium duos ex Senatoribus retulit, C. Cluvium* (*d*) *& C. Furnium; quod Conſules deſignati, eum Magiſtratum ab aliis præventi non geſſiſſent.* Multo magis in numerum Conſularium, hoc eſt, eorum, qui Conſules fuerant, referri merebantur, qui Conſulare imperium obtinuerant, atque adminiſtrabant. Id autem manifeſtius inde fit, quod ex imperio ſeu Poteſtate Proconſulari *Proconſules* Viri Principes audiebant & erant. Unde, qui imperio ſeu poteſtate Conſulari potiebantur, ſimili ratione eodemque jure dici poterant Conſules. Hoc tamen paſſim non fiebat, ſed ſæpius nonniſi, poſtquam Conſulatum accepiſſent, nominabantur Conſules: at vero poterant etiam antea. Sane Conſulatus ipſos nomine tenus ſumebant atque gerebant Imperatores; quum Conſulari poteſtate præditi ſemper eſſent; eaque

(a) Id. Lib. LIV. pag. 527. E.

(b) Idem Libro XLVI. pag. 321. A.

(c) Id. Dio Lib. LII. pag. 494. C.

(d) Al. *Clauvium*

que pro libito uterentur. Fieri igitur potuit, ut, quemadmodum ex eo, quod ſummo imperio potiebantur, Imperatores audiebant, &, quoties victorias reportabant, iterum pluriesque Imperatores acclamabantur, ita ex Conſulari poteſtate iidem dicerentur Conſules, &, quoties Conſulatum acciperent, iterum pluriesque Conſules audirent. Hoc quidem paſſim non eſt factum; nam fere obſervamus, toties etiam ipſos Imperatores inſcribi Conſules, quoties Conſulatum adiiſſent, ita ut in eum numerum Conſularis poteſtas non veniat. Quia tamen in aliquibus Imperatoribus is Conſulatuum numerus occurrit, qui major eſt ipſis Conſulatibus, quos geſſerunt, in eorum numero etiam imperium Conſulare connumeratum credi poteſt. Dicitur in nummis (*a*) Otho cos. II., Domitianus cos. XVIII. (*b*), Ælius Cæſar ΥΠΑΤ. Γ., cos. III. (*c*), Antoninus Pius cos. V. (*d*), M. Aurelius cos. IIII. (*e*), Philippus Pater ΥΠΑΤΟ Δ, *Conſul* IIII. (*f*), ac Philippus Filius cos. III. (*g*); qui tamen Conſulatus in Faſtis non leguntur, nec eorum meminerunt Scriptores; quin minor numerus apud eoſdem expreſſe habetur. Huc etiam referri poſſunt omnes ii Conſulatus, qui deſignati tantum (*h*), tacita tamen deſignatione creduntur: & quidem hæc interpretatio verior videri poteſt. Forte etiam huc ſpectant plura ex iis, quæ de Conſulatibus ſuffectis non raro omiſſis in nummis & inſcriptionibus ex Pagio adnotavimus (*i*); quæque in hanc rem conligi aliunde poſſent. Rurſum explicari hoc modo poſſent etiam illi Conſulatus, qui quandoque conjuncti ſimul occurrunt, veluti cos. II. & cos. III. Nervæ, ac cos. V. & cos. VI. Trajani, de quibus paullo ante. Majorem præterea Conſulatuum Cæſareorum numerum, quam qui geſti ſunt, in aliquibus Faſtis Conſularibus eorumq; Conlectoribus non raro obſervare eſt, quod ad hanc regulam reduci poteſt; quemadmodum alia etiam in hanc rem notari poſſent.

(a) Apud Panvin. Lib II. Com. in Faſt. ad an. U. C. 822.

(b) Apud Hardu. in Hiſt. Aug. ad an. Chr. 96.

(c) Muſ. Theup. pag. 1135.

(d) In Muſ. Theupol. p. 497.

(e) In Muſ. Goez. p. 156.

(f) Apud Pagium in Critic. ad ann. Chr. 249. nu. II.

(g) Apud eumd. ibid.

(h) Animadver. VI. de Coſ. Nu. VIII. & IX. & heic p. 47. & ſeq.

(i) Animad. VI. de Coſ. num. V.

§. 15. Demum, ſi dubitatio his in rebus aliquando admittenda eſt, ea ſane potius in Conſulatibus, quam in Tribunicia Poteſtate locum habet, ratione reque ipſa id poſtulantibus. Quum enim melior omnino Chronologiæ regula ſit Tribunicia Poteſtas quam Conſulatus, eam potius, quam hunc, ſi de utroque pari ratione agatur, & unius aut alterius jacturam facere neceſſe ſit, retinere ſane debemus. Conſulatus itaque non tantum Chronologiam juvat, quantum Tribunicia Po-

testas. Ille enim non omni anno adsumptus, quin rarius ab aliquibus Imperatoribus admissus, haud perpetuum nobis præbet Chronologiæ ordinem. Unde cum uno eodemq; Consulatu plura, eaque diversi temporis monumenta exhibentur. Nam, quum continuis annis eumdem Consulatum, quousque alter iniretur, notare mos esset, ea omnia uni eidemq; Consulatui addebantur, quæ medio inter unum alterumve Consulatum tempore accidebant. Quare auctos Tribuniciæ Potestatis numeros, auctosque Imperatoris ob victorias titulos, tum etiam parta cum victoriis devictarum gentium cognomina, & alia rerum bene domi forisve gestarum monumenta, quamvis diverso tempore hæc acciderint, tamen cum uno eodemq; Consulatu conjuncta in nummis & lapidibus passim videmus. Hoc autem fiebat, quia, ut diximus, postremus Consulatus continenter signabatur, usquequo alius adsumeretur. Itaque minus perspicua Chronologiæ regula Consulatus evasit, nisi quando continuus etiam ipse est; quod rarius accidit. Quin aliquando ita infrequens est Consulatus, ut fere nullum, aut quandoque nullum temporis discrimen adferat. Hadrianus, ex. gr., secundo post acceptum imperium anno Consul III. processit; nec vero reliquis XIX., quibus imperavit, annis ullum alium Consulatum adsumpsit, adeoque semper cum *Consulatu* III. comparet; qui proinde nullam notam temporis adfert. M. Aurelius eodem, quo imperium auspicatus est, anno Consulatum *tertium* acceperat; posthac, h. e., totis XIX, quibus imperium ipsum tenuit, annis Consulatu omnino abstinuit. Pluries tamen multiplicavit *Imperatoris* ob victorias titulos, pluraque sumpsit victarum gentium cognomina, & plurima edidit optimi Imperatoris monumenta; quæ proinde omnia cum solo *Consulatu* ejusdem *tertio* exhibentur. Quapropter, quod ad Chronologiam spectat, Consulatus cum Tribunicia Potestate nullatenus comparandus est; hæc etenim singulo quoque anno procul dubio multiplicabatur, adeoque perspicua & certa temporis rerumque regula evasit, qualis inter tot antiquitatis monumenta, nulla certe alia est. Hanc igitur præ reliquis, quas omnes longo post se intervallo relinquit, tenere, ac pro ea tamquam pro ipsius Chronologiæ aris & focis decertare debemus.

Melior Chronologiæ regula Trib. Potestas, quam Consulatus.

Videat, intelligatque nunc æquus Lector, quantum difficultates, quæ opinionem de multiplicanda quotannis cum Tribunis Plebis die x. Dec. Imperatorum Tribunicia Potestate afficiunt,

ciunt, tum numero tum pondere minores ſint iis, quas pati alias ſententias oſtendimus.

XIII. §. 1. Producenda nunc ſunt, quæ opinioni noſtræ favent. In primis itaq; eſt mos, ſtante ac ſublata Rep., ineundi magiſtratum Tribunorum Plebis ſeu Tribuniciam Poteſtatem die x. Decembris; quem utique morem cum aliis tenuiſſe ipſos Principes, apertis verbis tradere nobis videtur Dio. Secundo modus numerandi annos imperii tum in nummis græcis & Ægyptiis, tum quoad decennalia celebranda: in his enim omnibus formam annorum utrimque incompletorum adhibitam fuiſſe, monſtraturi ſumus: ipſos autem principatus annos ſimul parique gradu cum Tribunicia Poteſtate proceſſiſſe, laudatus Dio docebit. Tertio ſunt etiam plurimi Scriptores tum Romanæ tum externæ hiſtoriæ, qui in deſignandis annis imperii, annorum civilium, ſive incompletorum forma utuntur. Demum, quod maximi momenti eſt, niſi Tribunicia Poteſtas die x. Decembris renovata quotannis ab Imperatoribus dicatur, plurimæ eæque maximæ in rebus chronologicis hiſtoriciſque difficultates oriantur, neceſſe eſt. E contra vero, ſi Tribunicia Imperatorum Poteſtas die x. Dec., quocumque infra annum die primum ſumpta eſt, ſingulo quoque anno renovetur, & cum ea anni quoq; principatus procedant, res ipſas chronologicas hiſtoricaſq; melius ſe habituras, probaturos nos ſperamus. Quia tamen argumentum hoc, utpote ſublimitate & amplitudine maximum, tenues ingenii mei vires multum excedit, veniam jam nunc poſco, ſi pro dignitate illud non tractavero, ſperans Viris doctis eam, quam ſuadere conaturus ſum, opinionem ſi non omnino perſuaſum probatumque iri, meos tamen hoſce labores haud prorſus eſſe diſpliciturος.

Monumenta ac rationes, quæ opinioni noſtræ favent.

§. 2. Ut itaq; incipiam, & res magis eluceſcant, animadvertendum eſt, quod tradit Dio (*a*), ſcilicet Imperatores, ne viderentur ex potentia potius quam legibus agere, omnia, quæ in populari forma Reipublicæ multum valuerant, Senatu Populoque volentibus, ea cum ipſis nominibus in ſe recepiſſe, excepta Dictatoris ac Regis (*b*) appellatione, quas ſemel e Rep. ſublatas ut non imponebant ſibi, ita eorum vim ac rem ipſam Imperatorio titulo confirmabant. Etſi porro eodem Imperatorio nomine omnia, quæ Conſulibus aliiſq; cum pleno imperio Magiſtratibus facere licebat (*c*), agendi jus haberent, quo tamen Reip. formam tenere viderentur, *Conſules ſæpe fiebant*

(a) Lib. LIII. p. 507. E.

(b) Pag. 508. A.

(c) Ibid. & Lib. XXXXIII. pag. 235. C. D.

(a) Eadem pag. 508. A.

In capessendo Consulatu morem in Rep. institutum tenuerint Imperatores.

(b) Suet. in Vit. c. 76. Vid. Dio L. XLII. pag. 194. D, & Lib. XLIII. pag. 236. A.

(c) Tacit. Libro XIII. An. c. 41.

(d) Suet. in Vita cap. 11.

(e) Suet. in Vita c. 26.

fiebant, & , quoties extra pomerium erant, Proconsules dicebantur (*a*). In capessendo itaque Consulatu morem veterem sequuti ipsi Imperatores, prius ad ipsum designabantur, & Kalendis sequentis Januarii eum adibant, ac tum Consules primum, aut iterum, tertiumque, sive pluries, prout ordo ferebat, nuncupabantur, ita tamen, ut nonnisi ad Kalendas subsequentis Januarii Consulatum ipsum producerent, sæpius vero ac fere semper eum ante id tempus deponerent. Sive autem deposuissent per annum, sive non, advenientibus Kalendis Jan. cessabat Consulatus, novusq; ab eis aut ab aliis inibatur. *Recepit* (*b*) Cæsar *continuum Consulatum*, singulo tamen anno repetiit ac dimisit, adeoque Consulatuum quoque numerum tribus illis, quibus inde vixit annis, multiplicavit, ut fidem faciunt Fasti. Ita etiam Nero, si *continuos Consulatus*, ei aliquando (*c*) decretos admisisset, & Vitellius, qui *ordinavit se perpetuum Consulem* (*d*), si quidem supervixisset, Kalendis Jan. singuli cujusque anni numerum Consulatuum auxissent. Augustus etiam, quum secundum Consulatum post novem annos, quam primum ceperat, tertium anno interjecto gessisset (*e*), *sequentes usque ad undecimum continuavit*, & quidem *a sexto ad undecimum annuos gessit*, ita tamen ut extrema anni die Magistratum cum conlega deposuerit, & ineunte anno Consulatum novum inierit; quod & reliqui Imperatores perpetuo servarunt. Atque hæc omnia faciebant, ut aliquam Reipublicæ formam repræsentarent, sive ut institutum in ea morem retinere viderentur.

Tribunicia Pot. Imperatorum.

(f) Lib. LIII. p. 508. E.

(g) Num. I.

Id ipsum factum esse in Tribunicia quoque Potestate non dubitamus, maxime quia hanc ipsam cum ceteris summæ potestatis nominibus, quæ Imperatores sumebant, conjungit Dio; immo statim atq; de ea disseruit, ita subdit (*f*): Ταῦτα μὲν ἐκ τῆς δημοκρατίας, ὥς που καὶ ἕκαςα ἐνομίσθη, οὕτωτε καὶ διὰ τούτων τῶν ὀνομάτων εἰλήφασιν, ὅπως μηδὲν ἄνευ δόσεως τινὸς ἔχειν δοκῶσιν: *Hæc autem singula, quum legibus fuerint stabilita in ea Reipub. institutione, qua penes populum erat summa rerum, Imperatores cum ipsis nominibus sibi sumunt, ut nihil sibi a subditis non datum habere videantur*. Quum igitur Tribunicia Potestas inventa & introducta in Rempub. fuerit, ut Consulatui opponeretur, eique resisteret, qua de re supra (*g*), ad modum ipsius Consulatus ordinata est. Annua porro fuit, statutoque die, decimo nempe Decembris incipiebat, exactoque anno desinebat. Quare Tribuni Plebis adveniente eodem die decimo Dec. Tribuniciam Potestatem, sive

per

per annum integrum eam geſſiſſent, ſive infra annum ſuſcepiſſent, dimittere cogebantur. Et, ſi quandoq; illam in annum ſequentem continuabant, hoc ita fiebat, ut priorem deponerent, abirentq; Magiſtratu, hinc eam repeterent, rurſumq; Magiſtratum adirent; atque adeo Tribuni plebis iterum, tertium, pluriesque, quoties nempe Tribuniciam Poteſtatem iteraſſent, vocarentur. Exemplum habemus ad annum U. C. ccxciv., quo Coſſ. fuere P. Volumnius, Ser. Sulpicius; tum enim *Tribuni* dicuntur *refecti in ſequentem annum*, quin poſtea & in annum ccxcvi.; unde *iterum* ac *tertium Tribunos* legimus (*a*). *Quartum* (*b*) quoque ii ipſi *adfectantes tribunatum*, renitentibus licet patribus eumdem obtinuerunt. Ac demum anno U. C. ccxcvii. *plebs vicit* (*c*), *ut quintum eoſdem Tribunos crearet* in ſequentem annum. Cæſar, qui poſtea Auguſtus eſt dictus, poſt mortem prioris Cæſaris, *in locum Tribuni Plebis forte demortui candidatum petitorem ſe oſtendit* (*d*); non tamen Magiſtratum obtinuit (*e*). Anno U. C. dccxcv. *Tribuni Pl. uno ex eorum Conlegio defuncto Senatum ſufficiendi alterius cauſſa convocarunt* (*f*). C. Epidium & L. Ceſitium Flaccum Tribunos Plebis Julius Cæſar opera Helvii Cinnæ conlegæ ipſorum Tribunatu ſpoliatos Senatu movit (*g*). His ſuffecti haud integrum annum, ſed tantum uſque ad diem x. Decembris perdurare in eo Magiſtratu potuerunt. Quum porro unus alteri infra annum ſufficiebatur, unus & alter Tribunatum, etſi non integrum, numerabat. Diſcrimina inter Tribuniciam Poteſtatem Tribunorum plebis & Imperatorum ſupra (*h*) deſcripſimus, nunc innuere ſufficiet, illam Imperatorum perpetuam fuiſſe & maximam, nec limitatam, illam vero Tribunorum nonniſi annuam, aut *ſemeſtrem* (*i*), aut forte minoris ſpatii fuiſſe, ſuiſque incluſam terminis. Quum itaque Tribunicia Poteſtas Imperatorum ab illa Tribunorum plebis multum reapſe diſtaret, ordo quidam inter utramq; ſervatus eſt, quo in ſpeciem ſaltem ac nomine tenus convenirent. Quare Tribuniciam Poteſtatem ſingulo quoque anno renovare conſueverunt Imperatores eo ipſo die, quo & Tribuni eam accipiebant, quaſi nempe ſecundum leges eamdem ipſi Imperatores iterarent. Nam, ſi per annum multiplicaſſent, ab antiquitus tradito more omnino diſcrepaſſent. Quum igitur nihil aliud reliquum eſſet, in quo convenirent, hoc unum obſervaſſe videntur Imperatores, ut decimo Decembris die, qui ineundo Tribunatui decretus erat, Tribuniciam Poteſtatem,

Statuto tempore cum Tribunis Plebis Tribuniciam Poteſtatem renovabant quotannis Imperatores.

(a) Liv. Lib. III. ad eoſd. ann. & Dionyſ. Hal. Lib. X.
(b) Apud eoſd.
(c) Apud eoſd.
(d) Suet. in Vit. c. 10.
(e) Vide Dion. Lib. XLV. pag. 272. D. Appian. Lib. III. Bell. Civ. pag. 886. al. 546.
(f) Dio Lib. LX. p. 676. A.
(g) Dio Libro XLIV. pag. 245. C.
(h) Num. III.
(i) Plin. Lib. IIII. Epiſt. 4.

tem, quam cum imperio aut ante acceperant, renovarent, &, ut ordo ferebat, multiplicarent. Hoc ipsum tradere nobis videtur Dio (*a*) his verbis: Τὴν δὲ δὴ δύναμιν τὴν τῶν δημάρχων πᾶσαν, ὅσηπερ τὰ μάλιστα ἐγένετο, προστίθενται, καὶ δι' αὐτῆς καὶ ἡ ἐξαρίθμησις τῶν ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτῶν, ὡς καὶ κατ' ἔτος αὐτὴν μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων, λαμβανόντων, προβαίνει. Quæ verba ita quidem reddit Xylander: *Omnem vero Tribuniciam Potestatem, quanta unquam maxima fuit*, Imperatores *accipiunt: &, quia quotannis eam cum Tribunis plebis ejus anni renovant, annorum imperii ipsorum hinc summa concepi solet.* At enim vero, si in verbis Dionis notio & vis particulæ ΩΣ rectius attendatur, liquere scribit Jo: Georgius Grævius (*b*), Dionem non dixisse, Imperatores Tribuniciæ Potestatis suæ annos numerasse, QUIA *revera eam cum Tribunis Plebis acceperint, & quotannis renovarint*; sed, QUASI illud ad exemplum Tribunorum Plebis fecerint, ita ut non quidem eodem die & mense, quo Tribuni Plebis Tribunatum suscipiebant, sed haud secus, ac Tribuni Pl., eam Potestatem quotannis renovarint; quum tamen perpetuam per omnem vitam suscepissent. Addit, hunc Dionis locum jam in ea se tentasse exercitatione Academica, in qua generatim de *Cæsarum Augustorumque Tribunitia Potestate* egit; & quidem *Sect.* xx. interpretationem Latinam Xylandri corrigendam censuit; quam emendationem jam a *Virginio Valsechio* (*c*) prælibatam fuisse, postea demum observavit. Antea etiam Leunclavio emendatione indigere visa est ipsa Xylandri versio; hinc ille ita Dionem interpretatus est: *Omnem Tribuniciam Potestatem, quanta unquam maxima fuit, accipiunt, & juxta eamdem imperii quoque sui numerant annos, quasi si quotannis & ipsi cum Tribunis Plebis eam acciperent.* Valsechius autem sic ad verbum reddit (*d*): *Et per eam* [Trib. Pot.] *etiam enumeratio annorum imperii ipsorum, ac si quotannis eam cum iis, qui plebi semper præsunt, susciperent, procedit.* Quæ quidem versio consonare interpretationi Leunclavii dicitur ab ipso Valsechio; qui & subdit, hoc modo Dionis textu explicato, de Tribuniciæ Potestatis renovatione, quotannis ab Imperatoribus facta, nihil inde exsculpi, se videre; sed ex eo contrarium potius satis luculenter concludi, credit. Mirum autem videri debere tradit, si maxima hac in Rempublicam potestate prædit Imperatores Tribuniciam quotannis cum Tribunis Plebis Potestatem suscipere, adigebantur. Si enim Tribunatum Plebis gerere, quod Patricii essent, οὐχ ὅσιον εἶναι, arbitrabantur

(a) Libro LIII. pag. 508. D.

(b) In exerc. Acad. de nu. Trib. Pot. Aug. Cæsarumq; Ro. n. IIII. pag. 9.

(c) In Differt. de Elagab. Trib. Pot. p. 84.

(d) Loc. citat. nempe c. 5. ejusdem Differt.

bantur, quanto magis summa rerum potiti nefas duxissent, sese singulis annis, ad Tribuniciam Potestatem, cum Tribunis Plebis a populo accipiendam, demittere? Textus itaque Dionis ac illorum præsertim verborum μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων, hunc esse sensum putat, quod Imperatores juxta Tribuniciam Potestatem, seu a die Tribuniciæ Potestatis susceptæ annos etiam sui imperii numerarint, perinde ac quotannis eamdem Tribuniciam Potestatem sumpsissent, quemadmodum Tribuni Plebis quotannis eam accipere consuevere. Hæc Vir Cl., quæ tamen nobis minime probantur. Sed nec ejus versionem, ubi reddit *cum iis, qui plebi semper præsunt*, sequi nos possumus: nam singuli cujusque anni *Tribunos Plebis*, seu qui quotannis Tribunatum inirent, exprimere Dionem voluisse nobis videtur. Hinc apud ipsum alibi (*a*) legitur concessum (a) Lib. XLIV. pag. 242. B.
Jul. Cæsari sedere ludorum tempore in subsellio μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων, *cum Tribunis plebis cujusque temporis*, sive *anni*; tum etiam, ut in sella curuli μετὰ τῶν ἀεὶ Υπάτων, *cum Coss. cujusque temporis* in Senatu sederet (*b*). Ita quoque διὰ τῶν δέκα ἀεὶ ἐτῶν, (b) Idem Libro XLIII. p. 220. B.
singulis decenniis festum pro renovatione imperii Augustorum peractum tradit (*c*). Decretum etiam refert, ut, quum Au- (c) Libro LIII. pag. 507. A.
gustus propter senectutem in Senatum rarissime veniret, quæcumque cum xx., quos annuos petierat, consiliariis, τῶν τε ἀεὶ ὑπατευόντων, *& cujusq; temporis Consulibus*, tum etiam aliis, quos adsumpsisset, deliberans statuisset, rata haberentur (*d*). Qua- (d) Libro LVI. pag. 588. C.
propter Dionis textum ita nos interpretamur: *Omnem vero Tribunorum Potestatem, quanta umquam maxima fuit, accipiunt: & juxta eamdem dinumeratio quoq; annorum principatus ipsorum procedit; quasi & ipsis singulo quoque anno eam cum Tribunis plebis ejus anni accipientibus*. Quo sensu intelligitur Imperatores Tribuniciam Potestatem ita quotannis multiplicasse, ac si eam cum Tribunis Pl. ordinariis seu annuis reciperent. Neque vero quis dicat, Dionem tantummodo tradere, Tribuniciam Potestatem quotannis renovasse Imperatores, ita tamen, ut die anniversario sumptæ primum Tribuniciæ ejusdem Potestatis id ipsum fieri potuerit, quin & factum sit. Etenim Dio nimis aperte significat, Imperatores ne dum renovasse quotannis Tribuniciam Potestatem, sed eam *cum Tribunis Plebis cujusque temporis*, sive anni renovasse. Quod si Tribuniciam Potestatem *cum Tribunis plebis* non renovassent Imperatores, nihil antiqui moris hac in re servassent, contra quod habet Dio.

(a) Lib. eod. LIII. pag. 509. B.

Qui & ſubdit (*a*), *his appellationibus*, de quibus ſupra, & inter quas Tribunicia Poteſtas, *Imperatores uſos eſſe* κατὰ τὰς νόμους καὶ κατὰ τὸ ἤδη πάτριον, *ſecundum leges & inſtituta patria ſui etiam temporis*.

(b) Annal. III. c. 57.

Confirmatur ex ſententia Silani.

§. 3. Dionis ſenſum noſtramq; de ipſo intelligentiam hæc confirmant, quæ imperante Tiberio refert Tacitus (*b*). Itaque *M. Silanus ex contumelia Conſulatus, honorem Principibus petivit, dixitque pro ſententia, ut publicis privatiſque monumentis ad memoriam temporum, non Conſulum nomina præſcriberentur, ſed eorum, qui Tribuniciam Poteſtatem gererent*. Notum eſt, publicis privatiſq; monumentis ad memoriam temporum Conſulum nomina præſcribi conſueviſſe. Marcus autem Silanus ex contumelia Conſulatus hunc honorem *Principibus* petivit; voluitque, ut horum nomina, quatenus Tribuniciam Poteſtatem gerebant, exinde præſcriberentur. Quomodo igitur hoc petere Silanus potuiſſet, ſi Tribuniciam Poteſtatem non cum Tribunis, id eſt ſtatuto die, ſed anniverſario ſibi, adeoque vago die renovaſſent Imperatores? Numquam in mentem Silani id venire, multoque minus proponere potuiſſet, ut publicis privatiſque monumentis Tribunicia Principum Poteſtas ad deſignandos annos adſcriberetur, niſi certus maneret dies, quo ſinguli quique Imperatores illam iterarent. Sane, quum ſciret Silanus alio die Auguſtum, alioque Tiberium ſumpſiſſe Tribuniciam Poteſtatem, luce meridiana clarius quoque intelligebat, idipſum in reliquis Imperatoribus futurum, ut nempe diverſo fere intra annum tempore, hoc eſt, diverſo die Tribuniciam Poteſtatem primum ſumerent, adeoque, ſi dies ejuſdem anniverſarios eoſque vagos pro nota annorum ſtabilire voluiſſet, res publicas privataſque quam maxime confudiſſet. Inſuper quidnam, quæſo, faciendum fuiſſet iis annis, quibus plures Principes imperaſſent? ſeu quum plures eſſent ex Imperatorum familia, qui Tribuniciam Poteſtatem gererent, eamque diverſis annis diverſiſq; infra annos diebus ſuſcepiſſent? Hoc tum eveniebat, quum id Silanus pro ſententia dixit; quippe Tiberius miſerat litteras ad Senatum, *quis Poteſtatem Tribuniciam Druſo petebat* (*c*). Conſulibus, quorum nomina publicis privatiſque rebus præſcribebantur, ineundi Magiſtratum decretus erat ac ſtatutus dies, qui proinde nota etiam temporis annorumque eſſe poterat. Ex quo tamen plures in unum eumdemque annum Conſules creari cœperunt, illud

(c) Tacit. eodem Lib. cap. 56.

retentum

retentum eſt, τὴν δ' ἐξαρίθμησιν τῶν ἐτῶν οἱ κατὰ πρώτας αὐτῶν ὑπατεύοντες καρποῦνται, *ut annorum numerus iis, qui initio* anni *Conſules fuerunt, adſcriberetur*, teſte Dione (*a*) ad annum U. C. (a) Lib. XLIII. pag. 237. A. DCCIX. Qui & ſubdit, exinde *ſe Conſules illos nominaturum, quorum mentio facienda neceſſario propter res ipſas erit; ad hiſtoriæ vero ſeriem explicandam ſe Conſules illos poſiturum, qui primi Magiſtratum obtinuerunt, tametſi nihil ad hiſtoriam conferrent*. Si igitur loco Conſulum publicis privatiſque monumentis nomina Principum, qui Tribuniciam Poteſtatem gererent, præſcribi volebat Silanus, inde certo conſtat, fixum ſtatutumque fuiſſe diem, quo Tribuniciam ipſam Poteſtatem renovarent Principes. Dio autem ſatis indicat, qui fuerit hic dies, ubi nempe tradit, Imperatores quotannis Tribuniciam Poteſtatem cum Tribunis plebis renovaſſe: nam Dionyſius Halicar. (*b*) (b) Lib. VI. Ant. Ro. p. 410. al. 302. teſtatur, ἡμέρᾳ τετάρτῃ πρὸ τριῶν εἰδῶν Δεκεμβρίων, *die quarto ante Idus Decembris*, h. e., die decimo ejuſdem menſis Magiſtratum Tribunos Plebis adiiſſe.

XIV. §. I. Opinionem noſtram magis ita comprobamus. Auctor eſt laudatus Dio (*c*), *juxta Tribuniciam Poteſtatem dinumerari* conſueviſſe *annos principatus* Auguſtorum. (c) Libro LIII. pag. 508. D. Et, ut clarius procedamus, diſtinguendum eſt inter ipſos annos; alii enim ſunt naturales & vagi, alii civiles & fixi. Primi *Anni alii naturales & vagi, alii civiles & fixi.* ſeu naturales ii ſunt, qui quidem conſtant ex CCCLXV. diebus cum quadrante, nec niſi exacto hoc ſpatio complentur; at vagi dicuntur, quia non habent principium fixum, & quocumq; tempore incipere poſſunt. Hujuſmodi annis ſæpe utimur ad deſignandum tempus, quo quiſque vixit, vel aliquid duraverit. Quum enim alii alio tempore vitam ſortiantur atque amittant, tum etiam res diverſis temporibus incipiant atque finiantur, annorum naturalium, ſicuti & menſium ac dierum regula metimur hæc omnia. Sunt vero etiam anni civiles & fixi, atque ii ſunt, quibus utuntur populi & urbes; qui anni ſæpius quidem conſtant diebus CCCLXV. cum quadrante, uti conſtant & naturales, at fixum habent principium, ſtatutoque die incipiunt & deſinunt. Sic nunc apud Italos annus civilis incipit Kalendis Januariis, aut etiam apud nonnullos die XXV. Martii, emenſiſque diebus CCCLXV, aut quarto quoque anno CCCLXVI. diebus ad idem redit principium. Romæ imperantibus Auguſtis annum aperiebant Kalendæ Januariæ; a die tamen XXI. April. anni Urbis conditæ numerabantur. Nos tamen, Virorum

doctorum exemplo faciliorisq; ordinis gratia annos Urbis cum annis Julianis conjungimus, & ab eodem principio, h. e., a Kalendis Januariis præcedentibus exordimur tum heic & in reliquis Animadversionibus, tum etiam in Commentariis. Quod semel monitum sufficiat. Præterea apud omnes populos fuere, & etiamnum sunt quidam Magistratus & officia, quorum alia præstitutum habent tempus, ita ut, quandocumq; sumpta sint, nonnisi eodem exacto tempore deponantur; alia vero præstituto tempori se accomodant, ita ut eo ipso tempore adveniente cessent, aut renovari debeant. Hujus generis fuisse Consulum Tribunorumque Plebis Magistratus tum stante tum sublata Romana Rep., paullo ante monstravimus. Hinc Tribuniciam quoque Potestatem, qua gaudebant Principes, hoc modo fuisse ordinatam, argumentati sumus.

§. 2. Videndum itaque; quo pacto imperii annos dinumerare mos esset. Nec vero de annis inquirimus apud Scriptores, quoties hi nempe tempus comprehendunt, quo quisque vixit aut imperavit; tum enim utuntur annis naturalibus & vagis, qui, ut diximus, incipiunt cum vita aut imperio, exactisq; CCCLXV. aut CCCLXVI. diebus iterantur, & sic annuatim renovantur. Sed quærimus, quo pacto annos imperii tum ipsi Imperatores tum reliqui dinumerarent num scilicet ad normam annorum naturalium & vagorum, an vero civilium atq; fixorum. Hæc porro quæstio eadem est atque illa, quam instituimus de Tribunicia Potestate Imperatorum, utrum nempe die anniversario tum primum tum subsecuto tempore, ipsa Tribunicia Potestas renovaretur, an die decimo Decemb., quocumque infra annum die primum accepta esset, iteraretur, eodemque die decimo ejusdem Dec. singulo quoque anno in posterum renovaretur. Quum itaq; Tribuniciam Potestatem hoc postremo modo dinumerari consuevisse credamus, idipsum de annis quoque imperii opinamur, quippe pari ordine graduq; procedunt. Ac sane anni principatus cum annis Tribuniciæ potestatis ita copulantur atque procedunt, ut nonnisi uno & eodem sensu accipi explicariq; possint. Quapropter idem debet esse de utrisque judicium, quum par utrinque sit ratio. Accedit Dionis, quam laudavimus, auctoritas; quippe, ut hoc repetamus, scribit (*a*), *juxta Tribuniciam Potestatem dinumerari* consuevisse *annos principatus*. Certiores vero nos reddunt nummi: nam ex. gr. in illis Titi habetur L. IA (*b*), *annus*

Tribunicia Pot. anniq; principatus eodem ordine parique gradu procedebant.

(a) Lib. LIII. pag. 508. D.

(b) Apud Goltz pag. 56. F.

annus undecimus, quot & Tribuniciæ (*a*) Poteſtates; quum tamen nonniſi *biennium, ac menſes duos, dieſque viginti* (*b*) imperarit, ex quo ſucceſſerat Patri. Antoninus Pius Hadrianum excepit in imperio die x. Julii anno U. C. DCCCXCI., regnavitque annos XXII, menſes VII, dies XXVI. uſque ad diem VII. Martii U. C. DCCCCXIV (*c*); quia tamen ante imperium adeptus eſt Tribuniciam Poteſtatem v. (*d*) *Kalendas Martias* ejuſdem anni U. C. DCCCXCI, hinc & TR. P. XXIIII. (*e*) in nummis latinis, & L. ΚΔ. *annum* XXIIII. (*f*) in Ægyptiis habet. M. Aurelius poſt Pium, cum quo minime regnaverat, ἐννέα καὶ δέκα ἔτη, καὶ ἕνδεκα ἡμέρας (*g*), *annos decem & novem, dieſque undecim imperavit*. Quia tamen pervenit ad *Tribuniciam Poteſtatem* (*h*) XXXIIII, habet etiam in nummis L. ΛΔ (*i*), *annum triceſimum quartum*. In aliis quoque Imperatoribus iidem fere numeri Tribuniciæ Poteſtatis atque annorum principatus paſſim occurrunt, ut poſtea videbimus, & eſt apud Antiquarios in confeſſo. Probandum itaq; ſumimus, annos imperii Principum Romanorum juxta civilem fixumque annum, qui apud Magiſtratum Tribunorum plebis in uſu erat, numerari ſolitos fuiſſe. Quod ſi perfecerimus, non dubitamus, quin multo magis conſtet, Tribuniciam quoque Poteſtatem eorumdem Principum juxta eamdem methodum renovari conſueviſſe. At vero res poſtulat, ut prius aliorum circa eoſdem annos opiniones proponamus, ſimulque examinemus.

(a) Apud eumd. Golt. pag. 57. A.
(b) Suet. in Vit. cap. 11.
(c) Chr. 161.
(d) Capitol. in Anton. c. 4.
(e) Apud Mediobarb. p. 205. 206. Harduin. in Hiſt. Aug.
(f) Muſ. Theup. pag. 1148. & Arigon. Tab. XIII. n. 217. 218. & 219. Num. Alexandr.
(g) Dio Libro LXXI. pag. 815. C.
(h) Goltz pag. 78. D.
(i) Ibid. Muſ. Arigon. habet L. ΛΒ. an. XXXII. Tab. XIIII. num. 242. Num. Alexandr.

Probandum ſumitur, annos principatus juxta Tribuniciam Poteſt. dinumerari, ſive ad normam Magiſtratus Tribunorum Plebis renovari conſueviſſe.

§. 3. Harduinus itaque Vir eruditiſſimus eſt auctor (*k*), in nummis græcis annos Auguſtorum ſemper incipere a Septembri conſequente natalem Urbis, quo Tribunicia Poteſtas ab eo dicitur conceſſa Auguſto vel prorogata, exceptis his, qui ſunt inſcripti ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ. Græcos autem idcirco in nummis ſuis annos Auguſtorum ſemper a Septembri, qui conlationem vel prorogationem Tribuniciæ Poteſtatis conſequeretur, computaſſe ſubdit, quoniam hic menſis nimirum, a quo ſemper annum inchoant, proximior eſſet Natali Urbis, quo die hanc Poteſtatem deferri conſueviſſe ab eo ſtatuitur, quam foret September antecedens; nec deceret annum unum vel primum dici, cujus menſes tantum quatuor forent uſque ad alterum, ſeu novum annum ſuum, hoc eſt uſque ad Septembrem. Atque hunc illos morem in ipſomet Antonino Pio & Marco Aurelio ſervaſſe tradit; quoniam Septembrem proxime antecedentem Kalendas Januarias, quo die

(k) In Præfat. ad Hiſt. Aug.

De annis Impp. in nummis græcis ſeu Aegyptiis eruditorum opiniones.

Harduini opinio

die illos Tribunicia Poteſtate donatos exiſtimat, alterum Hadriano, Pio alterum Græcos jam adſignaſſe ſcribit. At hæc invalido illo de conlatione, ſeu prorogatione Tribuniciæ Poteſtatis die Natali Urbis, fundamento, cujus ſupra meminimus (*a*), nituntur; immeritoque tempus, quod a natali imperii ad Septembrem fluebat, omiſſum ſtatuunt. Quare, ut opinionem ſuam tueatur Harduinus, ſepoſitis immo rejectis auguſtæ hiſtoriæ Scriptoribus, novam ipſe procudere hiſtoriam adgreſſus eſt. Exempli gratia, ut nummos Galbæ cum L. B, *anno ſecundo* ſuæ aptet opinioni, biennium imperii eidem adſignat (*b*); quamvis nonniſi novem ad ſummum menſes imperaſſe tradant hiſtorici. Titum, qui *Idibus* (*c*) *Septembris poſt biennium ac menſes duos dieſque viginti, quam ſucceſſerat Patri*, imperium cum vita reliquit anno U.C. DCCCXXXIIII (*d*), abdicaſſe die natali Urbis, fratremque Domitianum ſuſcepiſſe imperium ſcribit (*e*). Ut vero nummos cum L. Γ, *anno tertio* Titi explicet, retinuiſſe imperium in Judæa, quam ceperat, & in vicina Ægypto ab eo dicitur. Quum autem Nervæ biennium imperii tribuat, nummos ejuſdem cum L. Γ. *anno tertio* omittit; quod & facit alibi; quotieſcumque ſcilicet nummos ipſos vim ſibi inferre ſentit. Quæ quum ita ſint, in iis confutandis immorari non vacat.

(a) Pag. 20.
(b) Ad an. Chr. 68. in Hiſt. Aug.
(c) Suet. in Vit. cap. 11. Dio Caſſ. Lib. LXVI. pag. 758.
(d) Chr. 81.
(e) Ad an. Chr. 81. U. C. 834.

Pagii de annis in nummis græcis & Aegyptiis opinio.

§. 4. Ut vero ad alios veniamus; Cl. Pagius, ubi tradidit Galbam a morte quidem Neronis ſeptem menſes dieſque ſeptem, ex quo autem conſalutatus eſt Imperator, menſes novem dieſque tredecim imperaſſe (*f*), animadvertit in multis nummis græcis legi L. B, *annum ſecundum*. Hinc ſubdit, quod, quum omnes hi Alexandriæ percuſſi fuerint, jure merito obſervarunt aliqui, Alexandrinos non numeraſſe annos Imperatorum a die natali eorum imperii, ſed a die vigeſima nona menſis Auguſti: idque confirmare Dionem docet Lib. LI. p. 457., ubi ait: *Diem, quo capta fuit Alexandria, feſtum eſſe cenſuerunt, ab eoque reliquis annis numerandis initium ſumendum*. Numquam in nummis Ægypti aliam Epocham notatam tradit, quam Regum & Imperatorum, *quare ea*, inquit, *a primo anni die non exordiebatur, & quando mors Principis ſub finem anni nunciabatur, ſtatim nummi in honorem ſucceſſoris cudebantur cum* L. A, *id eſt anno primo, & poſt aliquot dies novo anno Alexandrino inchoante die* XXIX. *Auguſti, in nummis exprimebatur annus ſecundus a die* XXIX. *Auguſti deſumptus*. Sic Trajano mortuo, & Hadriano

(f) In Crit. ad an. Chr. 69. num. II. & III.

no in locum ejus ſubrogato, ac Alexandriæ agnito Imperatore initio anni Chr. cxvii (*a*) nummos percuſſos fuiſſe ſubdit cum L. A.; & deinde die xxix. Auguſti cum L. B; ita ut ultimus hujus Imperatoris annus in nummis Ægyptiacis præferat L. KB., id eſt annum xxii; quod nonniſi in nummis Alexandrinis occurrere docet. Præterea in Canone Ægyptiaco Ptolemæi annos Regum non a vero die eorum natali, ſed a Thoth vago, poſtea pro uſu civili, Auguſto regnante, diei xxix. Auguſti adligato, numerari tradit. Qua de re infra.

(a) U.C. 870.

§. 5. Hanc, quam Pagius inſinuat, de numerandis in nummis Ægyptiacis Imperatorum annis opinionem laudat & ſequitur Inluſtriſſimus Philippus a Turre (*b*), quo ſe expediat a nummis Anniæ Fauſtinæ & Aquiliæ Severæ cum L. E., *anno quinto* Elagabali mariti, quem nonniſi *annos tres, menſes novem, ac dies quatuor* imperaſſe, Dio Caſſius (*c*) eſt auctor. Nummis vero Galbæ & Hadriani, quos Pagius adducit, unum L. Veri (*d*) cum L. ΔΕΚΑΤΟΥ, *anno decimo*, & alterum Otaciliæ Philippi Auguſti Uxoris cum L. Z, *anno ſeptimo* addit (*e*), eodemque modo explicat. Pagius tamen, quum perſpexiſſet, [inquit Valſechius (*f*)], quam levi inanique fundamento ea opinio ſuperſtructa eſſet, eamdem poſtea non uno in loco aperte abdicavit. Nam *quoad nummos græcos, in quibus plures Imperii anni leguntur, quam reapſe Auguſti regnarint, vel idem dicendum* eſſe tradit (*g*) *ac de Latinis, in quibus anni Tribunitiæ Poteſtatis annos Imperii ſuperant*, [h. e. aut mendoſe deſcriptos, aut a Monetariis in iis cudendis erratum, aut annos unius Imperatoris alteri adtributos]; *vel exiſtimandum* eſſe *annos illos non ad imperium, ſed ad aliquod aliud nobis incognitum referri*. Certe porro patere docet Valſechius (*h*), *hoc loco Pagium pro nummis Græcis, quibus procul dubio*, ait, *accenſendi Ægyptii, ne verbum quidem de ea, annos Imperatorum a neomenia Thoth computandi, quam ipſis Ægyptiis alio loco tribuerat, ratione habere*. Hinc obſervat, nummos ipſos Hadriani cum L. KB, *anno viceſimo ſecundo*, poſt ejuſdem mortem percuſſos Pagium adſerere in urbibus longe ab Italia diſſitis, ad quas hujus mortis nuntius nondum perlatus erat. Hadrianus enim, qui die x. Julii e vivis exceſſit, intra menſem, nempe die x. Auguſti, *viceſimum ſecundum* Imperii *annum* auſpicaturus erat, ideoque non mirum, inquit (*i*) ipſe Pagius, ſi intra unum poſt obitum menſem, per univerſum Imperium novi Imperatoris inauguratio divul-

(b) In Diſſer. ad num. An. Fauſtinæ Cap. 3. p. 28. & ſeqq & cap. 7. Diſſ. Apolog. II.

(c) Lib. LXXIX. pag. 907. C.

(d) Vid. de hoc nummo numero XXIIII. hujus Animadverſionis.

(e) Pag. 37. 38.

(f) De init. imper. Sever. Alex. cap. XIV. p. 157.

(g) In Crit. ad an. Chr. 103. n. VII.

(h) Ibid. p. 158.

(i) Ad an. Chr. 138. num. III.

divulgata non fuerit. Quo in loco, quemadmodum & anno Christi CXXXI. nu. III., ubi laudat duos nummos Hadriani cum L. IE. *anno* XV., & anno CCXXXVIII. nu. IV., ubi refert nummum Maximini necnon Maximi ejus filii cum L. Δ. *anno* IV., hos annos more Romanorum, seu a die natali imperii expresse numerare Pagius dicitur a Valsechio (*a*). Hic tamen Philippo a Turre (*b*) videtur potuisse prætermitere, *non uno in loco Pagium opinionem hanc suam abdicasse*. „ Nam in priore loco, qui objicitur, *inquit Inlustr. Præsul*, Pagius aperte loquitur de nummis tantummodo *Græcis*, & Valsechius sua sponte, eoque invito, iisdem accenset *Ægyptios*. In secundo, explicat quidem nummos Hadriani alio modo, qui tunc obvius illi erat, sed priorem non repudiat. In tertio & quarto, non opus erat adhibere modum Ægyptiacum; propterea quod anni expressi in nummis ejusdem Hadriani & Maximini non excedunt annos eorum imperii. Demum quis credat, doctissimum Chronologum, qui ad annum LXIX. hanc opinionem, uti *jure* ac *merito* ab aliis propositam, consulto suam facit & defendit, eam postea adeo leviter atque inconstanter deseruisse?

(a) Diss. de Init. Imp. Sev. Alex. cap. XIV. pag. 158.

(b) Diss. II. Apolog. de Ann. Imp. Elagab. &c. cap. 7. pag. 78. & 79.

§. 6. Perstiterit itaque in sua de nummis Ægyptiacis sententia Pagius, uti expresse perstat laudatus a Turre, ita nos in rem nostram arguimus. Si anni Ægyptii eo, quod annos imperii Augustorum excedunt, non a die ipsorum Augustorum natali, sed cum annis Ægyptiorum seu Alexandrinorum civilibus numerandi sunt; Tribunicia quoque Potestas, quum annos imperii pariter excedat, nequaquam a die natali Imperatorum, sed ab alio civili cardine numeranda erit. Nullus autem cardo civilis adsignari potest repetendæ Tribuniciæ Potestati aptior, quam dies x. Decembris, quo renovari Magistratus Tribunorum Plebis solebat, ac quo annus civilis eorumdem Tribunorum incipiebat: cum hoc igitur anno Tribunicia quoque Potestas Imperatorum numeranda erit. Nonnemini porro mirum videri potest, Præsulem doctissimum id non admittere de Tribunicia Potestate, quod de annis Ægyptiis acriter tuetur, quum utrobique, ni mea me fallit opinio, par sit ratio. Adlatis itaq; nummis Galbæ cum L. B. *anno secundo* ejus imperii, Hadriani cum L. KB. *anno* XXII., L. Veri cum ΔΕΚΑΤΟΥ, *anno decimo*, & Otaciliæ Uxoris Philippi cum L. Z. *anno septimo*, ita contra Valsechium Præsul ipse argumen-

argumentatur (*a*): *Nihil est certius, quam neminem ex his Augustis attigisse eum annum, qui in iisdem nummis notatur: hocque Cl. Valsechius non negat. Nihil proinde esse certius potest, quam eorumdem Augustorum initia non esse deducta a die eorum inaugurationis, seu a Natali Imperii.* Liceat vero etiam nobis ita argumentari. Occurrunt similiter ii Tribuniciæ Potestatis numeri, quos, si deducantur a die susceptæ primum Tribuniciæ Potestatis, non adtigisse Imperatores, nihil est certius; hocq; Clariss. Præsul non negat. Nihil proinde certius esse potest, quam ejusdem Tribuniciæ Potestatis initia non esse deducta a die, quo primum ipsa Tribunicia Potestas suscepta est. Animadvertit hoc ipsum Vir perspicacissimus, viditq; Valsechium sibi nummos objicientem Nervæ cum TR. P. III., & Volusiani cum TR. P. IIII., in quibus pariter plures anni notantur, quam Imperatores illi regnaverint. Rem vero hanc se non sollicitare scribit (*b*), contentum responsione Pagii, qui ad annum CIII. nu.VII. docet, *nummos hos atque alios Latinos, in quibus anni Tribuniciæ Potestatis annos imperii excedunt, aut mendose descriptos esse, aut a monetariis in iis cudendis erratum, aut annos unius Imperatoris alteri attributos.* Ne tamen hic Pagii canon nummis quoque Ægyptiis officiat, hæc subdit: *Nemo ullum ex his vitiis, nec ipse Cl. Valsechius, nostris Ægyptiacis nummis affixerit; cum tot sint numero, & tam certæ ac legitimæ notæ.* At, bona Viri amplissimi pace, nummi, in quibus Tribunicia Potestas excedit annos imperii, numero si non superant, nec certe superantur a nummis Ægyptiis, qui plures annos exhibent, quam Imperatores regnarint. Sed neq; certioris notæ hi præ illis sunt: nam easdem antiquitatis notas utrique præferunt. Quare cum Ægyptiis aut Latini quoq; admittendi sunt, aut omnes simul abjiciendi. Quod si abjiciantur, nullus erit reliquus nummus, qui abjici non possit, & sic potiora atque certiora antiquitatis monumenta peribunt. Stent igitur tum nummi hujus generis Ægyptii, tum Latini Tribunicia illa majori Potestate insigniti, maxime quum annorum in illis numerus cum numero Tribuniciæ in his Potestatis concordet. Unde fit, ut & invicem certiores reddantur, & uno eodemque modo explicari debeant. Cur autem ipsam Tribuniciam Potestatem ad normam annorum civilium Alexandrinorum non computemus, sed eosdem annos, qui in nummis Alexandrinis sunt, potius ad normam Tribuniciæ Potestatis exigamus,

(a) Eadem Diss. II. & eod. cap. 7. Vid. etiam Diss. I. cap. 3.

Annos Augustorum in nummis Aegyptiis, quia excedunt annos imperii eorum, non a die natali imperii, sed juxta annum civilem Aegyptiacum numerat Turrius.

(b) Ibid.

Simili modo Tribuniciam Augustorum Potestatem, quia excedit annos, quibus illam tenuerunt, juxta civilem Tribunorum Pl. annum numerat Auctor.

ratio & auctoritas faciunt. Nam, ſicuti ratio omnis poſtulat, ut potius reliqui per orbem Romanum Populi ad Romanos, quam hi ad illos in computandis Imperatorum annis ſe conformarint, ita eadem ratio vetat, ne credamus, Romanos ipſos in numeranda Imperatorum Tribunicia Poteſtate ſeſe ad Alexandrinorum annos civiles conformaſſe. Jure itaque ac merito Ægyptii ſeu Alexandrini in dinumerandis Imperatorum annis conformare ſe potuerunt dinumerandæ Tribuniciæ Poteſtatis rationi, quam Romani tenebant. Quin reipſa ſe conformaſſe credi poſſunt; quippe præter alia auctor eſt Dio, *juxta Tribuniciam (a) Poteſtatem* Imperatorum *dinumerari* etiam *eorum annos principatus* conſueviſſe.

(a) Lib. LIII. pag. 508. D.

Par ratio computandi juxta annum civilem in nummis Aegyptiis Imperatorum annos ac Tribuniciam Poteſtatem in nummis & inſcriptionib. Latinis.

§. 7. Demum, etiamſi annos Imperatorum Alexandrini juxta ſuum annum civilem dinumeraſſent, non inde infringitur, quin confirmatur noſter numerandi Tribuniciam Poteſtatem modus: nam, quemadmodum Alexandriæ anni, ita Romæ Trib. Poteſtas juxta civilem annum computari debuit. Etenim juxta civilem annum computatos eſſe Alexandriæ annos Imperatorum, inde arguit Turrius, quod anni ipſi in nummis Ægyptiis excedant tempus imperii; at Tribunicia quoque Poteſtas in nummis Latinis excedit tempus principatus; atque adeo civili modo etiam ipſam computari oportuit. Nullus autem annus civilis Tribuniciæ Poteſtati congruentior fuit quam ille Tribunorum plebis; quare hunc illi aptare non veremur ea prorſus ratione, qua annos Imperatorum annis Alexandrinorum civilibus Pagius ac Turrius cum aliis aptant. Itaque docent Viri Cl. (*b*), Alexandrinos Imperatorum annos non a die natali eorum imperii, ſed a Neomenia Thoth fixi, hoc eſt a die XXIX. Auguſti numeraſſe; *ita nimirum, ut, ſi quis ante eam diem ſalutatus fuiſſet Imperator, nummi ei percuſſi fuerint cum anno primo uſque ad dictam diem* XXIX. *Auguſti; exinde vero cum anno ſecundo, & ſic de aliis.* Simili ratione nos dicimus Romanos Tribuniciæ Poteſtatis annos non die natali ejuſdem Poteſtatis, ſed die x. Dec. iteraſſe, ita nimirum, ut, ſi quis ante eam diem accepiſſet Tribuniciam Poteſtatem, nummi ei percuſſi fuerint cum Tribunicia Poteſtate prima uſque ad dictam diem x. Decembris; exinde vero cum Tribunicia Poteſtate ſecunda, & ſic de aliis.

(b) Vid. Turr. eccl. cap. 7. Diſſ. II.

§. 8. Ipſi vero Pagio ac Præſuli a Turre concedit Valſechius (*c*), ad Ægyptios id referri, quod ſic tradit Dio (*d*): *Diem:*

(c) Diſſ. de Init. Sev. Alex. cap. 14. pag. 143.
(d) Lib. LI. cap. 457. A.

Diem, quo capta fuit Alexandria, festum esse censuerunt, ab eoque reliquis annis numerandis initium sumendum. At nos observamus ad Romanos idipsum potius pertinere. Narrat itaq; historicus, audita Romæ Antonii morte decretas ibi Augusto coronas & supplicationes multas, & quum alia, tum de Ægyptiis triumphum ei concessum esse: *diem etiam, quo capta est Alexandria, festum esse censuisse; ab eoque reliquis annis numerandis initium sumendum; & ut Cæsar per omnem vitam haberet Tribuniciam Potestatem.* Factum id anno U.C. DCCXXIIII; at neutrum hoc postremum ab Augusto receptum est: nam & annis numerandis, Consularibus quidem initium a Kalendis Januariis, Urbis vero conditæ ab XI. Kal. Maji etiam posthac sumptum est; & Tribunicia Potestate Cæsar tum abstinuit: quippe qui nonnisi anno demum U.C. DCCXXXI. hanc denuo decretam accepit. Præterea dies, *quo capta fuit Alexandria,* fuit primus mensis Augusti, teste lapide (*a*), qui habet: K*alendis* AVG*usti* AVG*ustus* ALEXANDR*iam* RECEPIT: at vero novi anni Alexandrini initium diei XXIX. ejusdem mensis adligatum inde est, & annus Ægyptius vagus adhuc fuit.

Senatus Consultum de ineundo anno die, quo capta fuit Alexandria, Romanos potius quam Aegyptios respiciebat.

§. 9. Negat tamen Valsechius (*b*), annos Imperatorum in nummis Ægyptiis juxta annum Alexandrinorum civilem diei XXIX. Augusti adligatum numerari, ut cum Pagio vult Turrius; sed, quemadmodum Tribuniciam Potestatem in nummis Romanorum, ita eos annos in nummis Ægyptiis a die Principum natali numeratos esse contendit. At vero nos, qui nec ipsam Tribuniciam Potestatem die anniversario multiplicari concedimus, aliter impetendam credimus Pagii Præsulisq; a Turre sententiam. Nerva igitur regnavit *annum unum,* (*c*) *menses quatuor, diesq; novem*, h. e. a die XVIII. Septembris anni U.C. DCCCXLVIIII (*d*) ad diem XXVII. Januarii U.C. DCCCLI, in quod tempus una tantum Neomenia Thoth vagi, unumque anni Alexandrinorum fixi principium incurrit; adeo ut, si Nervæ anni computentur Ægyptiorum more, duo ad summum haberi in nummis queant. At vero nummi exhibent L. Γ. *annum tertium*. Hinc Harduinus (*e*) nummos quidem fatetur esse Ægyptios, sed eorum annos ab autumno cum Græcis exorditur. Hoc tamen gratis, ut ajunt, adserit. Aliquis vero forte dicet, hujusmodi nummos extra Ægyptum a Græcis Populis, qui cum autumno annum incipiebant, percussos esse; & hinc Nervam postremis unius anni diebus con-

Cum Valsechio sed alia ratione, negatur, annos Impp. in nummis Aegyptiis die 29 Augusti renovatos esse.

(a) Apud Blanchin. Tom. II. Anast. Bibl. in Append. ad Chron. pag. CCXXII. & apud Murat Thes. Inscrip. Tom. I. pag. CCCV. Tab. C.

(b) Diss. de Init. Sev. Alex. cap. 14. pag. 144.

(c) Dio Cass. Lib LXVIII. p. 771 B.

(d) Chr. 96.

(e) In Hist. Aug. passim.

ſalutatum Imperatorem, integrum, qui ſubſequebatur, annum exegiſſe, tertiumq; adtigiſſe, antequam moreretur. At hæc opinio magis quidem reliquis accedit ad verum, quia tamen id nondum adſequitur, ſuis non caret difficultatibus. Etenim nummos hujus generis extra Ægyptum percuſſos eſſe, non eſt credibile: quippe eorum fabrica, tum etiam ſymbola imagineſque Ægyptiorum Numinum, quæ in eis paſſim occurrunt, Ægypto illos adjudicant. Certiores vero aliquando nos reddit ipſius *Alexandriæ*, quod in eis legitur, nomen. Quin & ipſa nominis prætermiſſio, quæ in iis ſæpius obſervatur, opinioni noſtræ favet; id enim ab Alexandrinis contra aliarum fere Urbium morem fieri ſolitum, conſtat ex nummis ſuperiore, ac quo Regibus parebant, tempore percuſſis. Præterea tot tantique ſunt hujus generis nummi, ut nonniſi Alexandriæ, maximæ poſt Romam urbi, convenire commode poſſint. Porro Alexandrini, jam tum imperante Auguſto, anno ſuo vago frenos injecere, atque diei XXIX. menſis Auguſti Romani adligarunt ejus principium: Ægyptii vero adhuc poſthac uſi ſunt anno vago. Teſtatur id Theon (*a*). *Quoniam*, inquit, *annus Græcorum, id eſt Alexandrinus, eſt dierum* CCCLXV. *cum quadrante, Ægyptiacus autem dierum, ut diximus*, CCCLXV. *tantummodo, perſpicuum eſt, quarto quoque anno diem unum ad Alexandrinum accreſcere, in annis autem* MCCCCLX. *dies* CCCLXV, *ideſt annum unum Ægyptiacum. Deinde unum rurſus Alexandrini habent anni cum Ægyptiis initium, dies deinceps menſeſque pro forma temporum Ægyptiacorum, uno tamen id dumtaxat anno. Sequentis anni initio quarta rurſus diei parte annum ſuum faciunt auctiorem Alexandrini, & ſic deinde conſequenter. Eſt autem ſupradicta annorum* MCCCCLX. *reſtauratio a certi quodam temporis initio accerſenda, a quinto ſcilicet Auguſti anno, ut proinde ab hoc uſque tempore novum capiant Ægyptii ſuæ ſupputationis exordium, ut quolibet deinde anno, quarta diei parte, annum Alexandrinum antecedant*. Annus Auguſti *quintus*, cujus meminit Theon, numeratur ab anno U. C. DCCXXIV., quum M. Antonio & Cleopatra mortuis, *Ægyptii* (*b*) *in poteſtatem ditionemq; Populi Romani* per Auguſtum *venerunt*. Quapropter initium anni Ægyptiaci *Pio & Bruttio Præſente*, anno Urbis Romæ DCCCXCII. (*c*) *Conſulibus* (*d*) *fuit ante diem* XII. *Kal. Auguſti*; anno autem U. C. DCCCCXCI (*e*) *Ulpio & Pontiano Coſs. fuit ante diem* VII. *Kal. Jul.*, teſte (*f*) Cenſorino. Quæ, quum

Alexandrini anno ſuo vago frenos injiciunt.

(a) Theon. fragmen. Græca verba habentur apud Dodvell. in Faſtis ipſius Theonis.

(b) Cenſorin. de Die Natal. cap. 8. Edit. Aldi 1581.

(c) Chr. 139.

(d) Cenſorin. ibid

(e) Chr. 238.

(f) Ibid.

quum ita ſint, oſtendunt, nec annum Alexandrinum, nec Ægyptium cum annis, qui leguntur in nummis Nervæ, poſſe concordari. Quod ſi quis cum Harduino velit, hujuſmodi nummos eſſe quidem Ægyptios, ſed eorum annos ab autumno cum Græcis incipere, adhuc tamen ex iis, quæ ſumus infra (*a*) producturi, conſtabit inter hujuſmodi annos & nummos minime convenire. Ita vero demum inter utroſque conveniet, ſi anni, qui ſunt in Imperatorum nummis juxta Tribuniciam ipſorum Poteſtatem dinumerentur, & Tribunicia Poteſtas die x. Dec. ſingulo quoq; anno renovetur, prout noſtra fert opinio. Obſervatur enim, quoſdam inito jam autumno admotos imperio, ante ipſius autumni exitum imperii annos renovaſſe. Certe electio Nervæ nonniſi poſt cœptum autumnum reſciri ab Ægyptiis aut Græcis potuit. Tardius etiam aliquot alios factos Imperatores videbimus (*b*), qui tamen renovaſſe mox cum Tribunicia Poteſtate annos imperii dicendi neceſſario ſunt.

(a) Hac ipſa Animadverſ., & de Votis Decennal.

(b) Ut ſupra.

Annus primus Epocharum fere incompletus.

§. 10. De Epochis nunc agendum eſt; nam, quum dinumeratio annorum imperii ſit Epocha ſive Æra quædam particularis, quæ non differt ab univerſali niſi in eo, quod cum unoquoq; Principe finiatur, ad modum reliquarum Ærarum procedere & ipſa debet. Reliquæ porro Æræ, quum illigari ſoleant fixo cuidam principio, ſtatim atque ad illud deveniunt, iterantur, etiamſi annuum tempus non expleverint. Quod tamen prima tantum vice accidit. Neque enim credendum Epochas tum Græcas tum Latinas, quas juxta annos civiles procedere fere videmus, eodem ipſo die, quo & annus civilis, prima vice cœpiſſe: hoc enim non eſt probabile, neque cum hiſtoria concordat. Sed, quocumque infra annum tempore hujuſmodi Epochæ cœpiſſent, mox, ut ad principium anni civilis, ſive alterius determinati temporis, cui illigari debebant, ventum erat, iterabantur, eodemque ordine ac ſpatio, quo civilis annus, in poſterum procedebant ita, ut cum annis civilibus exinde inciperent, atque finirentur. Hinc fiebat, hodieque fit, ut una & eadem res, quæ nempe exeunte anno cœpit, etiamſi modicum duret, dummodo ineuntem annum adtingat, duos complectatur annos. *Nam, ut a noſtris*, inquit Cenſorinus (*c*), *ita ab Ægyptiis quidam anni in litteras relati ſunt; ut quos Nabonnagarii nominant, quod a primo imperii ejus anno conſurgunt; -- item Philippi, qui ab exceſſu Alexandri Magni numerantur*

(c) De Die Natali cap. 8.

rantur --. Sed horum initia semper a die primo mensis ejus sumuntur, cui apud Ægyptios nomen est ΘΩΘ. Aliam etiam recenset ibidem Censorinus Ægyptiorum Epocham, nempe *annorum Augustorum*, ab iis institutam, ex quo *in potestatem ditionemq; Populi Romani venerant*. Quis porro credat, die primo mensis Thoth & regnare cœpisse Nabonnagarium, & excessisse Alexandrum, & in potestatem ditionemq; Populi Romani venisse Ægyptios? Nemo sane credet; historia quippe obstat. Multo etiam minus persuaderi quis poterit, omnes illas variasque res & inlustria facta, a quibus varias multasque Epochas deduxerunt Populi, eodem ipso die, quo apud ipsos incipiebat annus civilis, cuique illigatas easdem Epochas videmus, adamussim contigisse: hoc enim nec factum est, nec fieri ullo modo potuit. Passim occurrunt in Græcis nummis hujusmodi Epochæ, & pæne unaquæque regio, ne dicam civitas orbis terrarum suas habuit habetque Epochas, quas cum civilibus ipsarum annis processisse, & nunc procedere scimus. Sunt etiam, qui de ejusmodi Epochis scribunt, caussasq; tradunt, unde illæ initium duxerunt: atque inde constat, cur aliæ aliis superiores sint, numerumque exhibeant majorem annorum. Uno tamen ordine, eoque juxta civilem uniuscujusq; loci annum, fere omnes progredi dignoscuntur; etsi varias caussas adeoque & variam infra annum originem habuerint. Ex his itaque consequitur, annum primum cujusque Epochæ incompletum esse posse, quin passim esse.

§. II. Quod si quis dicat, res quidem aut inlustria facta, unde cœperunt Epochæ, infra annum accidisse, at non statim atque contigerunt, cœptas Epochas, sed exspectatum anni initium, cum quo illæ inirentur, indeque procederent; aut anticipatas autumet ipsas Epochas, deductasq; ab antecedente anni civilis exordio, is convinci poterit, non ita rem habuisse. Non est heic locus aut animus Epochas omnes examinandi, quin nec adtingendi, hoc enim ipsum postremum longius, quam fert nostrum institutum, esset: sed contenti erimus exempla adferre primarum in orbe civitatum. Et ut a Roma incipiamus, auctor est Censorinus (*a*), annos *Augustorum* numerari consuevisse ex *Kalendis Januariis, quamvis in ante diem* XVI. *Kalendas Februar. Imp. Cæsar, Divi Filius, Augustus sententia Munatii Planci, a Senatu ceterisque civibus appellatus est, se* VII. *& M. Vipsanio Agrippa* III. *Coss.*, anno nempe U. C. DCCXXVII. A quo

(a) De Die Natal. cap. 8. juxta Edit. Aldi 1581.

Anni Augustorum sive Augustani quorum primus incompletus.

A quo proinde anno ad annum U. C. dcccccxci, quo ſcribebat, annos cclxv, utique incompletos, ſaltem quoad annum primum, numerat ipſe Cenſorinus. De ſecunda poſt Romam Urbe, Alexandria nempe Ægypti, ſcribit Eminentiſſimus dignitate & eruditione Noriſius (*a*) Alexandrinos, quum Diocletianus Auguſtus Achilleum, qui in Ægypto tyrannidem aliquot annos exercuerat, deviciſſet, Æram ab imperio Diocletiani, ut hunc ſibi mitiorem redderent, inſtituiſſe, & ejus annos a prima die Thoth ineundos juſſiſſe; quamvis imperium Diocletiani anno Chriſti cclxxxiiii. (*b*) cœpiſſet juxta Alexandrinos die xxiiii. menſis Athyr, ſive xx. Novembris apud Romanos. *Ita illi imperium Diocletiani ab ineunte Thoth inchoarunt*, inquit, *id eſt, tertio menſe ante initium principatus Diocletiani; nempe ut novæ Epochæ idem, quod & anni civilis, exordium eſſet*. Ita Vir Cl., qui tamen in eo non placet, quod tertio menſe ante initium principatus Diocletiani ejuſdem imperium inchoaſſe Alexandrinos arbitratus eſt: hoc enim ſecum pugnare videtur; quod nempe ineunte Thoth anni Chr. cclxxxiv. imperium Diocletiani, quod nondum cœperat, immo nec futurum quiſque ſciebat, computare cœperint Alexandrini. At vero res ita ſe habuit. Die xvii. Sept. ſive xx. Novemb. an. U. C. mxxxvii, Chr. cclxxxiiii. imperium ſumpſit Diocletianus, & ab hoc tempore cœpta eſt in Ægypto Æra ipſius Diocletiani, quumq; perventum eſſet ad diem primam menſis ejus, cui apud Ægyptios nomen erat Thoth, quique annum civilem aperiebat, cum anno novo ſecundum quoque Diocletiani annum inchoarunt, annoq; civili Æram inde Diocletiani illigarunt, unaque in poſterum produxerunt.

(a) De Epoch. Syr. Mac. Diſſer. III. c. 6.

Aera Diocletiani incompleta.

(b) U. C. 1037.

§. 12. Tertia in orbe Romano civitas erat Antiochia Syriæ, eaque plures inſtituit adhibuitque Epochas. Nos iis omiſſis, quæ tempore, de quo agimus, ſuperiores ſunt, de illis breviter dicemus, quæ ad rem noſtram faciunt. Auctor eſt idem Eminentiſſimus Purpuratus (*c*), Antiochenos pluribus beneficiis a Cæſare circa principium Maji Juliani U. C. dccvii. ornatos, novam ob confirmatam ipſis tum temporis autonomiam, Epocham inſtituiſſe, cujus tamen initium ab autumno anni U. R. dccv. deductum voluerint, quod Cæſar novis legibus ea cuncta mala reparaſſet, quæ eo biennio ob Scipionis ac miniſtrorum rapacitatem, publicanorumq; avaritiam miſerrime paſſi fuerant. Animadvertit quippe Vir Cl.,

Epochæ Antiochenſis in honorem Cæſar. annus primus incompletus.

(c) Diſſ. III. de Epoch. Syro M. cap. 5.

nummos

nummos esse & alios characteres chronologicos, qui ab autumno anni U. C. DCCVI. annum jam secundum æræ Cæsarianæ numerant. Utitur quoque testimonio Chronici Alexandrini, ubi Latine legitur: *Ante diem* IIII. *Idus Majas, Indictionis primæ. Et proposita est in Urbe magna Antiochia Libertas ipsius, quando Romanis subjecta est, die* XX. *mensis Artemisii ab eodem Jul. Cæsare missa. Et appellatus est idem Jul. Cæsar Dictator apud Antiochiam die tertio ac vicesimo mensis Artemisii. Itaque nominatur in ipsius honorem magnæ Antiochiæ annus primus.* Petitus (*a*) eximie commendat hoc testimonium Chronici Alexandrini. Norisius vero, recte ipsum Petitum docere, subdit (*b*), ea, quæ ibi traduntur de libertate seu autonomia Antiochenis a Cæsare concessa, spectare ad annum U. Capitolinum DCCVI., sive Varronianum DCCVII, quo Cæsar ex Ægypto per Syriam contra Pharnacem profectus est: nam eo anno Cæsar erat Dictator iterum, quem Magistratum extra Italiam adiit. At bona pace Viri utriusque Cl. ea, quæ ab auctore Chronici ibidem de Antiochenis traduntur, non ad annum U. C. Varronianum DCCVII, sed ad DCCVI. pertinent: nisi quis ulterius illa ad annum DCCV. spectare contendat. Nomine itaque *Dictatoris Monarcham* Scriptor intelligit: Γάϊος Ἰούλιος Δικτάτωρ, ὅ ἐστιν Μονάρχης, *Cajus Julius Dictator*, inquit, *h. e. Monarcha, superbum ac tyrannicum in omnes imperium exercuit per annos* IIII. *& menses* VII, *ex ante diem* IIII. *Idus Majas, Indictionis primæ*. Evasit porro *Monarcha* Cæsar, quum victo apud Pharsalum Pompejo summa rerum potitus est. In confesso est apud historicos & chronologos, pugnam hanc in annum incidisse U. C. DCCVI; sed variant circa diem. At litem dirimit Kalendarium antiquissimum marmoreæ tabulæ, in Amiterni ruinis juxta oppidum S. Victorini effossæ, quæ describitur (*c*) a Clar. Muratorio. Itaque V. *Idus Augusti* notantur FER*iæ* Q*uod* E*a* DIE C. CAESAR C. F. PHARSALI DEVICIT. Concordat aliud Kalendarium pariter antiquissimum, cujus fragmentum publici juris fecere Cl. Viri Franciscus Blanchinius, & P. Joseph Roccus Vulpius e Soc. Jesu, ac rursum edidit Muratorius (*d*), nam in hoc etiam fragmento ad eamdem diem sic habetur: DIVVS IVL. PHARS. VICIT. Quo ex prælio fugiens Pompejus, *ubi Cyprum pervenit* (*e*), *ibi cognoscit, consensu omnium Antiochensium, Civiumque Romanorum, qui illic negotiarentur, arcem Antiochenam captam esse*

excludendi

(a) Libro IIII. Eclog. Chronol. cap. 16.

(b) Eod. cap. 5.

(c) Pag. CL. Tom. I. Thes. Inscript. Tab. B.

(d) Tom. I. Thes. Insc. pag. CCCV. Tab. C.

(e) Cæs. Lib. III. de Bell. Civ.

excludendi sui caussa, nuntiosque dimissos ad eos, qui se ex fuga in finitimas civitates recepisse dicerentur, ne Antiochiam adirent; id si fecissent, magno eorum capitis periculo futurum. Quibus cögnitis rebus Pompejus deposito adeundæ Syriæ consilio, Pelusium pervenit, ibiq; interfectus est. Inde igitur enituit Antiochensium in Cæsarem studium, nam antea partes adjuverant Pompeji; indeque Cæsar beneficiis illos ornare cœpit. Confirmat hæc Malela, quem tamen in suam partem trahere conatur Norisius. In primis autem etiam ab ipso (*a*) dicitur Cæsar Δικτάτωρ, ὅ ἐςι Μονάρχης, *Dictator, h.e. Monarcha.* Hinc subdit, *imperii a Cæsare arrepti famam statim percrebuisse; mensis autem Artemisii seu Maji* XII, *Indictione, quæ deinceps vocata est, prima Antiochiæ factam esse ejusdem promulgationem: die autem* XX. *ejusdem mensis Antiochiam Urbem Jul. Cæsarem, misso edicto suo, liberam esse jussisse: Maji autem* XXIII. *eumdem Julium Cæsarem Dictatorem Antiochiam venisse: inde Alexandriam magnam profectum esse: quumque Thebaidi in Cleopatram, a fratre suo Ptolemæo expulsam forte incidisset, amore ejus correptum,* Ptolemæo regno Ægyptiorum pulso, ipsum regnum Cleopatræ concessisse. Quæ procul dubio ad annum U. C. DCCVI pertinent, inlustrantq; ea, quæ in Chronico Alexandrino leguntur. Quod si quis regerat, a pugna Pharsalica ad diem XV. Martii U. C. DCCX., qua occisus est Cæsar, non excurrisse annos IIII. mensesque VII, quot Cæsaris imperio adsignat Chronicon, id magis adhuc facit contra Norisium, qui *diem* IIII. *Idus Majas*, a quo imperium Cæsaris exorditur Chronicon, de anno U. C. DCCVII. interpretatur. Nos vero respondemus, aut mendum inesse in numero annorum & mensium in Chronico, ut consideranti patet, etiamsi a mense Majo U. C. DCCV. numerentur; aut eosdem annos computari debere juxta annos Alexandrinorum seu Græcorum civiles, ita ut primus incompletus sit, duretque usque ad principium anni circa initium Septembris, reliqui tres completi sint, perveniantque ad Septembrem U. C. DCCIX; exinde vero procedant septem menses usque ad diem XV. Martii DCCX. Quidquid porro hac de re sit, illud certe constat, ea, quæ de Antiochia habet Chronicon, ad annum U. C. DCCVI. pertinere. Inde etiam certi reddimur, institutam eodem anno in honorem Cæsaris ab Antiochensibus Æram fuisse, quamvis aliquanto citius, quam par erat, eam statui ab auctore Chronici, videri aliquibus possit. Itaque

(a) Libro IX. Chron. in princ.

 scribit:

ſcribit : ἀπὸ πρώτου ἔτους τοῦ Γαΐου Ἰουλίου Καίσαρος — ἤγουν ιβ', καὶ αὐτῆς τοῦ Ἀρτεμισίου μηνὸς Ἀντιοχεῖς τοὺς ἑαυτῶν χρόνους ἀριθμοῦσι : *A primo anno C. Julii Cæſaris – ac ipſo die* XII. *menſis Artemiſii* [ſeu Maji] *Antiochenſes annos ſuos computant.* Accedit Euſebius, qui hæc ſcribit in ſuo Chronico : *Pompejus prælio victus & fugiens, a ſpadonibus Alexandrini Regis occiditur. Ab hoc tempore Antiocheni ſua tempora numerant.* Pompejus autem anno U. C. DCCVI. *C. Cæſare P. Servilio Coſſ. jugulatus eſt* (*a*) *pridie natalem ipſius*, [qui natalis erat (*b*) *pridie Kal. Octobr.*], h. e. die XXIX. Septembris necatus eſt anni tum luxati, qui dies in anno correcto ſeu Juliano correſpondet diei XXV. menſis Quintilis (*c*), qui poſtea Julius ab eodem Jul. Cæſare dictus eſt. Demum alia quoque beneficia, quæ Cæſar in Antiochenſes contulit, ob quæ novam illos in ejuſdem honorem inſtituiſſe Epocham docet Noriſius, ſpectant ad annum U. C. DCCVI, non vero ad DCCVII, in quem ea differt Vir Clar. Scribit itaque Dio (*d*), Cæſarem, quum poſt pugnam Pharſalicam Pompejum perſequeretur, aliquamdiu in Aſia commoratum, ea, quæ in Aſia ipſa reſtabant, occupaſſe ac conſtituiſſe, tantum pecunia imperata, *ac non modo nullo præterea maleficio injuncto, ſed quantum ejus fieri potuit, beneficiis in omnes conlatis* : τοὺς γοῦν τελώνας πικρότατα σφίσι χρωμένους ἀπαλλάξας, ἐς φόρου συντέλειαν τὸ συμβαῖνον ἐκ τῶν τελῶν κατεστήσατο : *Aſiam enim*, in qua & Antiochenſes, *a publicanis, qui eam acerbiſſime habuerant, liberavit, & vectigalia in tributi formam redegit.* Quæ quum ita ſint, omnia, quæ occaſionem Antiochenſibus inſtituendæ in honorem Cæſaris novæ Epochæ præbere potuerunt, in æſtatem anni U. C. DCCVI. inciderunt; adeoq; ab eo tempore anni Cæſarianæ Epochæ apud eoſdem Antiochenſes numerandi procul dubio ſunt.

(a) Vellej. Lib. II. cap. 53.
(b) Plin. Libro XXXVII. c. 2.
(c) Vid. Uſſer. in Annal. Vet. Teſt. ſeu ætate M. VI. ad ann. M. 3956. ante Æram Chr. 48.
(d) Libro XLII. pag. 188. C. D.

Epocharum anticipatio.

§. 13. Fatetur doctiſs. Petavius (*e*), ſtatim a Pharſalica pugna Antiochiæ geſta illa fuiſſe, quæ Chronici Alexandrini Auctor habet : Epocham tamen in eorum memoriam ab Antiochenſibus inſtitutam, ab autumno ſuperioris anni U. C. DCCV. cœptam fuiſſe tradit. At hoc non placet, ac multo etiam minus placet, quod habet Noriſius, Antiochenſes ſcilicet Epocham, quam anno U. C. DCCVII. inſtituerunt, ab anno DCCV. numerare cœpiſſe : quippe nobis fieri poſſe non videtur, ut Epocha ab eo tempore numeretur, quo illa nondum erat. Novimus quidem, alios etiam Viros Cl. anticipare Epochas, ut cum annis civilibus eaſdem componant : at bona ipſorum

(e) Libro X. de Doctr. temp. cap. 64.

pace

pace hujuſmodi anticipatio perſuaderi nobis nullatenus poteſt. Baſnagius (*a*) quoque de altera Epocha, quam in honorem Auguſti poſt partam de Antonio & Cleopatra apud Actium die ſecunda Septembris anno U. C. DCCXXIII. victoriam Antiochenſes inſtituerunt, diſſerens, difficultates quaſdam eaſque graves movet contra Pagium ac Noriſium, qui eodem anno eam Epocham ab Antiochenſibus invectam volunt: ipſe vero rationes adducit, quibus hanc Epocham nonniſi anno ſequenti U. C. DCCXXIIII. inſtitui potuiſſe ab ipſis Antiochenſibus, probare conatur. Attamen fatetur probabilitatis multum accedere Noriſianæ ſententiæ, *admiſſa præcipue anticipatione Antiochenorum, qui anno* U. C. DCCXXIIII. *Æram a ſuperiore Septembri ſuam deduxere*. Sane, ut & nos, quæ ſentimus, in medium adducamus, ea, quæ *de Didio Syriæ præfecto* Viri Cl. Pagius (*b*) ac Noriſius (*c*) referunt in autumnum U. C. DCCXXIII., Dio (*d*), quem citant, nedum differt in ſequentem annum, verum etiam conjungit cum iis, quæ non multo ante captum a Cæſare Auguſto Peluſium receptamque *Kalendis* (*e*) *Auguſti Alexandriam* acciderunt. Hinc Herodes Judæorum Rex faſſus eſt (*f*) apud Auguſtum, Rhodi poſt hiemem ejuſdem anni U. C. DCCXXIIII. degentem, *quod Antonium pugna Actiaca victum non deſeruerit*. Poſtea vero *Q. Didio adverſus gladiatores auxilia miſerat*. Bibulo ſucceſſerat Q. Didius: de illo autem hæc ſcribit Appianus (*g*): Βίβυλος ἐναυάρχησεν Ἀντωνίῳ, καὶ Καίσαρι ἐς ἀλλήλους ἐπόρθμευσε, καὶ στρατηγὸς ἀπεδείχθη Συρίας ὑπὸ Ἀντωνίῳ, καὶ στρατηγῶν ἔτι αὐτῆς, ἀπέθανεν. *Bibulus Præfectum egit claſſis Antonii, ac contra Cæſarem naves duxit, præpoſituſque Syriæ ab Antonio, in ejus adminiſtratione mortuus eſt.* Cujus loci, ſi quid ego judico, ſenſus ille eſt, Bibulum, poſtquam in bello Actiaco Antonium contra Cæſarem adjuvit, regendam accepiſſe ab eodem Antonio Syriam, in eaque poſtea mortuum. Hinc Bibulo ſucceſſit Didius. Præterea, quum adhuc anno U. C. DCCXXIIII. Dio (*h*) nobis repræſentet Antonium & Cleopatram in Ægypto ſe parantes contra Cæſarem, tamquam & claſſe & pedeſtribus copiis belligeraturos, in eumque finem τὰ ἔθνη τὰ ὁμόχωρα, *vicinos populos* & Reges amicitia ſibi junctos ad auxilia convocaſſe ſubdat, ni Syros heic intelligamus, vereor, ne ſint alii populi, qui in Antonii fide eouſque ſteterint. Longinquiores enim ſtatim poſt pugnam defecerant; rebellarant quoque Lybici exercitus, adeoq; ſoli

(a) In Annal. Pol. Eccl. ad ann. ante Dom. 30. U.C. 724 nu. XIV. & XV.

(b) In Appar. ad Ann. nu. CIV. ad an. U.C. 723.

(c) Diff III. de Epoch. SyroMac. cap. VII.

(d) Lib. LI. pag. 446. & ſeqq.

(e) Apud Blanchin. Tomo II. Anaſt. Bibl. in Ap. ad Chron. pag. CCXXII.

(f) Joſeph Lib. I. de Bell. c. 20. alias 15. & Libro XV. Ant. cap. 6. al. 10.

(g) Lib. IIII. de Bell. Civil. pag. 984. al. 611. Vid. Animad. VIII. de Octav. in Nummis Oppii nu. III.

(h) Lib. LI. pag. 446. D.

fuisse Syri videntur, qui fidem Antonio ad id tempus servaverint. Hæc, quæ adtigimus, ostendunt, alteram hanc Antiochensium Epocham in annum U.C. DCCXXIIII. differendam esse.

Laodicenses quoque in Syria conlatorum sibi a Dictatore Julio Cæsare circa initium mensis Maji anni Juliani U.C. DCCVII. beneficiorum memoriam ad seros posteros transmissuri, novam in honorem ipsius Cæsaris suæ Urbis Epocham instituisse dicuntur ab eodem Viro Cl. Norisio (*a*), cujus annum primum esse voluerint illum ipsum Urbis Romæ DCCVII, qui tunc in anno luxato Romanorum decurrebat; *ita tamen*, inquit, *ut caput ejusdem Epochæ ab initio anni civilis Macedonici, cujus altera jam pars labebatur, deduceretur; novaque Epocha idem, quod vetustior ibidem Seleucidarum habuerat, initium ab autumno desumeret. Quare, quum ille annus ab autumno A. U. Romæ* DCCVI. *exordium habuisset, inde etiam recens Laodicensium Epocha incœpit*. Ptolemenses quoque Phœniciæ pluribus beneficiis ab eodem Cæsare, eodemq; fere tempore ornatos, in honorem ipsius novam Epocham instituendam decrevisse subdit Norisius (*b*); *cujus annum primum illum ipsum, qui tunc in cursu erat, esse voluerint, qui nempe cœperat ab autumno A.U.* DCCVI. Ita Commageni, quum anno U.C. DCCCXXV. imperante Vespasiano, adjecti sint Romano imperio, *eundem annum, qui apud ipsos inierat ab autumno A. U. Romæ* DCCCXXIIII, *Antiocho apud ipsos adhuc regnante, caput & initium novæ Æræ instituerunt* ex eodem Norisio (*c*). Quapropter constans esse videtur Viri Emin. opinio, Epochas, quoties infra annum instituerentur, adhuc tamen ab initio anni civilis eas antecedente deductas numeratasque fuisse. Quam in sententiam Viros eruditos doctosque traxit Norisius, pro maxima, qua pollet præsertim in hujus generis rebus, apud eosdem auctoritate.

(a) Diss. III. de Epoch. SyroMac. cap. VIII. 2.

(b) Diss. IV. de Epoch. SyroMac. Cap. V. 2.

(c) Diss. II. de Epoch. Syro Mac. cap. IV.

Ab Auctore non admittitur anticipatio temporis in Epochis.

§. 14. At bona tanti Viri aliorumq;, qui cum ipso sentiunt, venia, eadem sententia nullatenus mihi suaderi, multo etiam minus persuaderi potest. Nam fieri, nec potuisse nec posse mihi videtur, ut, quod cœpto jam anno incipit, idem cum anno principium obtinere possit. Si enim primum incipit annus, tempore etiam præcedere debet. Et, si Epocha tardius incipit, posterior etiam principio anni procul dubio est. Hæc autem clariora mihi videntur luce meridiana. Quæ itaque cœpto, ac multo magis adulto; aut senescente anno accidunt, seu incipiunt, aliquo saltem, sive etiam multo tempore posteriora

sunt

ſunt initio anni; neque de hac re dubitari poteſt. Hinc Æræ Antiochenorum, Ptolemenſium, Laodicenſium, & Ægyptiorum, quæ cœptis jam annis civilibus eorum populorum initium, ipſo Noriſio docente habuerunt, ab eodem temporis cardine, quo iidem anni cœperunt, deduci nullatenus poterunt. Atque hæc certiora puto, quam ut probatione majori indigeant.

Annus primus Epocharum incompletus.

§. 15. Quod ſi anni hujuſmodi Epocharum infra annum cœptarum mox, ut ad proximum caput anni civilis ventum eſt, iterati noſcuntur, quod ſane verum eſt, id nequaquam ex eo accidit, quod ab initio anni ſuperioris deductus primus earumdem annus ſit; hoc enim, ut diximus, fieri non potuit: ſed inde evenit, quia tempus, quod a cœpta Epocha ad novum annum civilem excurrit, pro anno, incompleto tamen, habitum eſt. Ita vero fieri oportebat, quotieſcumq; nova Epocha cum anno civili conjungi, ac cum eo procedere debuit. Idipſum porro in quacumque alia re fit atque accidit, quoties nempe aliquod vagum principio alicui certo fixoque adligari placet; & perpetuo ac ubique ſervatum eſt, atque ſervatur, ut, quod unionem præceſſit, incompletum maneat. Eadem prorſus ratione Magiſtratus & alia quæcumque Officia, quæ præſtitutum habent tempus, ita ut determinato tempore incipiant, ac determinato pariter deſinant, mox, ut tempus ipſum advenit, dimitti ſolent ab iis, qui eadem adminiſtrarunt; etiamſi non integro illo tempore, quo Officia ipſa durant, eadem geſſerint. Sic demortuo in Magiſtratu Conſuli aut Tribuno Plebis alter ſufficiebatur; qui tamen, ceſſante juxta leges Magiſtratu, & ipſe ceſſabat. Quoties itaq; magnum aliquod beneficium Urbibus populiſve conlatum eſt, aut quid aliud magni accidit, hujuſque rei aut grati animi monumentum edi debuit, novæ Epochæ eæque vario infra annum tempore inſtitutæ ſunt; quum nec differri benefactoribus honor, nec rebus monumenta poſſent. Quamvis autem vago infra annum principio hujuſmodi Epochas admiſerint Urbes, ſæpius tamen cum anno, qui apud ipſas uſum obtinebat, eaſdem junxerunt. Quod ita factum eſt, ut adveniente anni civilis initio, cum eo annum quoque novæ Epochæ iterarent, unaque conjungerent, quo pari gradu ſimulque exinde procederent. Hinc evenit, ut primus ipſarum Epocharum annus paſſim incompletus remaneret.

§. 16.

Urbes Populique Græci annos Imperatorum annis suarum Epocharum aptabant.

§. 16. Hæc, quæ de Epochis Urbium Populorumque disputavimus, lucem roburque adferunt iis, quæ de Epochis singularibus uniuscujusque Principis suadere contendimus. Nam, si primus illarum annus fere incompletus fuit, eadem ratione primus etiam Epocharum singularium annus esse poterit incompletus. Hoc itaq; perpetuo servatum est a Græcis Populis, ut, statimatque factum novum Imperatorem audiebant, mox nummos ei cudi curarent, eumque annum, qui apud ipsos decurrebat, ei aptarent, quodcumque tempus anni foret, ac quamvis in exitu idem annus esset. Novo autem incipiente anno, novus etiam annorum numerus, is nempe, qui numerari tum incipiebat, mox eidem Imperatori aptabatur. Hinc modico temporis aut etiam dierum spatio duo diversi anni quandoque habentur, & plures demum, quam sint ii, quibus regnarunt, anni passim occurrunt: qui propterea incompleti, & quidem utrimque sumuntur. Occurrunt itaque uno eodemque anno duo Imperatores ita, ut unam ejusdem anni partem unus sibi vindicet, alter alteram. Exempli gratia tam Trajanus quam Hadrianus videntur in nummis (*a*) cum ΦΛ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ ΚΕ., *Flaviorum Chalcidensium anno* XXV. Imperium tenuit Trajanus usque ad diem X. Augusti U. C. DCCCLXX. (*b*), eique demortuo successit Hadrianus. Decurrebat tum annus Chalcidensium XXV. usque ad autumnum; quare majorem ejus anni partem Trajanus obtinuit, postremam Hadrianus habuit: cui tamen, ineunte paullo post novo Epochæ anno, nummos cum anno XXVI. Chalcidenses cuderunt. Quum enim Urbes Populique, quibus privilegium cudendæ monetæ competebat, nummos quotidie plurimos fabricarent, eosdemque vultu Principis tum imperantis insignirent, tum etiam suo nomine suæque Epochæ annis notarent; statimatque nuntium mortis ejusdem Principis, nomenq; successoris adferebatur, demortuo nummos cudere cessabant, & alteri, qui in imperio successerat, mox novos parabant, edebantque in publicum. Qua in re Urbes ipsæ Populique certabant, quo obsequentiores novis Principibus censerentur, eorumque voluntati morem gererent, gratiamque aucuparentur. Porro, quum vario vagoque infra annum tempore &, qui regnabant, morerentur, & ad imperium destinati seu electi succederent, passim eveniebat, ut uno eodemque anno civili duobus Principibus nummi cuderentur. Nec tantum id fiebat

(a) Noris. Diss. III. de Epoch. Syro Mac. capit. IX. 3.

(b) Chr. 117.

fiebat in nummis, ſed etiam in omnibus aliis actis ſeu monumentis, in quibus annus civilis nomenque Principis deſignari ſolebat. Hoc autem ſemper & ubique apud omnes nationes ſervatum eſt, hodieque ſervatur, prout notum cuique eſt. Hinc neceſſario factum eſt, & etiamnum fit, ut hujuſmodi anni incompleti utrimque ſint, ac pro incompletis ab omnibus ubique accipiantur.

Anni Imperatorum in nummis Aegyptiis incompleti.

§. 17. Quod porro de his, ac maxime de Epochis Urbium Populorumque Græcorum, iiſque tempore imperioque Principum Romanorum aptato dictum probatumque eſt, nempe primum annum paſſim incompletum fuiſſe, idipſum de annis quoque imperii, qui in nummis Ægyptiis eorumdem Romanorum Principum notantur, dici poſſe, nobis videtur. Nam præter exemplum ratio etiam ſubeſt, quæ nos ad id credendum impellit. Si enim annos, quos in his nummis obſervamus, pro completis numerare volumus, locus omnibus non remanet, adeo ut ſe invicem excludant, pugnentque cum hiſtoria: aut enim unus alterum ſupergreditur, aut e loco dimovet; quorum neutrum admitti poteſt. Neque vero alius, quem ego ſciam, hujuſmodi annos componendi reſtat modus.

Epochæ ſingulares, cujuſmodi ſunt illæ cujuſque Principis, non differunt quoad principium ab Epochis univerſalibus Populorum & Urbium.

§. 18. At forte aliquis dicet, annos quidem Epocharum eſſe ſumique poſſe tamquam incompletos, non vero annos cujuſque Principis, utpote, qui non juxta annos civiles, ſed juxta imperii ſuſceptionem dinumerari debeant. Nos vero reſpondemus in primis, id, quod toties dictum probatumque eſt, annos ſc., qui in nummis exhibentur, nullo modo cum ipſo imperio, ſi a die anniverſaria ipſius computentur, componi poſſe; illud enim paſſim excedere ac ſuperare dignoſcuntur. Quod vero ad Epocharum exemplum ſpectat, omnino ad rem facit. In eo quidem eſt differentia, quod Epochæ generales in longum tempus procedunt, ſingulares vero ceſſant cum vita imperioque ejus, cujus ſunt, Principis: at hoc finem, non principium earumdem Epocharum reſpicit. Nobis porro ſufficit, quod Epochæ tum generales Urbium atque Populorum, tum ſingulares imperii Principum quoad principium conveniant. Ceterum quoad finem nec ipſæ Epochæ generales conveniunt inter ſe; aliæ enim aliis magis durant; & quædam modico, quædam majori, aliquæ etiam plurimo temporis ſpatio continuatæ ſunt. Tres varias Epochas memorat ipſius Urbis Romæ Cenſorinus (*a*), primam ab Urbe condita,

(a) De Die Nat. cap. 8. Edit. Aldi 1581.

dita, secundam ab annis Julianis a Julio Cæsare constitutis, tertiam ab annis Augustanis in honorem Augusti institutis: nec tamen omnes hæ Epochæ eumdem obtinuerunt apud Romanos usum, aut æquo durarunt tempore: quin, quæ posterior reliquis fuit, Augustana scilicet, minus usurpata occurrit, minusque nota fuit, ac minori duravit tempore. Meminit idem Censorinus (*a*) plurium quoque Epocharum Ægypti: prima est Nabonnagarii, seu Nabonassari, quæ a primo imperii ejus anno consurgebat, quæque ejusdem Censorini tempore numerabat annos DCCCCLXXXVI: secunda Philippi, seu ab excessu Alexandri Magni, quæ Epocha tum annos DLXII. computabat. Tertia habebat annum CCLXVIII., eratq; instituta in honorem Augusti tum, quum in ejus venerunt Ægyptii potestatem. At post Censorinum quartam quoque Epocham, Diocletiani nempe, eo imperante, adoptarunt. Antiochenses similiter aliique Syriæ populi admiserunt Epochas tum Regis Seleuci, ibidem Alexandri M. successoris, tum postea Cæsaris. Ita vero factum est etiam a reliquis nedum Græcis sed & aliarum ubique gentium Urbibus; ut nempe varias variis temporibus admitterent Epochas, ac modo una, modo alia, prout res ferebant, uterentur. Atque hinc etiam evenit, ut quandoque prius cessaret, quæ posteriori, quam, quæ priori tempore instituta fuerat. Sive tamen modico, sive multo durarint hujusmodi Epochæ tempore, in hoc omnes convenere, quod cum annis civilibus aut fixo alterius temporis cardine conjunctæ processerunt, quodque primus eorum annus incompletus remansit. Quibus in rebus, sufficit nobis, si & Epochæ singulares conveniant, prout convenire nobis videntur.

(a) Ibid.

Differentia inter Epochas universales & singulares est quoad finem, non quoad principium.

§. 19. Objiciet adhuc aliquis, multumque interesse contendet inter Epochas Urbium & annos imperii Principum seu Epochas singulares; nam Epochæ generales, quamvis in honorem unius tantum sint primum institutæ, postea adoptatæ sunt etiam a posterioribus, communique usui aptatæ longo durarunt tempore. At vero Epochæ annorum imperii ita in unius tantum honorem institutæ sunt, ut cum ejusdem imperio vitaq; desierint. Hæc tamen objectio negotium nobis minime facessit; neque enim principium, sed finem Epochæ respicit: nam, quod modico vel longo Epocha duret tempore, id a methodo procedendi ipsius Epochæ, qua de re nos quærimus, alienum putamus. Alia itaque res est tempus, quo

Epocha

Epocha aliqua durat, alia modus, quo, dum durat, ipſa procedit. Ut vero conſtet nihil ad rem noſtram conferre tempus, quo durat Epocha, notandum eſt Epocham generalem nihil aliud eſſe, quam Epocham ſingularem continuatam, ita ut quæcumque Epochæ, ſi ceſſent cum eo, in cujus honorem inſtitutæ ſunt, ſingulares remaneant; ſi vero ulterius procedant, fiant generales in ea regione, ubi uſum obtinent. Quoties itaque continuanda eſt aliqua Epocha ſingularis, fierique debet generalis, præteritorum annorum ordo haudquaquam immutatur, nec aliter diſponitur; id enim fieri non ſolet, neq; poteſt; ſed juxta inſtitutum ordinem ulterius procedere permittitur. Idem propterea eſt principium Epochæ generalis ac ſingularis; & ſine ulla ejuſdem principii mutatione ſingularis evadit generalis. Epocha igitur Nabonaſſari primum inventa eſt ab Ægyptiis ad denotandos Regis ejuſdem annos imperii, ac tum fuit ſingularis; quia vero etiam poſt mortem ipſius ultra procedere permiſſa eſt, inde generalis evaſit. Ita Philippi Epocha & Auguſti apud eoſdem Ægyptios; utraq; enim uſi ſunt etiam poſt utriuſque mortem: quod pariter evenit Epochæ Diocletiani. Eodem modo Antiochenſes Syriæ, quia Epochas ſingulares Seleuci ac Cæſaris ultra imperium vitamque ipſorum procedere voluerunt, eaſdem reddiderunt generales. Atque hoc ipſum evenit omnibus aliis Epochis. Itaque differentia inter Epocham ſingularem & generalem non a principio, quod idem utriuſque eſt, ſed a temporis ſpatio, quo durat, repetenda eſt.

Epocharum eodem modo inſtitutarum aliæ uſum obtinuerunt, aliæ non.

§. 20. Neque etiam refert, quod Epocha jam tum a principio, ut eſſet univerſalis, inſtituta ſit, aut e contra ad ſolos alicujus annos deſignandos inventa ſit, adeo ut hæc ſingularis natura ſua eſſe debuerit. Nam in primis hoc finem Epochæ reſpicit, non principium, in quo, ſatis eſt, ſi Epocha ſingularis cum generali conveniat. Præterea Epochæ primum inſtitutæ ſunt ad denotandos annos ejus, in cujus gratiam inventæ ſunt: quod autem ultra ejuſdem annos vitamq; proceſſuræ forent, nec ne, ſciri tum, quum inſtitutæ ſunt, non potuit. Sane aliquot Epochæ in uſum inductæ videntur, ut eſſent univerſales, tamen paullo poſt principium finem quoque habuerunt. Aliquot vero aliæ, quæ potius ſingulares videbantur, evaſerunt generales. Ptolemæorum in Ægypto poſt Alexandrum M. Regum Epocha, quæ cum imperio Ptolemæi

Soteris initium habuit, vix ad filium successoremque Ptolemæum Philadelphum producta in nummis visitur (*a*): ceterorum quippe successorum imperii sui Epocham quisque signavit. E contra Seleuci Nicatoris, successoris in Syria ejusdem Alexandri M., Epocham ne dum ipsius heredes (*b*) & subditi, sed & alii vicini populi, in quibus Judæi, adoptarunt plurimoque temporis spatio adhibuerunt. Hujus Epochæ *anno* (*c*) *centesimo septuagesimo ablatum est jugum gentium ab Israel: & cœpit* (*d*) *populus Israel scribere in tabulis & gestis publicis: anno primo sub Simone, summo Sacerdote, Magno Duce, & Principe Judæorum*. Certe hæc Hebræorum Epocha esse non potuit magis universalis, & antiquasse videtur Seleucidarum, qua antea Judæi utebantur, Epocham. Attamen nec illa libertatis Israel usitata in iis, quæ supersunt monumentis, neque antiquata apud ipsos Judæos ista Seleucidarum scitur; quin hac ipsa adhuc usos legimus (*e*) eosdem Judæos. Anno U. C. DCCVI. Epocham instituerunt in honorem Jul. Cæsaris Antiochenses Syriæ, ac rursus aliam anno U. C. DCCXXIII, vel potius anno sequenti in honorem Augusti. Posterior hæc Augusti Epocha minori duravit tempore, quam anterior Cæsaris; nam vix tempore principatus Tiberii eadem Augusti Epocha occurrit in nummis (*f*); quum tamen posteriori tempore illa Cæsaris adhuc frequentata videatur. Verum quidem est, illam Cæsaris non tantum ad designandos hujus annos imperii post devictum Pompejum, sed etiam ad denotanda ipsius Cæsaris in Antiochenses beneficia institutam fuisse, adeo ut generalis jam tum a principio hujusmodi Epocha videri possit: quum illa Augusti ad designandum potius supremum ipsius post devictum Antonium imperium inventa sit, adeoque singularis prima origine exstitisse videatur. At, si hac ipsa Augusti Epocha, quamvis singularis illa esset, tempore principatus Tiberii Antiochenses usi sunt, cur non etiam imperantibus successoribus eadem uti potuissent? Alia ejusdem Augusti Epocha, ab eo tempore deducta, quo *Imperator Cæsar* (*g*), *Divi Filius, Augustus sententia Munatii Planci a Senatu ceterisq; civibus appellatus est, se* VII. *& M. Vipsanio Agrippa* III. *Coss.*, anno scilicet U. C. DCCXXVII, continuata est etiam post mortem Augusti; nam Censorinus *eorum* (*h*), *qui* hac de caussa *vocantur anni Augustani*, numerat annum *ducentesimum sexagesimum quintum*. Hæc tamen Epocha nedum singularis,

(a) Apud Vaill. in Numm. Regum Ptolemæorum.

(b) Apud eumd. in num. Reg. Syr.

(c) Lib. I. Machab. cap. XIII. v. 41. Joseph Lib. XIII. Antiq. cap. 11. nunc 6.

(d) Ibid. v. 42.

(e) Cap. XIV. ejusd. I. Lib. Machab. v. 1. & 27. Cap. XV. v. 10. & Cap. XVI. v. 14. Vid. etiam Libr. II. Machab.

(f) Vid. Noris. Differt. III. de Epoch. SyroMac. cap. 7. in fin.

(g) Censorin. de Die Natal. cap. 8. Edit. Aldi 1581.

(h) Ibid.

gularis, verum etiam ad denotandum quid omnino singulare, ne dicam privatum instituta, usu ipso universalis evasit. Quidni itaque Epocha Monarchiæ Augusti, quæ nedum ipsi Augusto, sed & successoribus stabilitum imperium denotabat, exemplo plurimarum aliarum hujus generis Epocharum fieri potuit universalis? Sane merebatur supra reliquas hæc Augusti Epocha, ut successores omnes illam adoptarent: nam *Augustus primus*, inquit Severus Alexander (*a*), *primus est auctor imperii, & in ejus nomen omnes velut quadam adoptione aut jure hereditario succedimus*. Quum igitur Augustana Epocha ad designandum quoq; imperium Tiberii ab Antiochensibus adhibita sit, continuari etiam in successoribus potuit. Neq; vero ejusdem Epochæ principium immutari tum debuisset aut potuisset, sed solum continuari debebat Epocha, manente incompleto primo ejusdem anno. Duos nummos Tiberio ab Antiochensibus cusos refert Harduinus (*b*), unum primæ molis ex gaza Gallorum Regia, alterum æris mediocris ex conlectione D. Foucault, nomine *Flacci* Syriæ apud ipsos *Antiochenses* Præsidis, annoque BΞ, *sexagesimo secundo* insignitos. Hic annus Epochæ Augustanæ concurrit majori ex parte cum anno U.C. DCCLXXXV. Neque enim explicari debet aut potest de Epocha Cæsariana; ita quippe concurrisset cum anno U.C. DCCLXVII: cui rei obstat alius ejusdem Flacci nummus Tiberio pariter cusus cum epigraphe in parte postica: ΕΠΙ ΦΛΑΚΚΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ΒΠ. *Sub Flacco Antiochensium anno* LXXXII. Qui quidem annus, etiamsi de Epocha Cæsariana, ut par est, accipiatur, incurrit in annum U. C. DCCLXXXVII, inter postremos principatus Tiberii, quum annus U. conditæ DCCLXVII. vix principium eidem principatui dederit. Consul fuit Pomponius Flaccus Fastis testibus anno U. C. DCCLXX. *Postea* (*c*) *Princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco & L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit: quorum alteri Syriam Provinciam, alteri præfecturam Urbis confestim detulit*. Flaccum Syriam obtinuisse anno U. C. DCCLXXV. ostendere conatur Norisius (*d*). Tacitus (*e*) vero ejus mortem recitat *extremo anni* U. C. DCCLXXXVI, quum adhuc Syriam regeret Provinciam. Hoc ipso anno cum autumno iniit annus Epochæ Cæsarianæ apud Antiochenos, quibus præerat Flaccus, LXXXII; ac cum statim & ante mortem Flacci cusus est nummus de-

(a) Lamprid. in Vit. Sev. Alexan. cap. 10.

(b) Harduin. in Chronol Vet. T. ad an. Chr. 31.

(c) Suet. in Tib. cap. 42.

(d) Differ. II. de Cenot. Pis. cap. 16.

(e) Annal. VI. cap. 27.

ſcriptus cum eodem anno. Nummus autem cum anno LXII. Epochæ Auguſtanæ pertinet majori ex parte ad annum U. C. DCCLXXXV. Ex his autem nummis manifeſtum fit, nec Epocham Cæſarianam intermiſſam tum temporis ab Antiochenſibus fuiſſe, ut credit Harduinus (*a*), nec Auguſtanam paullo poſt mortem ipſius Auguſti, ut Noriſius (*b*) tradit, antiquatam fuiſſe. Nullus tamen poſt eumdem Epochæ Auguſtanæ annum LXII. occurrit hucuſque, ea Epocha inſignitus nummus; ſed ſola Cæſariana Epocha comparet in poſterum. Quare hæc univerſalis, Auguſtana vero ſingularis, quæ tamen fieri cœperit univerſalis, dici poteſt. Non omittendus heic eſt nummus Muſei Theupoli (*c*) Auguſto dicatus, qui utraque Epocha inſignitus eſt hoc modo: ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, *Cæſaris Auguſti*. Caput Auguſti laureatum.)(ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. *Antiochenſium Metropolis*. Mulier turrita & velata ſedens, dextera palmam, pro ejus pedibus figura natans e flumine emergit; in area ϛΛ. ΔΝ., id eſt, *anno* Actiacæ Victoriæ, ſeu imperii Auguſti XXXVI, Antiochenſium LIIII.

(a) In Chron. V. T. ad an. Chr. 45. conl. cum ſuper.
(b) Diſſ. III. de Epoch. SyroMac. cap. 7. in fin.
(c) Pag. 831.

Valſechio occurritur.

§. 21. Scribit Valſechius (*d*), Syro-Græcos, quamvis cum civiles, tum ſuarum Epocharum annos ab autumno auſpicarentur, annos tamen Imperatorum a die initi imperii numeraſſe: quod patere tradit de Antiochenis ex eorum nummis Tiberio percuſſis, quos laudat Pagius ad annum Chr. XIV. num. IV., in quibus jungitur primus annus imperii Tiberii cum anno XLV. eorum Epochæ, a pugna Actiaca, ſeu ab imperio Auguſti in Syria deductæ, & annus tertius cum anno ejuſdem Epochæ XLVII. Subdit Vir Cl., Epocham illam Antiochenam cœpiſſe autumno anni U. C. DCCXXIII. ante Chriſtum XXXI, ut hoc ipſo anno in Apparatu num. CIV. ſtatuit idem Pagius: quare annus ejuſdem XLV. iniit autumno anni U.C. DCCLXVII. Chr. XIV, decurrente anno primo Tiberii, qui cœperat die XIX. Auguſti ejuſdem anni, & annus XLVII. autumno anni U. C. DCCLXIX. Chr. XVI, decurrente pariter anno tertio Tiberii, cœpto, inquit, die XIX. Auguſti ejuſdem pariter anni. Id patere ſubdit etiam de Seleucienſibus, quorum nummum Tiberio itidem percuſſum exhibet Eminentiſs. Noriſius (*e*), in quo annus pariter tertius imperii Tiberii cum anno XLVII. eorum Epochæ, quæ eadem eſt ac Antiochena, copulatur. Ita Valſechius: cui in primis reſpondemus,

(d) De init. Sev. Alex. cap. 14. pag. 143.
(e) Diſſ. III. de Epoch. Syro Macedon cap. 7. pag. 215.

mus, etiamsi die x. Decembris anni Tiberii, ut nostra fert opinio, renoventur, bene ipsis cum annis Antiochensium, ac Seleucensium, quos exhibent descripta numismata, constare. Quippe *primus* annus imperii concurrit cum anno Antiochensium XLV. ab ineunte autumno U. C. DCCLXVII. usq; ad diem x. Decembris ejusdem anni; & annus *tertius* concurrit cum anno Antiochensium ac Seleucensium XLVII. pariter ab ineunte autumno U. C. DCCLXIX. usque ad diem x. Decembris ejusdem anni, ut numeranti patet: quibus temporibus cudi potuerunt ea numismata. At vero notandum est, eamdem notam A. nedum cum anno Antiochensium EM. XLV, sed & cum ΓM. *quadragesimo tertio*, & cum ΔM. *quadragesimo quarto* junctam occurrere. Exhibentur hujusmodi nummi tabula prima Familiæ Juniæ Thesauri Morelliani Familiarum Romanarum, quem Thesaurum edidit inlustravitque Vir Clar. Sigebertus Havercampus, non sine laudis & amicitiæ titulo nominandus. Ita vero habent, & apud ipsum Havercampum describuntur (*a*): ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *In initio nomen sive litteræ* TI. *suppleri debent*. Tiberius Cæsar Augusti *scilicet* filius. *Caput Tiberii nudum*. A. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΓΜ. *In secundo* A. ΕΠΙ *&c.* ΔΜ; *in tertio* A. ΕΠΙ *&c.* EM: *in quarto* Γ. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΖΜ.: *omnes in corona laurea*. *Significant vero*, ait Vir eruditissimus, *priores cusam monetam Antiochiæ sub Silano esse*; *ultima vero cusam eandem Seleuciæ sub Silano esse*. *Litteræ vero* A. *vel* Γ. *in summo notant cusos nummos primo vel tertio Tiberii principatus anno*; *in extremo* ΓΜ. ΔΜ. ΕΜ. ΖΜ. *notant æram Antiochensium & Seleucensium*, *annos videlicet*, XLIII. XLIV. XLV. XLVII. Ita Havercampus, qui rem omnibus eruditis gratam fecisset, si explicasset, quomodo *primus* annus Tiberii cum annis XLIII. XLIIII. & XLV. Antiochensium componi potuerit. Ego ita explicari hæc posse existimo, ut dicatur, duplex in his nummis signari principatus Tiberii exordium, unum ab eo tempore, quo decretum est, *ut* (*b*) *æquum Tiberio jus in omnibus Provinciis exercitibusq; esset, quam erat Augusto*, alterum ab eo tempore, quum demortuo non multo post successit Augusto: qua de re seu duplici hoc principio plura jam plures Viri Cl. adnotarunt.

(a) Pag. 225. Comment.

(b) Vellej. Lib. II. cap. 121.

De quibusdam nummis duplici Epocha insignitis

§. 22. Laudatus Valsechius, quo magis ea, quæ tradiderat, quæque nos examinavimus, confirmet, Norisium citat, ipsumque adiri vult in Epochis addendis pag. 489, editionis

nempe

nempe Florentinæ anni MDCXCI. Heic itaque Emin. Auctor deſcribit aliquot nummos argenteos Neronis, in quibus anni, ut creditur, imperii ejuſdem cum annis Epochæ copulati exhibentur. In horum averſa parte viſitur Aquila fulmen unguibus ſtringens, cum ramo palmæ & epigraphe: ΕΤΟΥΣ ΑΙΡ. Θ, id eſt *anno* CXI. Epochæ, & *nono* Neronis; in aliis ΕΤΟΥΣ ΒΙΡ. Ι., ideſt *anno* CXII. Epochæ, & X. Neronis. Rurſum in quibuſdam hæ tantum notæ ſignantur ΗΡ. Ε, & in aliis ΗΡ. Ϛ., hoc eſt *anno* CVIII. Epochæ, & V. Neronis, vel CVIII. Epochæ, & VI. Neronis. Horum typos evulgaturum doctiſs. Toinardum, eumque, ut erat acutiſſimi ingenii, omnium primum obſervaſſe, Epocham in iiſdem ſcalptam, eſſe Antiochenam, cujus varii anni cum diverſis annis imperii Neronis junguntur, ſcripſit eodem loco Noriſius. Hinc docuit Neronem, qui Claudio die XIII. Octobris anni U. C. DCCCVII. ſucceſſit, *quintum* imperii annum die XII. Octob. anno U. C. DCCCXII. finiiſſe, ac die ſequenti iniiſſe *ſextum*, quum ageretur annus Epochæ Antiochenorum Cæſarianæ CVIII. cœptus paullo ante, ſcil. Kalendis Septembris, vel Octob. juxta diverſum inchoandi civilis Antiochenorum anni modum. Quare tum annum *quintum*, tum *ſextum* Neronis cum eodem CVIII. Antiochenorum copulari potuiſſe ſubdit. Annum autem imperii *nonum* iniit Nero die XIII. Octobris U. C. DCCCXV; ac ſub initium autumni, h. e., paullo ante cœperat etiam annus Antiochenorum CXI, cum quo conjungitur in nummis. Ita etiam *decimum* imperii auſpicatus eſt Nero die XIII. Octobris U. C. DCCCXVI; quum paucis ante diebus iniiſſet annus quoq; Antiochenorum CXII. Porro ex laudatis nummis apertiſſime demonſtrari tradit Noriſius, initium Epochæ Antiochenæ colligendum eſſe ab anno U. Romæ DCCV, ut alias pluribus argumentis eviciſſe ſe ſcribit.

Nummos hujuſmodi eſſe Antiochiæ in Syria vero ſimile eſt; ſed annos Imperii primum ab Imperatoribus ſumpti ibidem exprimi, non ſtatim conceditur.

§. 23. Equidem Antiochiæ cuſos eſſe nummos hujuſmodi, & in iis Antiochenorum Epocham notari, pronum eſt credere, ac veroſimile prorſus eſt. Antiocheni etenim præ aliis populis duplicem in ſuis nummis Epocham repræſentare conſueverunt; quæ res nummos ipſos, de quibus quærimus, Antiochenis potius quam aliis adjudicat: at Epocham utramque, non ad Auguſtorum imperium, ſed ad ſe retuliſſe ii videntur. Reſpexerunt quidem aliquod factum inſigne Imperatorum, ſed quod in rem beneficiumque proprium vergebat. Hinc annos

annos accepti beneficii notare soliti fuerunt. Itaque anno U. C. dcxcvi. novam Epocham incœperunt, quum Pompejus αὐτόνομον δὲ τὴν πόλιν εἴασε (a), *Urbem suis legibus uti permisit*. Rursus aliam anno U. C. dccvi. induxerunt, quum libertate aliisque beneficiis (b) a Jul. Cæsare sunt cumulati. Tertiam adhuc admiserunt anno U. C. dccxxiv. (c) post Actiacam Augusti victoriam, qua uni ipsi Augusto totum Romanum imperium accessit, & Antiochiæ privilegia sunt confirmata. Tres hujusmodi Epochæ comparent non tantum solitariæ, sed aliquando conjunctæ cum aliis Epochis. Exstat numisma argenteum majoris moduli (d) cum hac inscriptione ANTIOΧΕΩΝ ΝΕΩΚ. ϛ K. ATT. ΔN., *Antiochenorum Neocororum anno* xxvi, *Autonomiæ* liv. Annus hic *quinquagesimus quartus* ducitur ab anno U. C. dcxcvi, annus vero *vigesimus sextus* ab anno U. C. dccxxiv. Alia sunt numismata Augusti, argentea majoris moduli (e), in quorum uno legitur ΕΤΟΥΣ ϛ K. ΝΙΚΗΣ IB., hoc est, *anno* xxvi. *Victoriæ* xii; in altero ΕΤΟΥΣ ΘK. ΝΙΚΗΣ IE, hoc est, *anno* xxix. *Victoriæ* xv. Numismata hæc, quamvis nomine careant, Antiochiæ fuisse signata ex typo eorumdem patere docet Clar. eruditissimusque Havercampus (f); quum is typus plane talis sit, qualis invenitur in Consularibus nummis sive Familiarum Quinctilii Vari (g), in quibus idem annus Epochæ Antiochenæ signatus invenitur, & quidem expresso *Antiochenorum* nomine. Est autem tum in his, tum in illis mulier stolata capite turrito atq; velo ornato, rupibus insidens, dextra palmam tenens, dextroque pede fluvium calcans. Annos itaq; xxvi. & xxix. ad *Victoriam*, nempe Actiacam numismata ipsa referunt; annos autem xii. & xv. ab anno U. C. dccxxxvii, quo aliquod ab Augusto beneficium acceperunt Antiocheni, puta juris Metropoleos & Autonomiæ confirmationem, idem deducit Vir Cl. Sane annos imperii Augusti ab anno U. C. dccxxxvii. putare voluisse Antiochenos non est probabile; id enim nulli alii fecerunt, nec ratio faciendi suberat. Quare melius ad insigne aliquod beneficium nova hæc Epocha refertur. Idem dici potest, ac jure dici debere nobis videtur de duplici Epocha, quæ in nummis Neronis apparet; utramque scilicet ad præcipuum aliquod beneficium referendam esse. Jam in confesso est, annos numero majores, nempe cviii, cxi, & cxii. spectare beneficia anno U. C. dccvi. a Julio Cæsare accepta;

(a) Porphyr. in Conl. Scalig. pag. 227.

(b) Vid. supra pag. 71. & seqq.

(c) Supra pag. 75.

(d) Vid. Æneam Vicum cum Not. Bellor. Num. 6. inter Argent. II.

(e) In Thes. num. Morel. Tab. XIV. n. 15. & 16. p. 264.

(f) In Not. ibid.

(g) Thes. Morell. Fam. R. pag. 363.

ego

ego vero nullus dubito, quin & anni numero minores aliquod aliud beneficium, imperante Nerone ab Antiochensibus acceptum respiciant. Hoc autem in promptu est; siquidem paullo post sumptum ab ipso Nerone imperium III. *Idus Octobris* (a) *Asinio Marcello, Acilio Aviola Coss.* anni U.C. DCCCVII, *fine* (b) *anni turbidis rumoribus prorupisse rursum Parthos, & rapi Armeniam adlatum est.* Romanorum copiæ Orientis ita dividuntur, ut pars auxiliarium cum duabus Legionibus *apud Provinciam Syriam & Legatum ejus Quadratum Numidium remaneret*, par civium sociorumq; numerus Corbuloni esset. Utriusque Ducis suasione Rex Parthus bellum amovet, obsidesque tradit. Hinc *ob res* (c) *a Quadrato & Corbulone prospere gestas laurum fascibus Imperatoriis addi*, decretum est Romæ. Maximo hoc itaque bello, quod impendebat Syriæ, sublato, & quidem præcipua Quadrati Præsidis ejusdem Provinciæ opera, ut memoriam tanti beneficii retinerent Antiochenses, novam Epocham instituisse videntur, eo potissimum, quod Romæ *apud Senatum* (d) *omnia in majus celebrata* audierant, *sententiis eorum, qui supplicationes, & diebus supplicationum vestem Principi triumphalem, utque ovans Urbem iniret, effigiesque ejus pari magnitudine ac Martis Ultoris, eodem in Templo censuere.* Hunc finem habuit hoc bellum anno U. C. DCCCVIII. (e), monente ipso Tacito, qui, quum hæc omnia sub prioris anni Consulibus descripsisset, *quæ*, inquit (f), *in alios Consules egressa conjunxi.* Anno itaque U. C. DCCCVIII. cœptam credimus hanc Epocham, quæ quidem Neroniana est, sed non annos ejusdem imperii primum sumpti, verum conlati beneficii, aut etiam confirmati in Syria ejusdem imperii numerat. Quo pacto nullum hæc Epocha nobis facessit negotium; siquidem ejus anni cum Tribunicia Neronis Potestate, ejusque annis imperii die x. Decembris iterentur, ac singulo quoque anno eadem die in posterum renoventur. Ita enim fiet, ut anni *quintus* & *sextus* novæ hujus Epochæ cum anno CVIII. Antiochensium recte componantur: hic namque cœpit autumno anni U.C. DCCCXII; quo tempore adhuc decurrebat annus *quintus* novæ Epochæ: paullo autem post, die sc. x. Dec. incœpit *sextus*, defluxitque cum eodem Antiochensium anno CVIII. usque ad autumnum sequentis anni U. C. DCCCXIII. Tum vero initium habuit annus Antiochensium CIX, paulloque post annus Neronianus Z., VII; qui proinde conjuncti videntur (g). Occurrit hinc etiam

(a) Suet. in Cl. cap. 45. & in Ner. cap. 8.

(b) Tacit. Lib. XIII. Annal. cap. 6. & seq.

(c) Id. Cap. 9.

(d) Cap. 8.

(e) Chr. 55.

(f) Cap. 9.

De annis Neronis in nummis Antiochensium Auctoris opinio.

(g) Muf. Theup. pag. 845.

etiam (*a*) annus novæ Epochæ II. *octavus* cum IP. *centesimo decimo* prioris Epochæ; & *nonus* apud Norisium (*b*) cum CXI; ac demum annus X. cum CXII (*c*). Rem exemplo confirmare placet. Epocham instituerunt Gazenses anno U.C. DCXCI, aut altero ex duobus sequentibus juxta varias eruditorum opiniones (*d*). Hadrianus autem imperium auspicatus est anno U. C. DCCCLXX, qui est Gazensium CLXXIX, vel alter e duobus sequentibus: at vero in ejus nummis (*e*) occurrit Γ. ΕΠΙ ΒϘΡ, hoc est, ut explicant, annus *tertius* Hadriani, ac CXCII. Gazensium. Rursus Δ. ΕΠΙ ΓϘΡ., annus *quartus* Hadriani, ac CXCIII. Gazensium: demum Ε. ΕΠΙ ΔϘΡ, annus *quintus* Hadriani, ac CXCIV. Gazensium. Qui quidem anni Hadriani, si cum ejusdem imperio componi velint, fieri id nullo modo poterit. Quare ad aliquod beneficium ab Hadriano in Gazenses, adulto jam ejus imperio conlatum, satius referuntur. Nam, quod de anno *tertio*, *quarto*, & *quinto* Ludorum Quinquennalium apud Gazenses explicat Harduinus (*f*), longius petitum videtur. Est etiam alius ejusdem Hadriani nummus, quem Harduinus (*g*) ipse describit, cum notis Γ. ΕΠΙ ΓϘΡ., hoc est, anno *tertio* ac CXCIII: qui annum *quintum* & *sextum* Neronis conjunctum cum anno Antiochensium CVIII, imitatur, sicut & annum *primum* Tiberii cum annis Antiochensium XLIII. & XLIV, immo & cum XLV. copulatum.

(a) Ibid.

(b) Quem vide etiam Ep. CXLII. pag. 303. ejusdem Op. Edit. Mant. ann. 1741. ubi fit mentio ex Toinardo etiam anni CV. Antioch. cum III. Neronis.

(c) Mus. Theup. pag. 845.

(d) Vid. Noris. Epoch. Syro-Mac. Diss. V. cap. 3.

(e) In Thes. Gallorum Reg. apud Harduin. in calce Chron. V. T. & Noris. de Epoch. Diss. V. c. 3. Mus. Theup. pag. 877.

(f) Loc. citat.

(g) In num. Pop.

Hæc, quæ de annis præsertim Neronis in nummis Antiochensium disseruimus, si vera sunt, ut verosimillima nobis videntur, ostendunt, contra opinionem nostram de numerandis Imperatorum annis eos nummos non facere, quin potius ei favere. Nam, quum ipsi Neronis anni post aliquot a sumpto imperio menses incœperint, nisi die decima Decembris iterentur, componi cum annis Antiochensium non poterunt. Quod si quis de duplici Epocha Neronis imperii, altera primum sumpti, altera confirmati in Syria, eosdem Antiochensium nummos explicare velit, aut etiam de duplici annos ejusdem imperii computandi modo, alium a die anniversaria primum sumpti, alium a die x. Dec. cum Tribunicia Potestate putare velit; ego quidem non ibo inficias, quippe hoc usurpatum in nummis, superius ostendi.

§. 24. Esset heic agendum de *Decennalibus* atque *Quinquennalibus*; sed, quia de his Animadversionem propriam instituimus, eamque huic ipsi de *Tribunicia Potestate* Animadversioni

Decennalia atque Quinquennalia plurimum opinioni Auctoris favent; sed de his in sequenti Animadversione agetur.

versioni subteximus, supersedendum in præsentiarum credimus. Id tantum nunc innuimus, maximi in caussa, quam agimus, momenti rem esse *Decennalia* atque *Quinquennalia*; ex his enim patet, qua ratione annos imperii aut Cæsareæ dignitatis Imperatores ipsi & Cæsares, simulq; Romanus Orbis universus dinumerarent. Quod si res hujusmodi pro voto, ut speramus, nobis successerit, non leve pondus his, quæ modo disserimus, accedet. Etenim in computandis Decennalibus, annis incompletis usos illos esse, probaturi sumus. Ne igitur judicium de hac ipsa Animadversione, antequam illam *de Votis Decennalibus* legat, Lector ferat, precamur. Nos interim alia hujus Animadversionis propria persequemur.

Scriptores etiam sæpe utuntur annis incompletis ex utraq; parte.

XV. §. I. Nummis accensendi sunt Scriptores, utpote apud quos haud infrequens est annorum incompletorum usurpatio. Animadvertit hoc ipsum Vir Cl. Pagius, adeoque scribit (*a*), certum esse, *Antiquos hoc numerandi modo usos esse*. Notat itaque, Suetonium duodeviginti mensium spatium triennium vocare. *Cajum & Lucium*, inquit (*b*) de Augusto, *in duodeviginti mensium spatio amisit ambos*. At in Vita Tiberii (*c*) scribit, hunc ab Augusto adoptatum, *Cajo & Lucio intra triennium defunctis*. Idem Suetonius de Neronis Natali ita habet (*d*): *Nero natus est Antii post novem menses, quam Tiberius excessit*, XVIII. *Kal. Januarias* anno U. C. DCCXC. Chr. XXXVII. Onuphrius in Fastis, quum animadverteret, scribere Suetonium (*e*) periisse Neronem *tricesimo & secundo ætatis anno*, die nempe nona Junii anni Chr. LXVIII. (*f*), existimavit in laudatum Suetonii locum errorem irrepsisse, ac legendum: *natus est ante* IX. *menses, quam Tiberius excessit*, anno nempe Chr. XXXVI. (*g*), *quia persuadere sibi non poterat*, inquit Pagius (*h*), *Suetonium aliquot dies pro anno numerasse*. A vero abesse Suetonium, auctor est etiam Basnagius (*i*). At ex Pagio (*k*) locus Suetonii minime sollicitandus, explicandusque de anno ætatis XXXII. utrimque incompleto; *ita ut ultimos dies mensis Decembris anni Christi* XXXVII. *pro anno integro numerarit, & ultimum etiam ætatis annum, licet incompletum, in summam contulerit; quod ab aliis etiam Historicis non raro factum, in hoc opere observabimus*. „ Neq; solus, *inquit ipse Pagius* (*l*), est Suetonius, qui „ eam numerandi rationem usurpet; Anonymus enim a Va„ lesio in calce Ammiani editus de Licinio Imperatore loquens „ ait: *regnavit annos* XIX. Is tertio Idus Novembris anni Chr.

CCCVII.

(a) In Diss. Hyp. Parte I. cap. 2. n. II.

(b) In Vit. Aug. cap. 65.

(c) Cap. 15.

(d) In Ner. c. 6.

(e) Ibid. cap. ult.

(f) U. C. 821.

(g) U. C. 789.

(h) In Crit. ad an. Chr. 54. n. II.

(i) In. Ann. Pol. Eccl. ad an. Dom. 54. num. IV.

(k) In Crit. ut supra.

(l) In Diss. Hyp. cit. loco.

„ cccvii., *subdit Pagius*, Augustus nuncupatus fuerat, ut „ docet Chronicon Alexandrinum, ineunte vero anno cccxxv. „ Constantini jussu occisus est. Quomodo igitur idem Ano- „ nymus verum dicere potuit, *nisi menses duos, eosque incompletos anni* cccvii. *pro integro anno numerarit?* De Eusebio quoque, ubi annos Imperatorum Romanorum nominat, patere tradit idem Pagius (*a*), *eum annos Julianos & utrumque extremum incompletum pro completo numerare, licet annos imperii diserte nominet*. Ita etiam Decennalia ac Vicennalia pro decimo & vicesimo anno, eoque Juliano, ac præterea utroque extremo incompleto pro completo numerato usurpare Eusebium, docet (*b*). Existimavit Vir Clar. Scaliger (*c*), male Claudium Imp. anno Christi xlvii, qui erat dccc. Urbis, Ludos sæculares celebrasse, quum idem Urbis annus nonnisi dccci. completus sit. *Debuerat igitur*, inquit, *anno quadragesimo octavo*. Sed vanam hanc esse observationem, tradit Pagius (*d*), *quum falsissimo innitatur fundamento, antiquos nempe nonnisi annos integros in eorum collectione numerasse. Quem in errorem, non tantum idem Scaliger, sed & plures alii, quemadmodum alibi diximus, inciderunt*.

(a) In Diss. Hyp. Part. II. cap. 2. n. XXIII.
(b) Ibid.
(c) Lib. V. de Emend. Temp. pag. 493. ex Pagio.
(d) In Diss. Hyp. Part. II. cap. 10. n. II.

Docet Valsechius Herodianum usum esse annis utrimque incompletis.

§. 2. Cl. quoque Valsechius (*e*) notat Herodianum Scriptorem Græcum *usum re vera fuisse annis utrimque incompletis*, quod observatum antea fuisse a Pagio (*f*) monet. Regnasse itaque observat Valsechius (*g*) Commodum post M. Aurelium, qui decessit die xvii. Martii anni Chr. clxxx., usque ad diem ultimum cxcii, ac nihilominus Lib. i. cap. ult. imperasse scribit Herodianus *annos* xiii; *unde priorem annum Chr.* clxxx, *qui ceteroqui incompletus, pro Juliano completo ei computavit*. Sept. quoque Severi *primum annum incompletum pro completo accepisse*, subdit (*h*), Herodianum. Qui & auctor est (*i*), Caracallam post Severi, ac Fratris Getæ mortem imperasse sex annis. Πᾶς δ' ὁ χρόνος, ἐν ᾧ μόνος ἐβασίλευσεν ἄνευ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ἀδελφοῦ, ἐν ἓξ ἔτεσι συνετελέσθη: *Totum autem tempus*, ait, *quo solus regnavit, sine patre & fratre, sex annis absolutum est*. Animadvertit porro Valsechius (*k*), quod, licet Severus obierit die iiii. Februarii anni Chr. ccxi, Geta tamen non interierit nisi mense Februario aut Martio anni ccxii. Quare, ut sexennium hoc, quo solus ac post mortem utriusque gessit imperium, constet, necesse credit, ut illud numeraverit historicus a dicto anno ccxii. ad annum ccxvii, quem tamen to-

(e) De init. Sev. Al. cap. 17. pag. 194.
(f) Ad ann. Chr. 236. n. V.
(g) Cap. 16. pag. 180.
(h) Cap. 17. pag. 194.
(i) Lib. IV. cap. 13.
(k) Cap. 17. pag. 194.

tum tribuisse etiam Macrino subdit. Rursum *annos* XIIII, quos regnasse Alexandrum scribit Herodianus (*a*), de annis utrimque incompletis accipit Valsechius (*b*). Unde concludit (*c*) Vir Cl., ex ipsis annis, quos Herodianus tribuit Alexandro & Caracallæ, ut modo visum, post mortem Getæ, patere, *eum usum re vera fuisse annis utrimque incompletis*. Sexennium etiam, quod Elagabalo tribuit Herodianus (*d*), ipsum adserit (*e*) computasse forte a nece Caracallæ, h. e., a die VIII. Aprilis anni CCXVII, *a quo tempore usq; ad mensem Martium anni* CCXXII, *quo interfectus Elagabalus, sex anni fluunt Juliani utrimque incompleti*. Ita Valsechius, qui demum *triennale* quoque imperium, quod in exitu fuisse scribit Herodianus (*f*), quum a Maximino defecerunt Afri, de ineunte triennio explicat (*g*), adeo ut *triennale* imperium Maximini *compleri aut completum etiam dictum sit adventante ac decurrente tertio anno*.

(a) Lib. VI. cap. ult. & Lib. VII. c. 1.
(b) Cap. 16. pag. 179. & Cap. 17. Pag. 194.
(c) Pag. 194.
(d) Lib. V. cap. ult.
(e) Cap. 16. pag. 178.
(f) Lib. VII. cap. 4.
(g) Cap. IV. pag. 38. & Cap. XVI. p. 180.

Viri omnes docti & eruditi annis utrimque incompletis ad explicandos Auctores utuntur.

§. 3. Neque vero soli sunt Pagius ac Valsechius, qui ad explicandos conciliandosque antiquos Scriptores annis utrimque incompletis utuntur, sed hoc passim fit ab omnibus Viris doctis & eruditis, ita ut nihil frequentius occurrat. Quoties itaque discrimen unius circiter anni inter Scriptores antiquos intercedit, adeo ut hujusmodi tempus superesse videatur, neque locus ei sit in historia, mox pro conciliandis ipsis Scriptoribus & historia ad annos utrimque incompletos confugitur. Et quia passim hujusmodi differentiæ occurrunt, frequens etiam est annorum incompletorum usus, maxime in explicandis Græcis Scriptoribus. Nimius porro essem, si heic adtingere tantum vellem loca, & quidem ad historiam Romanam, de qua tractamus, spectantia, quæ hoc modo explicantur. Non tamen illud omitto, huc facere, sicque intelligendos esse etiam Ptolemæum aliosque Astronomos, quos *exordia Principum a Thoth eorum inaugurationem antecedente deduxisse* (*h*), docti conveniunt. Neque enim credendum est, eidem diei Thoth, quæ antecedebat inaugurationes Principum, adfigere inaugurationes ipsas, voluisse Astronomos; hoc enim falsum ipsi sciebant: sed, quum uterentur annis solidis, id est neglectis mensibus ac diebus, quoties duo simul eodem anno Principes fuissent, ei annum integrum deputabant, qui partem ejusdem anni posteriorem obtinuisset. Sufficiebat porro ipsis Astronomis, quod postremis anni mensibus aut etiam

(h) Pagius in Crit. ad an. Chr. 69. n. III., Philipp. a Turre in Diss. De Annis Mar. Aur. Ant. Elagab. &c. cap. 3. pag. 27. & 30. Valsech. Diss. de init. imp. Sev. Al. cap. 14.

diebus

diebus quis inauguratus esset, ut tempus illud, licet modicum, quod finiendo anno restabat, pro anno haberent.

§. 4. Nec vero Scriptores tantum Augustæ historiæ hanc methodum adhibuere, sed passim ea usi sunt & alii. Observat perspicacissimus Valsechius (*a*), phrasim hanc esse Græcis aliisque non raro usurpatam, qua aliquid *compleri* dicitur, quum primum etiam advenit atque inchoatur. Sic enim D. Lucas Act. II. v. 1. Καὶ ἐν τῷ συμπληρῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοςῆς: *Quum compleretur dies Pentecostes*, hoc est, quum advenisset, inluxisset dies quinquagesimus a Paschate. Et in Evang. cap. II. v. 21. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ τῦ περιτεμεῖν τὸ παιδίον: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer*, hoc est, quum advenisset dies octavus. Ita laudatus Valsechius, qui postea animadvertit (*b*), quod, quum in eo textu, quem ex Act. Apost. cap. II. v. 1. adtulerat, vulgata nostra Latina Editio, & Syrus Interpres legant *dies* in numero plurali, non quinquagesimus dies a Paschate, ubi inluxit, compleri dictus sit, sed completi eo adventante fuerint dies quinquaginta. Exemplum clarius in rem nostram ex Evangelio nos proferemus. Quum Jesum Redemptorem (*c*) crucifixissent Judæi, *altera die* (*d*), *quæ est post Parasceven, convenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati sumus, quia Seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam:* μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι. *Jube* (*e*) *ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium*, ἕως τῆς τρίτης ἡμέρας. Quippe ita prædixerat Redemptor de se ipso. *Sicut* (*f*) *enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius Hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*. Porro τῇ ὥρᾳ τῇ ἐννάτῃ (*g*), *hora nona* feriæ sextæ Jesus *exspiravit*. *Quum autem sero factum esset* (*h*), Joseph ab Arimathæa, Jesu *accepto corpore, involvit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Surrexit autem* Jesus *mane prima Sabbati*, [quam nos propterea diem Dominicam appellamus] (*i*), ἀναςὰς ὁ πρωῒ πρώτῃ σαββάτῳ. Constat itaque fuisse Jesum in corde terræ *tribus diebus & tribus noctibus* utrimque incompletis, primi namque tertiique diei, sicuti etiam primæ tertiæq; noctis partem tantum libavit, nec nisi integram noctem diemque Sabbati in sepulcro exegit. Sic apud Romanos dies tertius Kalendas, Nonas, aut Idus terminum utrumque includebat, & ita quidem, ut sufficeret, si solus intermedius dies esset integer: quod

Præter Scriptores historiæ Augustæ alii etiam usi sunt annis incompletis.

(a) Diss. de init. Sev. Alex. cap. 4. pag. 38.

(b) Ead. Diss. cap. 16. pag. 180.

(c) Matth. Cap. XXVII. v. 35.

(d) V. 62. 63.

(e) V. 64.

(f) Apud S. Matth. cap. XII. v. 40.

(g) Marc. cap. XV. vers. 34. & Matth. c. XXVII. v. 46.

(h) Iid. iisd. cap. cum aliis Evang.

(i) Marc. c. XVI. v. 9. & al. Evang.

quod hodieque fit. Quin æquivalet, ex. gr., dies tertius Kal. diei tertio ante Kalendas, adeo ut hoc etiam poſtremo dicendi modo Kalendæ ipſæ, quæ ceteroquin excluſæ videntur, adhuc in numerum veniant: nam dies tertius ante Kal. ſignificat diem ultimo menſis anterioris proximiorem. Paſſim porro hæc dierum computandorum ratio apud Scriptores occurrit, & apud populos auditur. Quod de annis quoque fit, nam in iis recenſendis ſæpe uterque terminus includitur. Videre id eſt præſertim apud Joſephum, cujus aliquot exempla proferre operæ pretium ducimus. Quum itaque ſcripſiſſet, captam a Pompejo Urbem Hieroſolymorum ὑπατευόντων Γαΐου Ἀντωνίου καὶ Μάρκου Τυλλίου Κικέρωνος (*a*), *Cajo Antonio & M. Tullio Cicerone Coſſ.* anni U. C. DCXCI., iterum captam fuiſſe, ſubdit (*b*), ab Herode, ὑπατεύοντος ἐν Ῥώμῃ Μάρκου Ἀγρίππα καὶ Κανινίου Γάλλου, *Marco Agrippa & Caninio Gallo* anni U. C. DCCXVII. *Conſulibus, Olympiade* CLXXXV, *menſe tertio, jejunii ſolemnitate, tamquam recurrente in idem temporis momentum inlata Judæis a Pompejo calamitate*: καὶ γὰρ ὑπ' ἐκείνου τῇ αὐτῇ ἑάλωσαν ἡμέρᾳ, μετὰ ἔτη εἰκοσιεπτά: *nam & eodem die ab illo poſt ſeptem & viginti annos* Hieroſolyma *capta fuerant*. Ab anno U. C. DCXCI. ad DCCXVII. anni fluxerunt XXVI, & tamen Joſephus numerat XXVII, incluſis nempe terminis, ſive uſus annis civilibus, qui vere ſunt XXVII. utrimq; tamen incompleti. Rurſus ab hoc anno U. C. DCCXVII, quo captis Hieroſolymis rerum apud Judæos ex integro potitus eſt Herodes, ad annum U. C. DCCXXIII, quo bellum inter Cæſarem Octavium & Antonium ardebat apud Actium, quove τῇ δευτέρᾳ τοῦ Σεπτεμβρίου (*c*), *die ſecunda Septembris* Antonius victus eſt, ἑβδόμου ὄντος Ἡρώδῃ τῆς βασιλείας ἔτους (*d*), *annum ſeptimum regni Herodis* Joſephus computat, utiq; incompletum, ſeu civilem, ut numeranti patet. Ab eodem pariter anno U. C. DCCXVII, quo poſt capta Hieroſolyma, Antonio (*e*), ut Antigonum necaret, perſuaſit Herodes, ἔτη τέσσαρα καὶ τριάκοντα (*f*), *annos* regni XXXIIII. ipſi Herodi tribuit Joſephus: Archelao autem filio & ſucceſſori decem adſignat annos. Namque ſcribit, δεκάτῳ δὲ ἔτει τῆς ἀρχῆς Ἀρχελάου (*g*), *anno decimo principatus Archelai*, fratres ipſius cum primoribus Judæorum & Samaritanorum, ejus crudelitatem & tyrannidem non ferentes, eum apud Cæſarem accuſaſſe, ac Cæſarem abegiſſe Archelaum ipſum in exilium, Viennam in Galliis. Hoc autem factum diſcimus ex Dione anno U. C. DCCLIX: quippe ſcribit

(a) Lib. XIV. Ant. cap. 8. nunc 4.

(b) Eodem Lib. Cap. ult. in fin.

(c) Dio in princ. Lib. LI.

(d) Lib. XV. Ant. cap. 7. nunc 5. Ed. Amſtel. 1726.

(e) Lib. XIV. cap. ult.

(f) Lib. XVII. cap. 10. nunc 8.

(g) Eod. Lib. cap. 15. nunc 13.

ſcribit (*a*), ἐπί τε Αἰμυλίου Λεπίδου καὶ ἐπὶ Λουκίου Ἀῤῥουντίου ὑπάτων ὅ τε Ἡρώδης ὁ Παλαιστηνός, αἰτίαν τινὰ ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβών, ὑπὸ τὰς Ἄλπεις ὑπερωρίσθη: *Æmilio Lepido & L. Arruntio* ejuſdem anni *Coſſ.*, *Herodes Palæſtinus*, [ſic eum vocat auctor], *a fratribus accuſatus, trans Alpes eſt relegatus*. Porro, ſi ab anno U.C. DCCXVII. adulto ſeu ſeneſcente, quo capta ſunt Hieroſolyma, periitque Antigonus, ad annum U. C. DCCLIX. annos numeremus, XXXXII. habemus. Hinc, quum Joſephus numeret XXXXIV, ſcilicet XXXIV. Herodis, ac X. Archelai, uſus eſſe annis incompletis ſeu civilibus dicendus eſt. Hoc ipſum conſtat ex aliis locis: quæ quum obſervaſſet Cl. Comes Camillus de Sylveſtris, conſtanter adfirmavit (*b*), *Joſephum Hebræum, qui in hiſtoriæ ſuæ progreſſu Romanis ſcriptæ anno Romano utitur, &, ut Græcorum, quorum lingua ſcribebat, commodo inſerviat, Olympiadas quandoque addit, -- ad civilem normam annos computaſſe, præſertim quum ſuorum hiſtoriam cum Romanorum geſtis conjungit*. Audiendus porro idem eruditiſſimus Comes, ubi ne dum de Joſepho, ſed & de reliquis hiſtoricis agens, hoc de ipſis animadvertendum docet. Itaque ait (*c*): *Animadvertamus, oportet, annos duplici ratione ab Hiſtoricis ſupputari conſueviſſe, ſive facti alicujus durationem, ſive temporis ſpatium, quod hoc inter atque illud eventum intererat, oſtendere vellent. Vel enim annos naturaliter computarunt, ita ut ſinguli anni duodecim menſibus conſtarent. Quos menſes ab initio rei geſtæ, de qua ſermo eſt, numerant, & ejuſdem exitum, ſeu novo & diverſo eventu claudunt. Unde in exactis ſupputationibus cernere licet menſes & dies, qui notato annorum numero deſunt aut ſuperſunt. Vel uſi ſunt annis civilibus, qui pro diverſo gentium inſtituto & vario regionum more a certo quodam ſtatutoque die incipiunt: & tunc velut annum integrum numerant & eum, quo aliquid fieri cæpit, & eum, quo id fieri deſiit, ſeu quo aliud præterea factum cum priore conjunctum contigit, quæcumque tandem primi anni pars tranſiiſſet, & ultimi ſupereſſet*. Ita Vir doctiſſimus, qui hanc de Hiſtoricis doctrinam tradidiſſe quoque Pagium (*d*), monet (*e*). Ejuſdem ſententiæ fuit etiam Noriſius, quippe ad Nicaſium Virum Clar. ita ſcribit (*f*): *Biennii ſilentium initio ſtatim Epiſtolæ exprobras, quod pluribus tuis ad me litteris nullum reſponſum repoſui, at vereor; ne more Hiſtoricorum, poſtremam elapſi nuper anni partem, ac priorem alteram jam labentis Biennium voces*.

(a) Lib. LV. pag. 565. C. & 567. B.

(b) In Chronol. Part. I. Diſſ. III. de Anno Nativit. Chr. Dom. pag. 92 Edit. Lipſ. ann. 1726.

(c) Pag. 91. loci citati.

(d) In Diſſ. Hyp. cap. 2. Part. I.

(e) Pag. 95. citati loci.

(f) Ep. CLXXXI pag. 345. Oper. Noriſ. Edit. Mant. ann. 1741.

§. 5.

Eadem ratione, qua explicantur passim historici, explicari debent etiam nummi, in quibus sunt anni Imperatorum.

§. 5. Porro, ut vela tandem contrahamus, si non insolitum, immo frequens fuit historicis, annos Imperatorum ad normam annorum civilium computare, fieri id etiam potuisse in nummis, nemo jure, ut mihi quidem videtur, negabit. Ita vero in his quoque re ipsa factum esse, inde nos arguimus, quod eadem ratio, quæ alios ad id credendum de historicis impulit, insit in nummis. Ideo enim annos civiles utrimq; incompletos in historicis Viri Cl. admittunt, quod, nisi hoc modo intelligantur & explicentur, qui apud ipsos leguntur, annorum numeri, locum non habere, & historiæ tenebras potius quam lucem adfundere dignoscantur. At hoc accidit etiam in nummis; nam anni, quos in iis passim videmus, nisi pro incompletis explicare velimus, tempus, quo Imperatores regnarunt, excedunt & superant, maximamque in rebus historicis & chronologicis pariunt confusionem. Quare eo modo, quo ab aliis explicantur historici, eodem & a nobis intelliguntur nummi, quum par sit omnium ratio.

Annos civiles Imperatorum apud historicos & in nummis non a Kal. Jan. sed a die x. Dec. auspicatur Auctor.

(a) Lib. LIII. pag. 508. D.

(b) Lib. VI. Ant. Roman. pag. 410. Edit. Lips. ann. 1691. al. 303.

§. 6. In eo tamen a laudatis Viris dissentimus, quod illi annos Imperatorum civiles a Kalendis Januariis cum anno Juliano incipiunt, nos a die decima Decembris cum Tribunicia Potestate eosdem auspicamur, Dionis ac Dionysii auctoritatem secuti, quorum ille docet (*a*), *juxta Tribuniciam Potestatem dinumerationem quoque annorum principatus ipsorum Imperatorum processisse; quasi scilicet quotannis eam cum Tribunis Plebis ejus anni renovarent.* Dionysius vero ineundo Tribunorum Plebis Magistratui *diem decimam Decembris* adsignat. At hæc minima differentia est, de qua nulla merito possit esse controversia. Quum enim conceditur, annos Imperatorum non die imperii anniversaria, sed cum annis civilibus iterari oportere, quis jure contendat, & de eo litigare velit, quod potius a Kalendis Januariis, quam a die x. Decembris, quæ paullulum distat, repeti debeant? Nullum quippe is fructum ab hoc jurgio ac lite sperare potest; quum e contra ex die x. Decembris multa suppetant, quæ conciliandis rebus chronologicis, inlustrandæq; historiæ inserviunt. Itaque, qui Kalendas Januarias iterandis Imperatorum annis civilibus statuit, facile, ut arbitror, se ab hac sententia dimoveri, & in diem x. Decemb. retrahi patietur.

§. 7. Possent etiam opinioni nostræ ii ipsi accedere, qui annos Imperatorum in nummis Ægyptiis cum anno civili

ejusdem

ejuſdem regionis renovant. Mox enim, ut eoſdem annos die natali imperii renovari non poſſe, nobiſcum ſentiunt, in eo, quod caput eſt difficultatis, convenimus: nec in eo, quod reliquum eſt, quodve multo minoris eſt momenti, diſſentire debemus. Lubentes nos quidem in aliorum deſcenderemus ſententiam, niſi nos difficultates, quas expoſuimus, retraherent. Ipſi e contra, ſi in noſtram concedant opinionem, Dionì; cujus maxima eſt in hujuſmodi rebus auctoritas, obſequuntur, & difficultates, quas eorum ſententia plures graveſque patitur, declinant. Interim ſatis nobis eſt, quod in re, quæ majoris eſt momenti, quæque caput eſt controverſiæ, conveniamus, annos ſcilicet Imperatorum in nummis Ægyptiis a die natali imperii annuatim repeti nullatenus poſſe. Cujus ſententiæ eſt etiam laudatus Comes de Sylveſtris, Vir, ſi quis alius, perſpicaciſſimus atque eruditiſſimus, quique pro maxima ea eruditione atque diligentia, quibus opus ſuum de *Chronologia* concinnavit, ab omnibus ſuſpiciendus merito venit. In eo autem ita de iis nummis ſcribit: (*a*) *Non ignotus eſt Alexandrinorum mos, qui ad Romanorum Imperatorum annos in ſuis nummis demonſtrandos anno civili ſuæque civitatis proprio uſi ſunt. Eum vero annum a* XXIX. *die menſis Auguſti incipiebant, quod ea die poſt cladem mortemque M. Antonii, Octavianus Alexandria Ægypti Metropoli potitus eſſet* (*b*), *ut docet Cenſorinus de die natali cap.* 20. *Eadem ratione interpretandum eſt numiſma in dicta civitate percuſſum in Galbæ honorem cum characteribus* L. B., *quod idem eſt, ac* Anno ſecundo. *Ibi ſiquidem annum primum conſtituunt menſes illi, qui a Galbæ in Imperatorem electione uſque ad* XXIX. *Auguſti ſequentis diem tranſacti ſunt, & deinde cœptum eſt dici* Anno ſecundo, *licet Galba poſt Neronis mortem, & ante diem* XXIX. *Auguſti, niſi menſes duos & dies* XX. *imperium tenuerit, & menſes quatuor & dies* XVII. *poſt ſolemnem diem illum, unde anni ſui initium Alexandrini deducebant. Idem dicendum de numiſmatibus Hadriani a Patino pag.* 197. *relatis, quæ characteres* KB, *annos* XXII. *ſignificantes habent impreſſos, quamvis Hadrianus Tribuniciam Poteſtatem non ſumpſerit anno* XXII. *Nam Ægyptii horum numiſmatum auctores veluti annum integrum ſupputant paucos illos dies, qui intercedunt inter diem* X. *Auguſti anni U. C.* DCCCLXX, *quo obiit Trajanus, & inter diem* XXIX. *ejuſdem menſis, a quo ipſi annum ſuum inchoabant.* Hæc eruditiſſimus Comes, quæ quidem eo pluris ſunt facienda, quod po-

Auctoris cum iis conciliatio, qui ad normam annor. civilium Alexandrinorum ſeu reliquorum Aegyptiorum annos Imperat. in nummis Aegyptiis intelligi volunt.

(a) Part. I. Diſſ. III. de anno Nativ. Chr. pag. 99.

(b) Kal. Aug. Alexandriam cepit Auguſtus. Vide ſupra pag. 65. 67.

ſtremis hiſce temporibus, id eſt poſt ea, quæ ceteri ſupra laudati Viri tradiderunt, ſcripta ſunt & edita (*a*). Etenim diligentiſſimus auctor eoſdem Viros Clariſs. & vidit, & examinavit, prout etiam citat; adhuc tamen annos Imperatorum in nummis Ægyptiis non alio modo, quam per annos civiles explicari poſſe cenſuit. Quæ quidem res maximum opinioni noſtræ pondus animoſque nobis addit, utpote qui cum ejuſdem ſententia in eo, quod majoris eſt momenti, convenimus, eoſdem ſc. Imperatorum annos, qui in nummis Ægyptiis occurrunt, a die natali imperii ſumi ac repeti nullatenus poſſe. Quod autem annos civiles cum anno Alexandrino Vir Clar. incipiat, nos vero cum Tribunicia Poteſtate eoſdem auſpicemur, hoc minoris eſt momenti, faciliorisque conciliationis.

(a) Lipſiæ ann. 1726.

Compendium eorum, quæ præmiſſa ſunt ad probandam Auctoris opinionem.

§. 8. Quæ quum ita ſint, nemo jure, ut arbitramur, mirabitur, aut novum cenſebit, ſi non a die ſumpti imperii annos Imperatorum in nummis Ægyptiis annuatim repetamus atque numeremus. Quod autem potius cum Tribunicia Poteſtate, quam cum anno civili Alexandrino aut Ægyptio eoſdem annos auſpicemur, Dionis ac Dionyſii jam laudatorum auctoritas, fugiendarumque difficultatum neceſſitas, cum aliis, quæ adduximus, faciunt. Præterea vidimus, plures hiſtoricos eoſque præcipuos, quique de Romanis rebus ſcribunt, annis utrimque incompletis in deſignando Imperatorum tempore, ex doctorum Virorum ſententia uti. Vidimus etiam primum Epocharum annum eſſe ſolere incompletum, quemadmodum & eos earumdem Epocharum annos, qui ſinguli cujuſque Imperatoris annis primum aptantur. Innuimus quoque, & infra ſumus monſtraturi, Imperatores ipſos in numerandis imperii ſui annis computandiſque decenniis uſos eſſe annis minime completis: quod maximi certe momenti hac in re eſt. His itaque poſitis, &, ut remur, ſatis probatis, accipiendæ explicandæq; tali pacto etiam Tribuniciæ Poteſtatis fundamenta nos jeciſſe, quiſque cognoſcit. Nam, ſi tot tantaque pro incompletis Imperatorum annis ſtant monumenta, pro Tribunicia quoque Poteſtate eadem omnia facere, quis non intelligat? In primis enim auctor eſt Dio (*b*), *juxta Tribuniciam Poteſtatem dinumerationem quoque annorum principatus proceſſiſſe*. Quapropter eodem modo, quo numerabantur anni, procedere & Tribunicia Poteſtas debuit. Quin *quotannis Tribuniciam Poteſtatem cum Tribunis Plebis cujuſque anni*, ſive ordinariis *renovaſſe* Imperatores

(b) Lib. LIII. pag. 508. D.

peratores, aperte Dio ipſe tradit (*a*). Ordinarii porro Tribuni Plebis ἡμέρᾳ τετάρτῃ πρὸ τριῶν εἰδῶν Δεκεμβρίων (*b*), *diem quartum ante Idus Decem.*, ineundo Magiſtratui ſtatutum habebant, Dionyſio Halicarnaſſenſi teſte. Tum itaque Tribuniciam Poteſtatem, quocumque antea infra annum tempore primum illam accepiſſent, renovabant Imperatores. Præterea idipſum, quod ad intelligendos explicandoſque tamquam incompletos imperii annos, de quibus hucuſque, nos cogit, ad ſumendam eodem modo etiam Tribuniciam Poteſtatem, nos utique impellit. Nam, quemadmodum anni imperii, niſi tamquam incompleti haberentur, excederent ſuperarentque tempus imperii ipſorum Imperatorum, ita numeri Tribuniciæ Poteſtatis, niſi incompleti ſumantur, tempus ſimiliter imperii excedunt ac ſuperant. Pari igitur rationi par quoque modus debetur. Demum ipſa Tribunicia Poteſtas magis congruit chronologiæ & hiſtoriæ, ſi incompleta dicto modo ſumatur, quam ſi completa accipiatur. Quod quidem, etiamſi ſolum eſſet, prævalere deberet. Quia vero hoc paucis conſtare non poteſt, percurrendum eſt omne tempus, quo Tribunicia Pot. occurrit, atque oſtendendum eſt, noſtro computandi Tribuniciam Poteſtatem modo & melius, [uti ſaltem nobis videtur], res chronologicas hiſtoricaſque ſtatui, & difficultatibus, quæ ſe offerunt, felicius occurri. Id autem breviori calamo perficere, quantum poſſumus, ac res ipſa permittit, curaturi ſumus; at in re tanta, quæque vires noſtras ſuperat, Lectoris patientiam exoramus, ſubituri & nos libenter ejuſdem judicium. Sic autem rem perſequemur, ut, ſi cui magis placet duplex numerandæ Tribuniciæ Poteſtatis principium, aliud a die ejuſdem primum ſuſceptæ anniverſario, aliud a die x. Dec. repetendum, ſatisfactum etiam eidem velimus, eo vel maxime, quod in ipſam opinionem nos quoque propendeamus, utpote quæ omnibus omnino antiquis monumentis accomodatur; &, ſi quam relinquit dubitationem, hæc, ut diximus, levioris eſt ponderis.

(a) Ibid.

(b) Lib. VI. Ant. Rom. pag. 410. al. 303.



N 2 XVI.

X V I.

AUGUSTUS.

Augusto decernitur Tribunicia Potestas.

(a) Dio Lib. LIII. pag. 517. B.
(b) Id. pag. 518. D. E.



Uum Augustus, ἑνδέκατον μετὰ Καλπουρνίου Πείσωνος ἄρξας (a), *Cos.* XI. *cum Calpurnio Pisone*, Consulatum, ut ad plures perveniret honor ejusdem Magistratus, deposuisset, ac L. Sestium (b), qui vir semper Bruti rebus faverat, omnibusque in bellis ei adfuerat, & adhuc memoriam colebat, suffecisset, decrevit inter alia Senatus, Δήμαρχόν τε αὐτὸν διὰ βίου εἶναι (c), *ut* Augustus ipse *Tribunus Plebis perpetuus esset*. Mensem ac diem, quibus id accidit, Vir Cl. Onuphrius Panvinius (d), ut jam notavimus, docet; quum enim apud Vellejum (e) legisset, Augustum die v. Kal. Julii anno U.C. DCCLVII. adoptato a se Tiberio contulisse Tribuniciam Potestatem, intulit eadem die v. Kal. Julias & ipsum accepisse Tribuniciam Potestatem: fas namque credidit, Augustum solemni sibi die tantam dignitatem Tiberio contulisse; nullam aliam adparere caussam solemnitatis ejus diei subdens, nisi quod ea ipsa die Augustus Tribuniciam Potestatem primum accepisset. Hanc Onuphrii sententiam secuti sunt Goltzius, Calvisius, aliique communiter, ita vero confirmare conatus est Norisius (f). Exhibet in primis ex Grutero (g) hoc veteris Inscriptionis fragmentum.

(c) Ibid.

(d) In Fast. ad an. U. C. 731. Var.
(e) Lib. II. cap. 103.

Acceptæ ab Augusto Tribuniciæ Potestati diem V. Kal. Jul. post Panvinium Viri docti, præsertim Norisius, adsignant.

(f) In Cenot. Pis. Diss. II. c. 15. col. 417. & seqq. Edit. Veron. an. 1729.
(g) Pag. CCXXXIIII.

. . . TILIO. TAVRO. II. COS
. . . K. MAI
. . HISPANIA. FVIT
. . NIO. SILANO. COS
. . NON. IVN
. . . AR. IN. HISPANIA. FVIT
. . . BANO. FLAC. COS
EID. IVN
. . CAESAR. VALETVD
. N. PISONE. COS
. . . IVL
. . . AR. IN. MONTE FVIT
. . . AR. COS. ABDICAVIT

Ex hoc autem fragmento Annales Dionis mirifice confirmari, & hujus

& hujus vicissim historiam positæ Inscriptioni lucem adferre, subdit Norisius. Dio namque (*a*) anno U. C. DCCXXIX, Augusto IX. M. Junio Silano Coss. narrat bellum ab Augusto in Hispania gestum, cujus difficultatibus quum in morbum incidisset, *Tarraconem se contulit*. Suetonius (*b*) de Augusti Consulatibus scribit: *Octavum & nonum Tarracone iniit*. Porro Augustus octavum Consulatum gessit conlega T. Statilio Tauro II. anno U.C. DCCXXVIII. Quare, recte etiam eo anno dici in producto Epigrammate, fuisse in Hispania, Norisius tradit. Rursus Dio scribit ad annum U.C. DCCXXX. *Augusto X. Cajo Norbano Coss., Kalendis Januariis Senatus juramento confirmavit se ejus acta approbare. Quumque jam Urbi appropinquare diceretur; nam propter morbum diutius abfuerat*, &c. Igitur anno U. DCCXXX. *Idibus Junii* Augustus *valetudinem* recuperasse, ac postea restauratis viribus, Romam eodem anno petiisse dicitur a Norisio. Nullus quippe dubitat Vir Cl., quin bona valetudo, a Cæsare Augusto recuperata, in eadem Inscriptione indicetur; nam mala, inquit, valetudo, uti pessimi & adversi ominis neutiquam in lapide obsignata, perpetua apud posteros memoria donanda erat. Denique idem Dio ad annum U. DCCXXXI ait: *Augustus undecies Consul cum Calpurnio Pisone, adeo gravi morbo decubuit, ut nulla salutis spes adesset*. Addit eumdem opera Antonii Musæ Medici sanitati restitutum fuisse, ac deinde Agrippam in Asiam cum imperio misisse, ac numerum etiam Prætorum auxisse. *His ordinatis*, inquit Dio, *in Albanum exiit, ac Consulatu se abdicavit*. Ex hoc porro lapide conligit Norisius, Augustum intra diem XIIII Junii & XV. Julii in Albanum montem secessisse, ac Consulatu se abdicasse; nam mensis IUL. ibidem indicatus potuit ante habuisse notas numerales ante Kalendas Julias, & rursus alias a Kalendis usque ad Idus Julias. Denique scribit Dio, quum Senatus intellexisset Augustum abdicato Consulatu, sibi suffecisse L. Sestium partium Bruti studiosum, tanta Augusti magnanimitate lætatum, ut perpetuam eidem Potestatem Tribuniciam contulerit. Igitur Augusto, [subdit Norisius], post diem XIIII. Junii anno U. DCCXXXI. Potestas Tribunicia delata fuit. Quum autem Suetonius (*c*) de Consulatibus Augusti scribat, *quinq; medios Consulatus a sexto* inclusive *ad undecimum* exclusive *annuos gessisse; ceteros autem sex, aut novem, aut sex, aut quatuor, aut tribus mensibus, secundum vero paucissimis horis*; ex his

(a) Libro LIII. pag. 514.

(b) In Aug. c. 26.

(c) Id. Aug. c. 26.

ex his Suetonii verbis cum adlata inſcriptione conlatis, conligit Vir Cl., Auguſtum anno U. DCCXXXI. ſex tantum menſibus Conſulatum geſſiſſe. Nam, quum legamus, inquit, . . . IVL Cæſarem in monte fuiſſe, & Conſulatum abdicaſſe, ante Kalendas Julias utrumque contigit; alias, ſi labente Julio abdicaſſet, ſeptem menſibus Conſulatum geſſiſſet; quod numquam Auguſtum feciſſe Suetonius teſtatur. Hinc abdicationem Conſulatus contigiſſe ab ante diem XVIII. Kal. IVL. ad Kal. Julii, ac proinde intra illud idem ſpatium Poteſtatem Tribuniciam accepiſſe Auguſtum, eademque die quotannis multiplicaſſe concludit Eminentiſſimus dignitate & doctrina Noriſius. At bona ipſius venia pedibus in ejus ſententiam ire heic nos nequaquam poſſumus, ad ipſam Inſcriptionem ipſumque Dionem, quibus utitur Noriſius, provocantes.

Ipſum itaque fragmentum, prout eſt apud Gruterum, (a) ita præter adducta a Noriſio in fine habet:

(a) Eadem pag. CCXXXIIII. 1.

K. NOV

CN. PISONE COLLEGA

COS

Quibus poſtremis verbis ſignificatur, *Kalendis* NOV*embris*, ſeu potius aliquot ante *Kalendas* NOV*embris* diebus *Cæſ*AR*em* IN MONTE FVI*ſſe*, aut CO*nsulatum* ABDICAVI*ſſe*, aut *Tribunicia Poteſtate* ornatum eſſe, CN*eo* PISONE COLLEGA CO*nsule*. Sane, ut alia omittamus, ſcribit Dio (*b*), *Marcellum paullo poſt* Auguſtum *ægrotaſſe, eademq; ratione ab eodem Muſa curatum obiiſſe*. Ædilem egit eo anno Marcellus (*c*); & *in Ædilitate ſua* (*d*), *Avunculo* XI. *Coſ., Kalendis Auguſti velis Forum inumbravit, ut ſalubrius litigantes conſiſterent*. Demum *magnificentiſſime* (*e*) *munere Ædilitatis edito deceſſit*. Auctor eſt ipſe Dio (*f*), *Auguſtum valetudine recuperata, teſtamentum, quod fecerat, in Senatum intuliſſe, ac recitare voluiſſe, ut oſtenderet, neminem ſe ſui principatus ſucceſſorem conſtituiſſe; ne tamen legeret, ab omnibus prohibitum fuiſſe*. Hinc ſubdit Hiſtoricus, *id ſummam ejus apud omnes admirationem excitaſſe; quod Marcello, quem Sororis ſuæ filium, generumque ſuum amaviſſet, quem tot honoribus ornaſſet*, ϰ̀ τὴν ἑορτὴν, ἣν ἐκ τῆς ἀγορανομίας ἐπετέλει, συνδιαθεὶς λαμπρῶς, ὥστε τήν τε ἀγορὰν ἐν παντὶ τῷ θέρει ἐν παραπετάσματι κατακορυφὴν διαλαβεῖν (*g*), *cujus munus Ædilitium adeo ſplendide adornaviſſet auxilio ſuo, ut per totam æſtatem ſupra Forum conopea ſuſpenderit -, tamen principatum non credidiſſet, ſed ei Agrippam prætuliſſet*. Æſtas itaque,

(b) Libro LIII. pag. 517. D.
(c) Id. Dio eod. Lib. pag. 516. B.
(d) Plin. Libro XIX. c. 1.
(e) Vellej. Lib. II. cap. 95.
(f) Dio ib. p. 518.
(g) Libro LIII. pag. 518. A.

que, & quidem tota jam præterierat, quum recuperata valetudine testamentum in Senatu recitare voluit Augustus. Postea, quum ῥαΐσας (a), *sanus jam factus* Augustus intelligeret, hac de caussa Marcellum simultatem aliquam contra Agrippam suscepisse, ne, si uno in loco mansissent, offensæ inter eos ac contentiones intercederent, Agrippam continuo in Syriam amandavit. Hinc decem tantum Prætores, quia pluribus opus non haberet, constituit, idq; in plures etiam annos. Διατάξας ᾗ ταῦτα ὡς ἕκαςα, ἀπεῖπε τὴν ὑπατείαν ἐς Ἀλβανὸν ἐλθών (b). *Atq; his singulis ordinatis, in Albanum exiit, ac Consulatu sese abdicavit.* Laudatum est hoc ejus factum, idque etiam, quod in suum locum subrogavit L. Sestium, qui Bruti rebus semper faverat, & adhuc memoriam ejus colebat. Καὶ διὰ ταῦτα ἡ Γερουσία Δήμαρχόν τε αὐτὸν διὰ βίου εἶναι ἐψηφίσατο (c). *Ea propter Senatus, ut Tribunus Plebis ad vitam is esset, decrevit.* In Fastis Capitolinis reliquæ sunt hæ litteræ ad annum, quo *Cæsar Divi F. C. N.* AVGVSTVS *Cos.* XI. fuit, LATV SE ABDICAVIT TR., id est, *Consulatu se abdicavit, Tribunicia* Potestate perpetua ornatus est, vel *Tribuniciam* Potestatem perpetuam accepit. Cl. Sigonius (d) ita easdem litteras interpretatus est, ut scripserit, *Imp. Cæsarem, postquam Dictator appellatus est, abdicasse, ac Tribuniciam Potestatem sibi sumpsisse.* In quam sententiam pedibus ivit inter alios eruditiss. Schlegelius (e). At nullum in eisdem Fastis Dictaturæ vestigium; neque ulla D*iei* V. KAL*endas* IVLI*i acceptæ Tribuniciæ Potestatis*, ut alii supplent, mentio. Exstat hoc alterius Inscriptionis fragmentum (f): CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS XI. *Cnæus Calpurni*VS CN. F. CN. N. PI*so Consu*LATV SE ABDICAVIT. IN EIVS LOC. FACT. EST *L. Ses*TIVS L. F. L. N. TR*ibun*ICIA POTESTAT*e* ornatus est. Atque ex his monumentis *Consulatus abdicationem* subsecuta constat decreta *Tribunicia Potestas.* Quare in priori monumento, in quo legitur .... AR. COS. ABDICAVIT ....K. NOV. CN. PISONE COLLEGA COS., tempus, quod ibi notatur, aut ad ipsam *Consulatus abdicationem* spectat, aut ad decretam Tribuniciam Potestatem. Porro *Kalendæ Novembris* habere potuerunt ante se notas numerales XVII, quæ diem aliquem inter Idus Octobris & ipsas Kalendas notarent; ita ut ante Kalendas Novembris Consulatum, si de ipso heic mentio, abdicarit Augustus, nec decimum propterea compleverit mensem, sed novem tantum juxta Suetonium (g) mensibus hunc Consulatum gesserit. Fieri etiam potuit, ut circa Kalendas Octobris

(a) Ibid. C.
(b) Ibid. D.
(c) Ibid. E.
(d) Commen. in Fast.
(e) Commen. in Numism. C. Oct. Cæs. Aug. Thes. Morell. Tab. VI. n. 180.
(f) Apud Grut. pag. CCXCV.
(g) In Vit. cap. 26.

Octobris *Consulatu se abdicarit*, & aliquo inter Idus ejusdem mensis & Kalendas Novembris die *Tribunicia Potestate* sit ornatus. Diem decretæ susceptæque primum ab Augusto Tribuniciæ Potestatis tempus invidit edax: at hæc inscitia nobis non officit; qui proximo die x. Decembris Tribuniciam ipsam Potestatem iteramus, ac quotannis eodem die multiplicamus. Quare hanc de die curam sollicitudinemque iis potius relinquimus, qui die anniversario ab Augusto & Successoribus renovatam Tribuniciam Potestatem volunt.

Aliquot Tribuniciæ Potestatis Augusti numeri considerantur.

His positis, nonnulli Tribuniciæ Potestatis Augusti, qui occurrunt, numeri sunt considerandi. Exhibet Norisius (*a*) Decretum de annuis inferiis, Manibus L. Cæsaris mittendis, conditum a Decurionibus Pisanis XIII. K. OCTOB., quum esset Augustus TRIBVNICIAE POTESTATIS XXV. *Cajum* (*b*) *& Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos* Augustus. Cajus porro, ut in ejus Cenotaphio pariter Pisano (*c*) legitur, mortuus est A. D. VIIII. K. MARTIAS *Sex.* AELIO CATO C. SENTIO SATVRNINO COS., die scil. XXI. Februarii anno U. C. DCCLVII. (*d*); adeoq; mors Lucii, quæ XVIII. mensibus præcessit, mense Augusto anno U. C. DCCLV. (*e*) contigit. Mensem ipsum diemque Lucii emortuales, quamvis imperiti cujuspiam (*f*) fabri manus, ut clavum in Pisano Lapide figeret, scalpro saxum perforans excluserit, servavit fragmentum Inscriptionis superstes in tabula marmorea, reperta in ruinis veteris Antii, studio & impensa Eminentiss. ac Reverendissimi Principis Alexandri S. R. E. Card. Albani, cujus in celebri Museo lapidario Romæ custoditur, anno MDCCXXIII. (*g*); in ea enim legitur: XIII. K*alendas* SEP*tembris* INFERI*æ* *Lucii* CAESARIS. Die itaque XX. (*h*) mensis Augusti U. C. DCCLV. obiit Lucius. Quod si XIII. K*alendas* OCTOB*ris* ejusdem anni Augustus erat TRIBVNICIAE POTESTATIS XXV, anno U. C. DCCXXXI. paullo, postquam circa Kalendas Novembris primam Tribuniciam Potestatem auspicatus est, iterare illam die x. Dec. cum novis Tribunis Plebis debuit.

Turbat tamen hunc calculum numerus Tribuniciæ Potestatis, qui Augusto tribuitur in laudato Caji Cenotaphio; nam ibi dicitur ipse Augustus TRIBVN*iciæ* POTEST*atis* XXVI. - AD IIII. NONAS APRILES - *Sexto* AELIO CATO *cajo* SENTIO SATVRNINO *consulibus* an. U. C. DCCLVII. Quare heic habet locum duplex computandi Tribuniciam Pot. modus, de quo supra (*i*), adeo

(a) Pag. I. Cenot. Pisan. vid. Diss. II. de iisd. Cenot. Pis. cap. 15.

(b) Suet. in Aug. cap. 65.

(c) Apud Noris. in princ. Diss. de Cen. Pis.

(d) Chr. 4.

(e) Chr. 2.

(f) Noris. Differ. II. de Cenot. Pis. cap. 15.

(g) Blanchin. in Append. ad Anast. Bibl. Tom. II. pag. CCXXII. Murat. in Thes. Inscript. Tom. I. Tab. C. pag. CCCV.

(h) Hunc diem conjectura assecutus est Noris. Diss. II. de Cenot. Pis. cap. 17.

(i) Num. XII. 10. p. 42. & seq.

adeo ut dici possit, Pisanos in hoc Caji Cenotaphio Tribuniciam Potestatem Augusti a die anniversario primum sumptæ ejusdem Potestatis repetiisse, ac quotannis multiplicasse.

Exstat Inscriptio apud Gruterum *(a)*, in qua legitur votum in perpetuum nuncupatum a Colonia Narbonensi T. STATILIO TAVRO L. CASSIO LONGINO COS. X. K*alendas* OCTOBR*is* IMP*eratori* CAESARI DIVI F*ilio* AVGVSTO P*atri* P*atriæ* PONTIFICI MAXIMO TRIB*uniciæ* POTEST*atis* XXXIIII. Quum circa Kalendas Novembris anno U. C. DCCXXXI. primam Tribuniciam Potestatem acceperit Augustus, nisi proxima die x. Dec. eam iterasset, ac singulo quoque anno hac die multiplicasset, die x. *Kalendas Octobris* anni U. C. DCCLXIIII. *(b)* *Tribuniciam Potestatem* XXXIIII. numerare non potuisset. Multo etiam minus in alio Decreto, paullo post ab eadem Colonia emisso, inscribi idem Augustus potuisset, ut ibidem legitur, *Tribuniciæ Potestatis* XXXV.

(a) P. CCXXIX. *Votum Coloniæ Narbonensis.*

(b) Chr. II.

Hæc, quæ consideravimus, in rem suam jam adduxit Norisius *(c)*; at nos in rem nostram convertimus, quum in statuendo tempore, quo primum decreta est Augusto Tribunicia Potestas, ab eo dissentiamus. Quod si hac in re vero propiora nos tradimus, ea ipsa, quæ ambo proferimus, nobis magis favere, mox quisq; dignoscet. Videnda tamen etiam, quæ ipse tradit; eruditione quippe redundant: ulteriora nos interim expendemus. Scribit itaque idem numquam satis laudatus Norisius *(d)*, in Fastis Capitolinis adhuc superesse quatuor Conlegia Consulum ordinariorum cum quibusdam Consulibus suffectis, quibus præmittuntur, si ipsum audimus, Augustus ac Tiberius cum annis Tribuniciæ Potestatis utriusque. Postremum conlegium Consulum est hujusmodi: *(e)*

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. MAX. TR. POT. XXXV
TI. CAESAR. AVGVSTI. F. DIVI. N. TR. POT. XIIII
C. SILIVS. P. F. P. N. L. MVNATIVS. L. F. L. N. PLANCVS

Heic igitur signari subdit Vir Cl. Consules, qui Kalendis Januariis Magistratum inierunt, præmissis annis Tribuniciæ Potestatis Augusti ac Tiberii cum iisdem Kalendis Januariis concurrentibus. Ita Kalendis Januariis anni U. DCCLXVI., quando C. Silius ac L. Munatius Plancus Consulatum auspicati sunt, Augustum fuisse Tribuniciæ Potestatis XXXV. tradit, Tiberium vero XIIII. usque ad v. Kalendas Julias ejusdem anni, qua die Augustus iniisse ab eo dicitur Tribuniciam Potestatem

(c) Differ. II. de Cenot. Pis. c. 15.

(d) Ibidem.

(e) Apud Grut. pag. CCXCV. *Fastorum Capitolinorum ordo non bene a Norisio perceptus.*

teſtatem XXXVI. uſque ad V. Kalendas Julias anno U. inſequenti DCCLXVII, a qua die uſque ad XIIII. Kalendas Septembris, qua e vivis exceſſit, fuerit Tribuniciæ Poteſtatis XXXVII. Certe id de Tiberio negari non poſſe ſubdit; nam, quum ex Vellejo Tiberius V. Kalendas Julias anno U. DCCLVII. inierit Tribuniciam Poteſtatem VI., Kalendis Januariis anno U. DCCLXVI uſque ad V. Kal. Julias fuiſſe illum tradit Tribuniciæ Poteſtatis XIIII., uti inſcribitur in laudato fragmento; at die XXVII. Junii iniiſſe Tribuniciam Poteſtatem XV. Ex quo palam fieri concludit, in Faſtis Capitolinis adductis inſcribi Tribuniciam Poteſtatem Auguſti ac Tiberii, quæ cum Januariis Kalendis uſque ad V. Kalendas Julias concurrebat.

Ita Vir doctus: at vero nos credimus Tribuniciam Poteſtatem Auguſti ac Tiberii in Faſtis Capitolinis non præmitti, ſed poſtponi Conſulibus cujuſque anni. Nam, ſi præmiſſa eſſet, ut contendit Noriſius, neutra recte procederet. Tiberius quippe circa Kalendas Julias anni U. C. DCCLVII. Tribunicia Poteſtate iterum ornatus ab Auguſto ἐς δέκα ἔτη, (*a*), *ad annos decem*, eam anno U. C. DCCLXVI. terminavit, adeo ut illam rurſus accipere opus habuerit. Λουκίου δὲ δὴ Μουνατίου καὶ Γαΐου Σιλίου ἐς τοὺς ὑπατεύοντας ἐσγραφέντων, τῷ Τιβερίῳ τὴν ἐξουσίαν τὴν δημαρχικὴν αὖθις ἔδωκεν ὁ Αὔγουστος (*b*). *Itaque L. Munatio, Cajo Silio Coſs. Tribuniciam Poteſtatem Tiberio rurſus dedit Auguſtus.* Conſules iſti iidem ſunt cum Conſulibus fragmenti Capitolini; adeoque, ſi in ipſorum Conſulatu exiit decennium conlatæ Tiberio circa Kal. Julias anni U. C. DCCLVII. Tribuniciæ Poteſtatis, Kalend. Januariis, quibus illi Conſulatum inierunt, *Tribunicia Poteſt.* XV, non vero XIII. eſſe debuit Tiberius; jam enim antea *Tribuniciæ* (*c*) *Poteſtatis quinquennium* abſolverat.

Quod vero ſpectat ad Auguſtum, arbitratur Vir Clar. (*d*), Poteſtatem Tribuniciam illum ſuſcepiſſe anno U. DCCXXXI. die XXVII. Junii; hinc animadvertit illum, quo tempore obiit U. C. DCCLXVII. die XIX. Auguſti, egiſſe annum Tribuniciæ Poteſtatis XXXVII. Exſtant quippe ejuſdem nummi apud Occonem, Goltzium, Morellium (*e*), & alios, in quibus inſcribitur PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXXVII., & a Tacito ſub initium libri I. Annal. dicitur eidem *continuata per ſeptem & triginta annos Tribunicia Poteſtas*. In Ponte Ariminenſi ab eodem exſtructo ad Portam, ut vocant, S. Juliani, hoc epigramma viſitur, quod ſæpiſſime a ſe lectum ac fideliter exſcriptum

(a) Dio Caſſ. Lib. LV. p. 556. E.

(b) Dio Caſſ. Lib. LVI. p. 588. B.

(c) Sueton. in Vit. Tib. cap. 9.

(d) Diſs. II. de Cenot. Piſ. c. 15.

Tribunicia Poteſtas XXXVII. Auguſti explicari non poteſt, niſi eam Auguſt. IIII. Idus Dec. renovaſſe dicatur.

(e) Theſ. Num. in Auguſt. Tab. XXIX. n. 2.

tum ita ipſe Noriſius exhibet ſubjicitq; Lectorum oculis (*a*): (a) Ibid.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. PONTIF. MAXIM
COS. XIII. IMP. XX. TRIBVNIC. POTEST. XXXVII. P. P.

Adnotat vero, apud Gruterum pag. CLX. num. 2. perperam ſcriptum eſſe: COS. XIIII. & TRIBVNIC. POTEST. XXXVIII. utrobique unitate ſuperaddita; Sigonium quoque in Faſtis, ad annum U. C. DCCVIII., ubi eamdem Inſcriptionem recitat, in numero Conſulatuum eodem modo peccare. Auguſtum igitur, quum deceſſerit anno *Tribuniciæ Poteſtatis* XXXVII., multiplicaſſe eamdem Poteſtatem die XXVII. Junii, Vir doctiſſimus infert. At, bona ipſius pace, verum quidem eſt, Auguſtum, quum deceſſit, fuiſſe Tibuniciæ Poteſtatis XXXVII; ſed hanc primum accepit, ut probavimus, circa *Kalendas Novembris* anni U. C. DCCXXXI.; adeoque, ſi ea anni die, qua illam inierat, iteraſſet, ad XXXVII. minime perveniſſet, ſed in XXXVI. mortuus fuiſſet. Quare TR. POT. XXXV. Auguſti, & TR. POT. XIIII. Tiberii in Faſtis Capitolinis notata, non ad poſteriores Conſules *C. Silium* & *L. Munatium Plancum* adtinet, ſed ad anni ſuperioris Conſules *Germanicum Cæſarem* & *Fontejum Capitonem*; & hoc ordine accipiendæ ſunt ſuperiores Tribuniciæ Poteſtates utriuſque Principis. Quia vero deficit in Faſtis Capitolinis annus U. C. DCCLXVII., deficit etiam *Tribunicia Poteſtas* Auguſti XXXVII. & Tiberii XVI. Hoc autem anno *obiit* Auguſtus (*b*) *duobus Sextis Pompejo & Appulejo Coſs.* XIV. *Kal. Sep.* (b) Suet. in Vita cap. 100.

XVII.

TIBERIUS.



Onſul Tiberius jam *iterum* (*c*), *Tribuniciam Poteſtatem in quinquennium accepit* ab Auguſto. (c) Suet. in Vit. c. 9. Quod factum fuiſſe tradit Dio Caſſius (*d*) (d) Lib. LV. pag. 553. B. 554. B.D. τῷ δ' ὑςέρῳ, ἐν ᾧ Γαϊός τε Ἀντίςιος ϗ Δέκιμος Λαίλιος Βάλβος ὑπάτευσαν, *anno*, poſt Conſulatum ejuſdem II., *proxime ſequenti*, U. C. DCCXLVIII., *quo Cajus Antiſtius & Decimus Lælius Balbus Conſules fuere.* *De Tribunicia Poteſtate Tiberii* De anno conlatæ Tiberio Tribuniciæ Poteſtatis Suetonius ac Dio diſſidere viſi ſunt Cauſabono (*e*) atque Baſnagio (*f*), (e) In Not. ad Suet. quorum ille Dioni Suetonium, hic Suetonio Dionem præfert. (f) In Ann. Pol. Eccl. ad an. U. C. 748. 1. Nos Suetonium ita interpretamur, ut velit Tiberium, non in Conſulatu II., ſed, quum jam fuiſſet *Coſ. II.*, accepiſſe Tribu-

niciam Pot.; hanc enim interpretationem admittit locus, exigit vero non solum Dio, sed etiam Vellejus Paterculus (*a*), a quo *Tiberius Nero, duobus Consulatibus totidemque triumphis actis, Tribuniciæ Potestatis consortione æquatus Augusto* dicitur. Ita etiam in eo S.C., quod factum est contra Cæsarem (*b*), Consules præteritorum annorum, *Consules* absolute vocantur hoc modo: *Dent operam Consules, Prætores, Tribuni Plebis, quique Consules sunt ad Urbem, ne quid Resp. detrimenti capiat.* In eo tamen dissident Suetonius & Dio, quod ille datam iterum Tiberio Tribuniciam Potestatem (*c*) *in quinquennium*, Dio (*d*) autem ἐς δέκα ἔτη, *in decem annos* scripserit. Augustus itaque ex Vellejo (*e*), quod post Lucii Cæsaris mortem, adhuc Cajo vivo, facere voluerat, atque vehementer repugnante Tiberio erat inhibitus, [scribit adulantium stylo], post utriusque adolescentium obitum facere perseveravit, *ut & Tribuniciæ Potestatis consortionem* Tiberio *constitueret, multum quidem eo cum domi tum in Senatu recusante, & eum Ælio Cato, Sentio Coss* v. *Kalendas Jul. post U. C. annis* DCCLVII. *adoptaret.* Hæc de Tribunicia Potestate Tiberio iterum conlata Vellejus; in quibus non video, quod Pagius vidit (*f*), scripsisse nempe Vellejum, eamdem tunc illi datam *ad annos decem*; nihil enim de tempore Vellejus. Quin nec certum satis est, quod tamen Vir Cl. cum aliis credit, Augustum Tribuniciæ Pot. consortionem Tiberio constituisse v. K*al Julias;* huic enim diei adoptio tantum certo adfigitur a Vellejo, ut consideranti patet. Tribuniciam autem Potestatem Tiberius tum domi tum in Senatu recusasse dicitur, quum illam ei constituere vellet Augustus. Certe rem utramque disjungere etiam Suetonius ac Dio videntur. Suetonius post adoptionem nonnulla (*g*) refert, quæ ipsius adoptionis ratione postea fecit Tiberius; hinc *data*, inquit (*h*), *rursus Potestas Tribunicia, delegatus ei pacandæ Germaniæ status*, &c. Dio quoque delatam Tiberio Tribuniciam Potestatem, quum in Germaniam missus est, ita tradit (*i*): Τὸν δέ γε Τιβέριον καὶ ἐποιήσατο, καὶ ἐπὶ τοὺς Κελτοὺς ἔπεμψε, τὴν ἐξουσίαν αὐτῷ τὴν δημαρχικὴν ἐς δέκα ἔτη δούς. *Tiberium adoptavit Augustus, & in Germaniam ablegavit, data ad annos decem Tribunicia Potestate.* Quia tamen non diu moratus in Urbe Tiberium Augustus post adoptionem, *protinus in Germaniam misit*, teste Vellejo (*k*), parum temporis inter adoptionem datamque Tribuniciam Pot. intercedere potuit. Certum saltem

non

(a) Libr. II. c. 99.
(b) Lib. I. de Bell. Civili paullo post principium.
(c) In Vita c. 16.
(d) Lib. LV. pag. 556. E.
(e) Lib. II. c. 103.
(f) In Crit. ad an. U. C. 757. Chr. 4. n III.
(g) In Vit c. 15.
(h) In Tib. c. 16.
(i) Lib. LV. pag. 556. E.
(k) Lib. II. c. 104.

non eſt, eadem die, qua adoptatus eſt, etiam Tribuniciam Poteſtatem accepiſſe Tiberium; etſi id Panvinius (*a*), Noriſius (*b*), Pagius (*c*), atq; Spanhemius (*d*) fidenter adſerant. *Lucio autem Munatio, Cajo Silio Coſs.* anni U. C. DCCLXVI. *prorogaſſe Auguſtum Tiberio Tribuniciam Poteſtatem*, auctor eſt Dio (*e*) Caſſius. Unde conſequitur, Tiberium paucis poſt acceptam Tribuniciam Poteſtatem menſibus, eam IIII. Idus Decembris eodem anno U. C. DCCLVII. renovaſſe, eademque die ſubſecutis annis multiplicaſſe. Nam, ſi die, qua illam accepit, quotannis renovaſſet, anno U. C. DCCLXVI, quo Conſules fuere L. Munatius & Silius, non exiſſet annus decimus Tribuniciæ Poteſtatis, ſed incœpiſſet, uti etiam ſuperius (*f*) adnotavimus; ubi illud quoque animadvertimus *Tribuniciam Poteſtatem* XIIII. Tiberii decurriſſe cum *Tribunicia Poteſtate* XXXV. Auguſti anno U. C. DCCLXV. Hinc Tribunicia Poteſtas XV. cum XXXVI. fluxit uſque ad IIII. Idus Decembris ſequentis anni, qua die cœpit XXXVII. Auguſti ac XVI. Tiberii, ſimulque fluxerunt uſque ad diem XIX. Auguſti, qua e vivis exceſſit Auguſtus. Quapropter in Tribunicia Poteſtate XVI. Tiberius primum dicitur *Auguſti Filius*, poſtea *Divi Filius* & *Auguſtus*. Exſtant quippe nummi inſcripti (*g*): TI. CAESAR AVGVSTI F. TRIB. POT. XVI. Item TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVG. IMP. VII. TR. P. XVI. Conſulatus itaque III. conjunctus cum TR. P. XIX. in nummo, quem Goltzius (*h*) & Mediobarbus (*i*) deſcribunt, aut deſignatus accipi debet; aut ad duplicem numerandæ Tribuniciæ Poteſt. modum recurrendum eſt; quemadmodum fieri etiam debet ob Conſulatum IIII. (*k*) conjunctum cum TR. P. XXII. Nummus quippe recens e Muſeo Magnavacæ ab eruditiſſimo Biacca editus eſt, & Mediobarbo (*l*) additus, in quo TR. P. XXIII. COS. III. dicitur Tiberius; quapropter renovata IIII. Idus Decembris a Tiberio Tribunicia Poteſtas apparet. Nam, ſi annuatim circa Kalendas Julias illam renovaſſet Tiberius, *Tribunicia Poteſtas* XXIII. cœpiſſet circa Kalendas Julias anni U. C. DCCLXXIIII., quum non amplius *Conſul tertium*, ſed *quartum*, & quidem ſeptimo jam menſe foret Tiberius. Quod animadvertens Biacca ſcribit, *Conſulatum tertium cum Tribunicia Poteſtate* XXIII. convenire non poſſe. At, ſi juxta alias opiniones non convenit, convenit juxta noſtram, eamque confirmat: renovata enim Tribunicia Pot. IIII. Idus Dec., ante Conſulatum IV. cœpit XXIII.

(a) In Faſt. Lib. II. Com. ad an. U. 757.
(b) Differ. II. de Cenot. Piſ. c. 15. col. 420. C. & de Vot. Decen. c. 2.
(c) Citato loco.
(d) Diſſ. XII. p. 433.
(e) Lib. LVI. p. 588. B. græca verba hab. ſupra nu. XVI. pag. 106.
(f) Eodem Num. XVI. & pag. 106.
(g) Apud Mediob. p. 63.
(h) Pag. 35.
(i) Pag. 64.
(k) Mediob. P. 65.
(l) Pag. 65.

XVIII.

XVIII.

CAJUS, CLAUDIUS, ET NERO.

Caji, Claudii, & Neronis Tribunicia Potestas.



N his Imperatoribus non est, cur immoremur. Occurunt quidem in eis aliquot nummi, in quibus Consulatus cum Tribunicia Potestate nostro modo computata non concordant; at vel hujusmodi Consulatus designati tantum, nondum vero initi explicari possunt; vel cusa credi possunt numismata ab iis, qui Tribuniciam Imperatorum Potestatem die anniversario renovabant. Sufficit namque nobis, si & alter modus iterandæ die decimo Decembris Tribuniciæ Potestatis admittatur. Hanc autem opinionem, quæ duplex hujusmodi principium statuit, probabilem supra (*a*) exhibuimus. Nec tamen desunt monumenta, quæ die x. Dec. multiplicatam fuisse per id tempus Tribuniciam Potestatem ostendunt. Exstat, ex. gr., celebris illa Fratrum Arvalium Inscriptio (*b*), in qua Nero KAL*endis* IANVAR*iis*, quibus cos. IIII. processit, ac III. NONAS IANVAR*ias* ejusdem anni U.C. DCCCXIII. (*c*), dicitur TRIB*uniciæ* POT*estatis* VII. Vita functum Claudium III. *Idus* (*d*) *Octobris Asinio Marcello, Acilio Aviola Coss.* (*e*) anno U. C. DCCCVII, excepit in imperio & Tribunicia Potestate Nero: qui, si hac ipsa die Tribuniciam Potestatem quotannis renovasset, anno U. C. DCCCXIII. nonnisi III. Idus Octobris *Tribuniciam Potestatem* VII. auspicatus esset.

(a) Num. XII. 10. pag. 41. & seq.
(b) Apud Gruter. pag. CXVIII.
(c) Chr. 60.
(d) Suet. in Clau. cap. 45.
(e) Chr. 54.

XIX.

GALBA.



Ivo adhuc Nerone consalutatus die tertia Aprilis anni U.C. DCCCXXI (*f*) *Imperator* (*g*) Galba, Legatum se Senatus ac Populi Romani professus est. Supervenientibus (*h*) postea ab Urbe nuntiis, ut occisum Neronem, cunctosque in verba sua jurasse cognovit, deposita Legati, suscepit *Cæsaris* appellationem. Contigit mors Neronis die IX. Junii ejusdem anni. Imperavit itaque Galba, ex quo consalutatus est Imperator, μῆνας ἐννέα καὶ ἡμέρας δεκατρεῖς (*i*), *menses novem, diesq; tredecim*; a morte vero Neronis *menses* (*k*) *septem*

De Galbæ nummis cum anno imperii secundo.

(f) Chr. 68.
(g) Suet. in Galb. c. 10.
(h) Id. c. 11.
(i) Dio Cass. apud Xiphilin. Libro LXIIII. p. 730. E.
(k) Joseph. de Bel. Lib. IV. c. 9. al. 6.

ſeptem, dieſque ſeptem, h. e. uſque ad diem xv. Januarii ſequentis anni U.C. dcccxxii. Habet tamen in nummis l. b., *annum ſecundum*: quo torquentur, qui hujuſmodi annos cum Tribunicia Poteſtate die natali imperii quotannis renovant. Nos autem, qui iiii. Idus Decembris, quocumque die Imperium aut Tribunicia Poteſtas ante delata ſit, hujuſmodi annos cum Tribunicia Poteſtate renovamus, eoſdem Galbæ nummos cum *anno ſecundo* facile explicamus. Neque vero in ſuſpicionem adduci poſſunt hi nummi; nam præter illum, quem e Theſauro Mauroceni promit Patinus (*a*), tres alios deſcribit Harduinus (*b*), unum e Cimelio D. Begon, alterum e Theſauro Gallorum Regio, tertium e Cimelio D. Foucault. Tres alii ſunt in Muſeo Theupolo (*c*).

(a) Pag. 113. ejuſdem Theſ.
(b) In Hiſt. Aug. ad an. Chr. 69.
(c) Pag. 1105.

XX.

VESPASIANUS, TITUS, ET DOMITIANUS.



ANno U.C. dcccxxii. (*d*) *Tiberius Alexander* (*e*) *Præfectus Ægypti, primus in verba Veſpaſiani legiones adegit Kalendis Julii, qui principatus dies in poſterum obſervatus eſt. Judaicus deinde exercitus* v. *Idus*, ſeu v. *Nonas* (*f*) *Julii apud ipſum juravit*. Tribuniciam Poteſtatem cum imperio ii, qui præceſſerant, Principes ſtatim admiſerant; at vero Veſpaſianus majori uſus moderatione ipſam *Tribuniciam Poteſtatem* non *niſi ſero recepit*, teſte Suetonio (*g*). Citius porro menſe Decembri ejuſdem anni non admiſiſſe Tribuniciam Poteſtatem credi poteſt, tum quia tempus ſaltem hoc exigi videtur, ut *ſero* illam recepiſſe dici poſſit; tum etiam, quia ante id tempus imperium ei a Senatu nondum delatum fuerat, vivo nempe Vitellio, qui illud tenebat. Interfecto autem Vitellio circa diem xx. Decembris, *Romæ* (*h*) *Senatus cuncta Principibus ſolita Veſpaſiano decernit*. Quare in numeranda Tribunicia Poteſtate Veſpaſiani convenire poſſumus cum adverſariis.

(d) Chr. 69.
(e) Suet. in Veſp. c. 6.
Veſpaſianus ſero Trib. Pot. admittit.
(f) Tacit. Lib. II. Hiſt. cap. 79.
(g) In Vit. c. 12.
(h) Tacit. Lib. IV. Hiſt. cap. 3.

Sed neq; in Tito eſt, quod negotium nobis faceſſat; nam, quum minime conſtet, quo tempore communicata ei ſit a Patre Tribunicia Poteſtas, credi & dici merito poteſt, Veſpaſianum in conſtituenda ipſi conſortione modum tenuiſse, quem ipſe invexerat, differendæ ſcil. ejuſdem Poteſtatis. *Menſis*

&

& dies TRIB. POT. *primum a Tito susceptæ, & deinceps quotannis repetitæ*, ex tempore susceptæ primum ejusdem Pot. a Vespasiano recte posse præsumi; auctor est etiam Cl. Grævius (*a*).

Idipsum fecisse Domitianum, quum Tito successit, credi merito potest. Si itaq; non quidem die XIII. Septembris anni U. C. DCCCXXXIV. (*b*), qua Titus imperio vitaque discessit, sed die x. Decembris ejusdem anni Tribuniciam Potestatem cum Tribunis plebis primum adsumpsit Domitianus, non erit, in quo nobiscum adversarii contendant. Quod si dilationem hanc admittere nullo modo velint, erit adhuc, quemadmodum nos tueamur tum heic, tum in Patre Vespasiano, Fratreque Tito, confugiendo scilicet ad duplex numerandæ Tribuniciæ Potestatis principium, aliud a die anniversario, aliud a die x. Dec. repetendum. Id sane constat ex Tribunicia Potestate Vespasiani, quæ, etsi ab eo nonnisi sero recepta, & a Senatu decreta, ab aliis tamen a die delati in Ægypto imperii numerata dignoscitur. Ita fieri in Tito potuit: nam principio anni U. C. DCCCXXIV. Chr. LXXI, quum adhuc Titus esset in Oriente, legitur (*c*) ἀναῤῥηθεὶς ϧ αὐτοκράτωρ ἐν τῇ Ῥώμῃ, ϗ ἀριςείων ἀξιωθεὶς τέτων ἀπῄει ἰσομοιρήσων τῆς ἀρχῆς τῷ Πατρί, *Imperator Romæ appellatus, omnibusque ornatus dignitatibus iter* Romam versus *instituisse, ut simul cum Patre imperaret*. Præterea de Domitiano, in quo major est difficultas, dici potest, in numero Consulatuum ejusdem connumerari aliquando Consulare quoque imperium, sive Potestatem, qua principio paterni imperii auctus fuerat. Et hac ratione conciliari facile possunt quicumque Tribuniciæ Potestatis numeri cum quocumque Consulatuum numero conjuncti. Qua de re supra egimus (*d*). Interfecto itaque circa diem xx. Decembris anni U. C. DCCCXXII. Vitellio, novo Principi, nempe Vespasiano *Consulatus cum Tito Filio, Prætura Domitiano & Consulare imperium decernuntur*, teste Tacito (*e*). Cui consonat Suetonius, qui de Domitiano ita scribit (*f*); *Post victoriam* belli Vitelliani *demum progressus, & Cæsar consalutatus, honorem Præturæ Urbanæ cum Consulari potestate suscepit*. Consularis itaque potestas, seu Consulare imperium Domitiano decretum & ab eo susceptum est. Quod autem in Consulatuum numerum & Consulare hoc Domitiani imperium venerit, ita mihi suadetur. Exhibet Clar. Cuperus (*g*) ex Marquardo Gudio Inscriptionem positam

(a) In Exer. Acad. de num. Trib. Pot. Observ. VII. p. 24. & p. 49.

(b) Chr. 81.

(c) Philostr. in Vit. Apoll. Tyan. Lib. VI. cap. 14.

(d) Num. XII. 14. pag. 49.

(e) Lib. IV. Hist. cap. 3.

(f) In Vita c. 1.

(g) In Epist. ad Theod. J. ab Almeloveen præfixa hujus Fastis Consul. Roman.

KAL.

KAL. MART. FL. DOMITIANO AVG. III. ET. C. VALERIO. MESSAL LINO. COS

Heic *Augusti* titulus eo modo tribui potuit Domitiano, quo aliis Cæsaribus tribui postea solitum alibi (*a*) probamus. Præterea litteras AVG., non quidem *Augustum*, sed AVG*urem* interpretari possumus. Certe tum ANNONA AVGVST*i*, PAX AVGVSTI, VICTORIA AVGVSTI in nummis (*b*) Domitiani Cæsaris occurrunt; tum etiam AVGVR in iis (*c*) dicitur. Consul iterum legitur Domitianus in Fastis cum Valerio Messalino anno U. C. DCCCXXVI. (*d*). Quare dici potest, in laudata Inscriptione, in qua cum Messalino cos. III. exhibetur Domitianus, connumeratum esse *imperium* quoque *Consulare*, quo primum ornatus fuerat. In nummis Domitiani *Consulatus*, quos *cepit*, nempe XVII. (*e*) ita leguntur, ut cum titulo *Cæsaris* ac *Principis Juventutis* septem primi conjungantur; ipse autem *septimus* etiam cum titulo *Imperatoris* & *Augusti* ac *Pontificis Maximi*, tum etiam cum *Tribunicia Potestate* conjunctus appareat. Hinc colligunt Viri docti, Domitianum, quum jam esset cos. VII., successisse Tito, imperiumque sumpsisse. Domitianus *Consul septimum* processit cum Tito Kalendis Janu. anni U. C. DCCCXXXIII. (*f*); ac Titus (*g*) excessit *Idibus Septemb.* anni sequentis, quo adhuc cos. VII. dicebatur Domitianus. Hinc observamus, Domitianum in nummo Musei Theupoli (*h*) dici CAESAR*em* DIVI F*ilium* cos. VIII. absque titulis Imperatoris & Augusti. Quod si hic nummus, ut videtur, cusus est, antequam imperium Domitianus auspicaretur, in numerum horum Consulatuum venisse etiam imperium ejusdem Consulare, credi potest. Exhibetur a Morellio (*i*) nummus cum capite Domitiani laureato & epigraphe IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. X.; & in parte postica est Pallas cum litteris IMP. XXII. COS. XVII. CENS. P. P. P. In aliis apud alios nummis Consulatus XVII. Domitiani primum occurrit (*k*) conjunctus cum TR. P. XIIII. Quapropter Consulatus XVII. apud Morellium idem videtur esse cum cos. XVI & quidem designato tantum aliorum nummorum, ac proinde venisse in priorem numerum etiam Consulare imperium videtur. Demum Suetonius (*l*), quemadmodum & Fasti Consulares nonnisi *Consulatus* XVII. Domitiano adsignant; aliqui etiam Fasti minorem numerum tribuunt: adhuc tamen nummum exhibet Harduinus,

(a) Animadv. de titulo Augusti n. VI. & VII. p. 90.
(b) Apud Mediob. pag. 128. 129.
(c) Ead. pag. 129.
(d) Chr. 73.
(e) Suet. in Vit. cap. 13.
(f) Chr. 80.
(g) Suet. in Tito c. 11.
(h) Pag. 154.
(i) In Thes. num. XII. primorum Impp. Tab. XII. num. argent. n. 34.
(k) Apud Mediob. pag. 139. Mus. Theup. p. 152.
(l) In Vit. c. 13.

(a) In Hiſt. Aug. ad an. Chr. 96. U. C. 849.

duinus (*a*) cum capite laureato Domitiani & hac epigraphe: IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XVIII. CENS. PERP. P. P. Et, *eſt*, inquit, *nummus ſingularis ex ære magno, nitidiſſimus, litteris omnibus, & in ipſo* COS. XVIII. *egregie conſpicuis, in Muſeo P. Chamillart. Quo ex nummo diſcimus Faſtos eſſe corrigendos, in quibus hic Domitiani Conſulatus* XVIII. *non comparet*. Veroſimilius nos credimus, in numerum Conſulatuum heic veniſſe etiam Conſulare imperium, aut Conſulatum XVIII., qui erat tantum deſignatus, abſolute poſitum fuiſſe.

Idem Vir Clar. in Hiſtoria Aug. ad annum Chr. LXXVII. U. C. DCCCXXX. deſcribit nummum, qui eſt ex ære mediocri in Theſauro Brandenburgico cum litteris ANTIOXEΩN, i. e. *Antiochenſium*, & capite turrito ac velato in parte antica; in poſtica vero eſt *Ara cum igne* ac litteris ϛ ET. KP. *Anno*, inquit, CXXVI, *qui autumno hujus anni incipit*. At inſolitus in nummis disjunctus hic annos exhibendi modus. Duplicem in ipſorum

(b) Num. XIV. 22. pag. 85. & ſeq.

Antiochenſium nummis Epocham ſupra vidimus (*b*); quare duplicem heic etiam interpretamur, *annum* ſcilicet VI. & CXX.

(c) Ad ann. Chr. 59. U. C. 812. ejuſdem Hiſt. Aug.

(d) Ibid.

Harduinus (*c*) ipſe nummum ejuſdem Urbis Neroni cuſum notaverat cum ETOTΣ ϛ. HP., *anno ſexto* imperii Neronis & CVIII. Æræ Cæſarianæ. Hinc alium deſcripſerat (*d*) cum litteris HP. E, & ita explicaverat: *Anno* CVIII. *Æræ ejuſdem, qui &* quintus *Neronis*. -- . *Antiochiæ conflatus uterque nummus videtur; dubitante opifice, ut jam ſuperius diximus; utrum ab autumno, qui proximus fuit obitui Claudii; an ab autumno, qui proximus fuit datæ Neroni Tribuniciæ Poteſtatis, annos Neronis inchoaret. Itaque hunc eumdem annum* CVIII. *Æræ Cæſarianæ, quintum ſextumque Neronis appellavit. Apage enim ſomnia de gemino anni initio in una Antiochia civitate*. Hanc Harduini explicationem exhibere in primis poſſemus illis, qui eoſdem

(e) Vid. eod. num. XIV. & pag. 85.

(f) Num. XII. pag. 37. & ſeqq.

nummos nobis objiciunt (*e*): ulterius vero ea uti poſſumus ad confirmandum duplex illud, quod inſinuamus (*f*), repetendæ Tribuniciæ Poteſtatis principium. Demum obſervamus, annum CXX. Epochæ Antiochenſium Cæſarianæ cœpiſſe autumno anni U. C. DCCCXXIV., quo tempore Veſpaſianus imperabat. At tunc deſluebat *annus* III., vel ad ſummum IV. imperii ejuſdem. Quare *annus* VI., qui eſt in priori nummo, notare quidem annos Veſpaſiani a nobis creditur; at non, ex quo Imperator acclamatus eſt, ſed ex eo tempore, quo a Nerone miſſus adverſum Judæos rebellantes, anno ſc. U. C.

DCCCXX.

dcccxx. (*a*), coacto exercitu apud ipſam *Antiochiam* (*b*), ἡ Μητρόπολίς ἐςι τῆς Συρίας, *Syriæ Metropolim*, inde contra Judæos movit, eoſque extrema inflicta clade compreſſit, indeq; univerſam Syriam maximo, quod ingruebat, periculo liberavit. Annis hujus Epochæ anno Antiochenſium civili adligatis, *ſextus* cœpit autumno anni U. C. dcccxxiv. (*c*), cum anno Epochæ Cæſarianæ cxx; ac proinde uterque copulatus occurrit. Inde vero in ea, quam ſupra inſinuavimus (*d*), opinione confirmamur, ſcil. Antiochenſes in ſtatuendis Epochis fere accepta a ſe beneficia reſpexiſſe. *Percrebuerat Oriente toto*, inquit Suetonius (*e*), *vetus & conſtans opinio, eſſe in Fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. -- Id Judæi ad ſe trahentes, rebellarunt; cæſoque Præpoſito, Legatum inſuper Syriæ Conſularem ſuppetias ferentem, rapta Aquila fugaverunt.* Itaque amoto, quod ſibi timebat, Judæorum jugo, & firmata, qua ſub Romanis fruebatur, libertate, novam ob id Epocham inſtituit Antiochia. Ejus autem annos cum anno civili conjungere voluiſse videtur, adeo ut ſecundus hujus Epochæ annus cum cxvi. veteris Epochæ Cæſarianæ, autumno anni U. C. dcccxx. Chr. lxvii. inciperet; & primus ejuſdem novæ Epochæ incompletus de more maneret. Quæ omnia ab iis, quæ ſupra (*f*) ſcripta ſunt, lucem ac robur accipiunt, viciſſimque iis ipſis reddunt.

(a) Chr. 67.
(b) Joseph. Lib. III. de Bell. cap. 2. al. 1.
(c) Chr. 71.
(d) Num. XIV. 23. pag. 86. & ſeqq.
(e) In Veſp. cap. 4.
(f) Ead. pag. 85. & ſeqq.

NERVA.



Occiſus eſt Domitianus (*g*) xiv. *Kalendas Octobris* anno U. C. dcccxlviiii. (*h*), eiq; ſuffectus eſt in imperio ac Tribunicia Poteſt. Nerva. Conſulatum ii. hic geſſerat, ſuſcepitq; tertium Kal. proximi Jan. Quia tamen die x. Dec. Tribuniciam Poteſt. iteraverat, in Inſcriptione apud Cl. Muratorium (*i*) ipſe *Nerva* dicitur TRIB. POTEST. II. COS. II. Hinc renovata iiii. Idus Decembris ejuſdem anni U.C. dcccl, quo cos. iii. proceſſerat (*k*), Tribunicia Poteſtate, *tertiam* numeravit; Græcique L. Γ. *annum tertium* computarunt. Sunt quidem aliquot nummi Latini (*l*) cum TR. P. II. & COS. IIII., quem Conſulatum inivit Nerva Kalendis Januariis anni U. C. dccclı. (*m*), adeo ut a die anniverſario heic ejus Tribunicia Poteſtas *ſecunda* computata videatur. At Conſulatus iiii. deſignatus intelligi poteſt; vel duplex repetendæ Tribuniciæ

(g) Sueton. in Vit. cap. 17.
(h) Chr. 96.
(i) Tom. I. Theſ. Inſcription. pag. CDXLVII. n. 5.
(k) Chr. 97.
(l) Apud Goltz. Mediob. & Harduin.
(m) Chr. 98.

Poteſtatis principium admittendum. Ceterum cum nummis (a) conveniunt & Inſcriptiones (b) in adſignanda Nervæ TRIB*unicia* POTEST*ate* III. Græci autem ΔΗ. ΕΞ. Γ. (c), *Tribuniciam Poteſt. tertiam*, & L. Γ. (d) *annum tertium*, nec ſolum notis numeralibus, ſed etiam expreſſis (e) verbis ΕΤΟΥΣ ΤΡΙΤΟΥ, exhibuerunt. Qua de re quum dubitari non poſſit; nec niſi ἔτει ἑνὶ, καὶ μησὶ τέσσαρσι, καὶ ἡμέραις ἐννέα (f), *annum unum, menſes quatuor, dies novem* regnaverit Nerva, h. e. a die XIIII. Kalendas Octobres anni U. C. DCCCXLVIII. ad diem XXVII. Januarii U. C. DCCCLI; dicendum remanet renovaſſe Nervam IIII. Idus Decembris Tribuniciam Poteſtatem; eodemq; modo multiplicatos a Græcis ejuſdem annos fuiſſe. Hinc, qui non admittunt renovandi IIII. Idus Decembris Tribuniciam Poteſtatem methodum, ad incitas heic rediguntur. Pagii de hujuſmodi nummis conjecturam jam (g) abdicavimus. Noriſius (h) vel ubiq; erratum eſſe in adſignando Nervæ anno tertio, vel forte Nervam Kalendis Januariis præter morem cum Tribunis Plebis Tribuniciam Poteſtatem bis iteraſſe, ſcribit. Sed hanc opinionem de iterata Kalendis Januariis Tribunicia Poteſtate prorſus falſam poſtea (i) pronuntiavit; ſuſceptamque initio ſtatim delati imperii Tribuniciam Poteſtatem, die ipſo natali imperii quotannis iterari conſueviſſe, ſubdit. Hinc reſtat ex eo, ubique erratum eſſe in adſignando Nervæ anno tertio. Hoc tamen nullo modo placet Tillemontio, adeoque nec amplectitur; quamvis, quid nummis reſpondeat, non habeat. Queritur etiam de Mediobarbo, quod nummos omnes cum Tribunicia Poteſtate tertia Nervæ omiſerit, nihilque de iis dixerit. Quo pacto difficultates illum effugiſſe, aliiſque ſolvendas reliquiſſe credit. Clariſs. Muratorius in Nota ad Inſcriptionem Nervæ, quæ exhibet TRIB. POTEST. III. (k), legendum docet TRIB. POTEST. II. *Non enim Nerva Auguſtus*, ait, *Tertiam iniit; niſi forte, qui lapidem poſuit, illam præoccupavit, ratus longiorem fore optimi ſenis vitam*. At juxta opinionem noſtram *tertiam* iniit Nerva Tribuniciam Poteſtatem die X. Dec. anni U. C. DCCCL.; nec, qui lapidem poſuit, illam præoccupavit.

(a) Apud Goltz. p. 63.
(b) Apud Grut. p. CLXXXV. 4.
(c) Goltz. pag. 63.
(d) Ibid.
(e) Ibid.
(f) Dio Caſſ. Lib. LXVIII. pag. 771. B.
(g) Num. XI.
(h) Cap. 6. de nu. Licin.
(i) De Vot. Dec. cap. 5.
(k) Tom. I. Theſ. Inſcription. pag. CDXLVIII. nu. 4.



XXI.

TRAJANUS.



Nno U.C. DCCCL. (*a*), die XXVIII. Octobris Trajanum adoptavit Nerva, eique Tribuniciam Poteſtatem communicavit. Trajanus autem hanc iteravit die x. Decembris ejuſdem anni, ut ex nummis & lapidibus dignoſcitur. Dicitur enim TRIB*unicia* (*b*) POT*eſtate* IIII. CON*sul* II; quum *Conſul tertium* proceſſerit Kalendis Januariis anni U.C. DCCCLIII. (*c*). Inſcribitur etiam TRIB*unicia* (*d*) POT*eſtate* V. CO*nsul* III; quod conciliari nullo modo poteſt, niſi Tribunicia Poteſtas *quinta* incipiatur die x. Decembris anni U. C. DCCCLIII.; ſubſequentibus enim Kalendis Januariis Conſulatum *quartum* iniit Trajanus. Occurrit (*e*) quidem CON*sulatus* III. Trajani cum ejuſdem TR*ibunicia* POT*eſtate* III., & CO*nsulatus* IIII. cum TRIB*unicia* POT*eſtate* IIII. Quare vel a duplici principio numerata eſt Tribunicia Trajani Poteſtas; vel hi Conſulatus deſignati tantum, nondum initi explicari poſſunt atque debent. Quod manifeſtum fit nedum ex modo relatis inſcriptionibus, verum etiam ex nummis (*f*), in quibus TR*ibunicia* P*oteſtas* XIIII. cum CO*nsulatu* VI. conjungitur. Quippe eadem *Tribunicia Poteſtas* XIIII., etiamſi a die, quo primum accepta fuit, annuatim numeretur, ad *Conſulatum ſextum*, utpote qui Kalendis Januariis anni U. C. DCCCLXV., Chr. CXII. initus eſt, pertingere nullo modo poteſt. Multo magis opinionem noſtram de iteranda multiplicandaque quotannis die quarto Idus Decembris Tribunicia Poteſtate confirmant nummi inſcripti (*g*) TR. P. VII. COS. IIII. DES. V: etenim, ſi die XXVIII. Octobris, quo primum accepit Trajanus Tribuniciam Poteſtatem, quotannis illam renovaſſet, *ſeptimam* iniiſſet die XXVIII. Octobris anno U. C. DCCCLVI. (*h*), decem poſt menſibus, quam Conſulatum *quintum* auſpicatus erat, adeoque *Deſignatus* V. non diceretur. Quod ſi Tribunicia Poteſtas primum accepta die XXVIII. Octobris anni U. C. DCCCL. (*i*), die IIII. Idus proximi Decembris iteretur, atque hoc die ſubſequentibus annis renovetur; die IIII. Idus Decembris anni U. C. DCCCLV. (*k*) *ſeptima* incipiet, Conſulatu *quinto* nondum inito, ſed adhuc deſignato. Preſſi his nummis Mediobarbus

(a) Chr. 97.

Trajani adoptio, Tribunicia Poteſtas, & imperium.

(b) Apud Grut. pag. CLV. 10.

(c) Chr. 100.

(d) Apud Grut. p. CXC. 2.

(e) Apud Grut. pag. CLXXXIX 15. & CCXLVI. 5. Goltz. p. 64. & Mediob. p. 149. 150.

(f) Apud Goltz. p. 65.

(g) Apud Mediob. p. 152. & Noriſ. in Ep. Conſ. p. 65. nunc 925. To. II. Edit. Veron. ann. 1729.

(h) Chr. 103.

(i) Chr. 97.

(k) Chr. 102.

barbus (*a*), Harduinus (*b*), & Norisius (*c*) cum Fabretto (*d*), & Blanchinio (*e*) Consulatum *quintum* Trajani in annum U. C. DCCCLVII. (*f*) differunt; sedibusque pellentes suis Suram atque Marcellum Coss., eos retrahunt in annum U.C. DCCCLVI. (*g*). Pagius (*h*) autem, Tillemontius (*i*), ac Basnagius (*k*), cum aliis reclamant, fidemque adstruentes Fastis Consularibus, qui heic omnes conveniunt, nummos potius in suspicionem adducere conantur, locoque *Tribuniciæ Potestatis* VII. legendum VI. adserunt. Ego vero Fastos simul ac nummos recte habere, eosque optime, nedum inter se consentire, verum etiam opinionem nostram stabilire arbitror.

(a) Pag. 152.
(b) In Hist. Aug. ad an. Chr. 104.
(c) In Ep. Conf. p. 66. nunc 926.
(d) In Synt. de Col. Traj. cap. 9.
(e) In Chron. pag. 182. Tom. II. Anast. Biblioth.
(f) Chr. 104.
(g) Chr. 103.
(h) In Crit. ad an. Chr. 103. n. III. & seq.
(i) Not. XIII. in Traj.
(k) In Ann. Pol. Eccl. ad an. Chr. 104. n. 1.

XXII.

HADRIANUS.



Rajanum excepit in imperio Hadrianus *tertio* (*l*) *Iduum Augusti* anno U. C. DCCCLXX. (*m*). Regnavit autem ἔτη εἴκοσι ϗ μῆνας ἕνδεκα (*n*), *annos* XX, *mensesque* XI. Exhibet tamen in nummis (*o*) & inscriptionibus (*p*) L. KB. *annum* XXII, ac TRIB*uniciam* POT*estatem* XXII. Petavius (*q*), Norisius (*r*), aliique inesse heic errorem, ac XXI. pro XXII. legi debere tradunt. Pagius, quum sibi objecisset inscriptionem illam, quæ apud Gruterum est pag. CCLII. num. I., quæque in Transilvania esse dicitur, animadvertit (*s*) Hadrianum in Campania, longissime a Transilvania dissita, die X. Julii anni Chr. CXXXVIII. obiisse. Die vero decima mensis sequentis Tribuniciam Potestatem XXII. initurum fuisse subdit. Quare inscriptio ante diem X. Augusti illius anni exarata ab eo dicitur. Quæ alteri quoque ex Transilvania apud Lazium inscriptioni solutio accomodari debet ex Basnagio (*t*); qui, alibi errasse sculptorem in vindicanda Hadriano Tribunicia Potestate XXII. subdit. Pagius vero (*u*) nummos etiam, qui annum XXII. præferunt, post mortem Hadriani percussos docet in urbibus longe ab Italia dissitis, ad quas hujus mortis nuntium nondum perlatum erat. At, quod ad errorem spectat, mirum sane in tot nummis & inscriptionibus erratum; nec facile alienis a partium studio persuadebitur: hoc quippe responsum non ad solvendam, sed ad effugiendam difficultatem inventum esse dignoscitur. Quod vero Pagius habet, de

nummis

(l) Spart. in Hadr. c. 4.
(m) Chr. 117.
(n) Ex Dion. Xiphil. Lib. LXIX. pag. 797. E.
(o) Apud Hardu. in Hist. Aug. ad an. Chr. 138. Mus. Theup. pag. 1133
(p) Apud Gruter. pag. CCLII. 1. 7. & CCLVI. 4. & Murator. Tom. 1. Thes. Inscript. p. CDLII. n. 2.
(q) Lib. XI. de Doctr. Temp. c. 25.
(r) Ep. Conf. pag. 85. nunc 946.
(s) In Diss. Hyp. P. I. cap. 4. n. V.
(t) In An. ad ann. Chr. 117. n. VII.
(u) In Crit. ad an. Chr. 138. n. III.

nummis & inſcriptionibus in urbibus longe ab Italia diſſitis, incomperta adhuc Imperatoris morte percuſſis & exaratis, admitti alias poſſet; at heic non habet locum: nam in ipſis inſcriptionibus (*a*), quæ Romæ exaratæ ſunt, eadem Tribunicia Poteſtas XXII. legitur. Præterea eſt nummus (*b*) Sabinæ Hadriani uxoris cum L. KA. *anno* XXI., quæ paullo ante adoptionem Ælii Cæſaris *defuncta eſt* (*c*). Adoptio autem Ælii contigit anno U. C. DCCCLXXXIX. Chr. CXXXVI. exeunte, ex eodem Sabinæ nummo. Idem Ælius *Kal. ipſis Januariis periit* (*d*) anno U. C. DCCCLXXXXI. Quo igitur tempore imperium adeptus eſt die XI. Auguſti U. C. DCCCLXX. *Legatum* (*e*) *Syriæ* agebat Hadrianus, *præpoſitoque Syriæ* (*f*) *Catilio Severo, per Illyricum Romam venit.* Ἐλθὼν γὰρ ἐς τὴν Ῥώμην, ἀφῆκε τὰ ὀφειλόμενα τῷ τε βασιλικῷ καὶ τῷ δημοσίῳ τῷ Ῥωμαίων, ἑκκαιδεκαετῆ ὁρίσας χρόνον, ἀφ' οὗ τε καὶ μέχρις οὗ τηρηθήσεσθαι τοῦ τ' ἔμελλεν (*g*). *Igitur, ut primum Romam venit, quidquid aut Fiſco Principis aut publico Populi Romani Ærario debebatur, remiſit; definito tempore annorum ſexdecim, ex quo & quouſque id beneficium conlatum eſſe voluit.* Hujus Liberalitatis memoriam ſervat & exhibet hæc Inſcriptio (*h*): *Numini Deorum Aug. Jovi Opt. Max. Ædem. Voto ſuſcepto Q. Lepidus M. F. M. Curius M. F. Coſ.* III. *S. P. Q. R. Imp. Cæſ. Divi Trajani Parthici F. D. Nervæ Nep. Trajano Hadriano Aug. Pont. Max. Trib. Pot.* II. *Coſ. Quod unus omnium Principum & ſolus remittendo ſeſtertium novies millies centena millia n. debitum Fiſcis, non præſentes tantum cives ſuos, ſed & poſteros eorum præſtitit hac Liberalitate ſecuros.* Notandum porro eſt, Hadrianum heic *Coſ.* tantum, id eſt prima vice *Conſulem* inſcribi; Conſul autem iterum proceſſit Kalendis Januariis anni ſequentis U. C. DCCCLXXI. Quare hæc Inſcriptio poſita eſt ante has Kalendas. In ea vero dicitur Hadrianus TRIB. POT. II., quod fieri non potuit, niſi ſumptam cum imperio die XI. Auguſti Tribuniciam Poteſtatem, die X. Decembris iteraſſet. Subdit Dio Caſſius (*i*), narratque ſpectacula, quæ Hadrianus ἔν τε τοῖς ἑαυτοῦ γενεθλίοις, *die ſuo natali* gratis dedit populo, die nempe XXIV. Januarii; quippe *natus eſt* (*k*) *Romæ* IX. *Kal. Febr. Veſpaſiano* VII. *& Tito* V. *Coſs.* (*l*). Hinc laudata Liberalitas, quæ hæc ſpectacula præceſſit, recte ad annum ſuperiorem refertur. Ex his omnibus conſtat cum prima Hadriani *Tribunicia Pot.* primum imperii annum incompletum fuiſſe, & cum Trib. ipſa Pot. die X. Dec. tum prima vice tum poſtea fuiſſe renovatum.

(a) Apud Grut. p. CCLII. num. 7. CCLVI. n. 4.
(b) In Muſ. Theupol. p. 1134.
(c) Spartian. in Hadr. cap. 23.
(d) Id. in Æl. c. 4.
(e) Spart. in Vit. c. 4.
(f) Id. c. 5.
(g) Dio Caſſ. Lib. LXIX. p. 791. C.
(h) Romæ ex Bronio Annal. ann. 120. & Mabillon. Analect. Tom. 4. p. 486.
(i) Ibid.
(k) Spartian. in Vit. cap. 1.
(l) Anno U. C. 829. Chr. 76.

XXIII.

XXIII.

ANTONINUS PIUS.



MOrtuo Ælio Vero, quem ſibi Hadrianus adoptaverat, & Cæſarem nuncupaverat (*a*), *adoptatus eſt* v. *Kalendas Martias die* Antoninus; *factuſq; eſt* Hadriano *& in imperio Proconſulari & in Tribunicia Poteſtate Conlega*. Id contigit anno U. C. DCCCXCI. (*b*); quo pariter mortuus eſt Hadrianus die x. Julii, eique ſucceſſit Antoninus. Qui proinde inſcribitur (*c*): IMP. T. AEL. CAES. HADR. ANTONINVS)(AVG. PIVS P. M. TR. P. COS. DES. II. Conſul autem *iterum* proceſſit Antoninus ſubſecutis Kalendis Januariis anni U. C. DCCCXCII. Alibi vero (*d*) dicitur TRIB. POT. VIII. COS. III. Quod ſi v. K*al. Martias die*, quo primum accepit *Tribuniciam Poteſtatem*, ſingulo quoq; anno illam renovaſſet, *octavam* iniiſſet die XXV. Februarii anno U. C. DCCCXCVIII. (*e*); poſtquam Kal. Januariis ejuſdem anni Conſulatum *quartum* acceperat, contra quod fert inſcriptio. Nec tantum ſunt nummi Latini cum TR*ibunicia* POT*eſtate* XXIIII., verum etiam Græci (*f*) cum L. KΔ., *anno* XXIV. Quorum hi ſi de ſupremo imperio poſt mortem Hadriani ſuſcepto intelligantur, incompletus is annorum numerus dignoſcitur: imperavit enim Pius annos XXII., menſes VII., dies XXVI., aut XXVII.; obiitque die VII. Martii anno U. C. DCCCCXIV. (*g*). Idem annorum numerus invenitur etiam apud Xiphilinum (*h*); quippe legitur: ἦρξε ὃ καὶ εἴκοσι καὶ τέσσαρα ἔτη: *Regnavit annos quatuor & viginti*.

(a) Capitolin. in Vit. Ant. P. cap. 4.
(b) Chr. 138.
(c) Apud Occon. p. 248. Noriſ. Ep. 38. ad Mediobar. p. 95. Oper. ejuſd. Edit. Mant. ann. 1741.
(d) Apud Murat. Tom. II. Theſ. Inſcr. p. MXXXII. 4.
(e) Chr. 145.
(f) Muſ. Theup. pag. 1148.
(g) Chr. 161.
(h) Ad Lib. LXX. Dionis Caſ. pag. 800. A.

XXIV.

M. AURELIUS ET L. VERUS.



HAdrianus Antoninum Pium ea lege in adoptionem legit (*i*), ut ſibi Marcum Pius adoptaret. Poſt exceſſum Hadriani *Pius Marcum Cæſaris appellatione donavit* (*k*). *Fauſtinam* Pii filiam *duxit uxorem*, *& ſuſcepta filia*, *Tribunicia Poteſtate donatus eſt*. Accidit hoc circa principium anni U.C. DCCCC. (*l*), adeo ut IIII. Idus Decemb. ejuſdem anni Tribuniciam Poteſtatem iteraverit Marcus, quando undecimam

(i) Capitolin. in Marc. c. 5.
(k) Id. cap. 6.
(l) Chr. 147.

Antoninus

Antoninus inibat. Hinc Antoninus cum TRIB. POT. XIIII. & Marcus cum TRIB. POT. V. ſimul (*a*) occurrunt. Anno autem U. C. DCCCCXIIII. (*b*), quum decurreret Tribunicia Poteſtas XXIIII. Antonini Marcique XV. (*c*), mortuo die VII. Martii Antonino, Marcus (*d*) a Senatu coactus eſt regimen publicum capere: ipſe vero L. Verum ſibi participem in imperio deſignavit; Cæſaremque atque Auguſtum dixit, *dato* (*e*) *imperio, & indulta Tribunicia Poteſtate, Proconſulatus etiam honore delato*; atque ex eo pariter cœperunt Rempub. regere. L. Verum a Marco ante tempus imperii Tribuniciam Poteſtatem obtinuiſſe, adſerit, neſcio, qua ratione, Cl. Grævius (*f*). Decima igitur Decembris ejuſdem anni die Tribuniciam Poteſtatem iteravit Lucius, Marcus vero iniit XVI. Fuit eo (*g*) tempore Parthicum bellum, ad quod Senatu conſentiente Verus miſſus eſt. *Egit autem per quadriennium Verus hiemem Laodiceæ, æſtatem apud Daphnen, reliquam partem Antiochiæ.* Cum nomine *Armeniaci*, *Parthici*, ac *Medici* (*h*) parti ſunt utrique Auguſto tituli IMP. II. III. & IIII. ob victorias. Dum Parthicum bellum geritur (*i*), natum eſt Marcomannicum. Profecti (*k*) itaque ſunt paludati ambo Imperatores. Nec parum profuit iſta profectio, ut jam notavimus (*l*), atq; adeo titulum IMP. V. ſibi pepererunt. Placuit autem, urgente Lucio, ut præmiſſis ad Senatum litteris Lucius Romam rediret. Ubi autem poſtea una iter ingreſſi ſunt (*m*), *ſedens cum* Marco *in vehiculo Lucius apoplexi arreptus periit*. Auctor eſt Galenus (*n*), auguſtæ domus tunc temporis Medicus, τῦ Λυκίυ κατὰ μέσον τῦ χειμῶνος μεταστάντος εἰς θεούς, *media hieme Fatis conceſſiſſe Lucium*. Philippus a Turre Epiſcopus Adriæ (*o*) deſcribit, exhibetque nummum e Muſeo Theupolo cum L. ΔΕΚΑΤΟΥ, *anno decimo* Veri; eoque probare nititur, Ægyptios, quorum eſt ille nummus, Imperatorum annos die XXIX. Auguſti renovare conſueviſſe. Verum alucinatus eſt Vir ceteroquin perſpicaciſſimus in legenda eroſa nummi epigraphe; neque enim nummus habet L. ΔΕΚΑΤΟΥ, *annum decimum*, ſed L. ΕΝΑΤΟΥ, i. e. *annum nonum*. Nummum ipſe tractavi, diligenterque inſpexi cum Petro Fundi Veneto, Viro in re nummaria erudiτiſſimo oculatiſſimoque, quem amicitiæ cauſſa nomino. Is præfuit editioni ejuſdem ditiſſimi Muſei, & pro ſua diligentia exhibuit (*p*) *annum* IX. Epitaphium (*q*) in ſepulcro Veri inſcriptum nonniſi TRIBVNIC. POT. VIIII. IMP. V. refert,

(a) Apud Goltz. pag. 75. & Grut. pag. CCLIX. 6.
(b) Chr. 161.
(c) Tom. I. Theſ. Inſcript. Murat. p. 239. 7.
(d) Capitol. in Vit. cap. 7.
(e) Idem in Vero cap. 4.
(f) Exerc. de nu. Tr. Pot. Obſer. V.
(g) Capitolin. in Marc. c. 8.
(h) Inſcript. ad Æd. D. Laurentii Mediolani.
(i) Capit. in Marc. c. 13.
(k) Cap. 14.
(l) Com. ad num. 1. Tab. XX.
(m) Capitol. ibid.
(n) Lib. de Prænot. cap. 9. p. 845. D.
(o) Diſſ. ad num. An. Fauſt. cap. 3.
(p) Pag. 1159.
(q) Apud Gruter. pag. CCLIII. 2.

quæ Tribunicia Poteſtas cum XXIII. Marci IIII. Idus Decembris anno U. C. DCCCCXXI. cœpit. Hinc ſequenti hieme deceſſit Verus. Marcus autem rebus inde contra Germanos feliciter geſtis titulum ſibi peperit IMP*eratoris* VI; qui titulus cum VICT*oria* GERM*anica* in aliquot apud Mediobarbum (*a*) nummis TR*ibuniciæ* POT*eſtati* XXIII. junctus legitur. Quod ſi prima Tribunicia Poteſtas Veri cum XV. Marci majori ex parte fluxiſſet, & menſe Martio annuatim renovata eſſet, ut alii tradunt, *nona* Veri cum XXIII. Marci decurriſſet; nec titulo IMP. VI. & VICT. GERM. honore fraudatus eſſet Verus. Habentur in Muſeo Theupolo numiſmata Lucii cum L. I. (*b*) *anno* X., quin & cum L. A... (*c*) *anno* XXX .... : at hæc ad adoptionem ac principatum Marci & Ælii Cæſaris ſpectare diximus (*d*): ſicut etiam *annus* X. & XII. in nummis (*e*) Lucillæ uxoris Lucii ad Marcum patrem pertinent.

(a) Pag. 221.
(b) Pag. 1159.
(c) Pag. 1160.
(d) Num. XII. 12. pag. 44.
(e) Muſ. Theup. pag. 1160.

XXV.

COMMODUS.



BEllo Germanico peracto ordinatiſque rebus orientalibus, Romam ut venit Marcus, triumphavit: exinde Lavinium profectus eſt (*f*). *Commodum deinde ſibi conlegam in Tribunicia Poteſtate junxit*, teſte Capitolino. Ut vero habet Lampridius (*g*), Commodus *cum Patre appellatus eſt Imperator* V. *Kalendas Exſuperatorias*, *Pollione iterum & Apro Conſulibus* anni U. C. DCCCCXXIX (*h*); *triumphavit* X. *Kalendas Amazonias*, *iiſdem Conſulibus*. Legitur apud ipſum Lampridium (*i*), menſes in honorem Commodi *pro Auguſto Commodum*, *pro Septembri Herculem*, *pro Octobri Invictum*, *pro Novembri Exſuperatorium*, *pro Decembri Amazonium* adulatores vocaſſe. Menſium nomina mutata tum fuiſſe, conſtat etiam ex Dione (*k*) & Herodiano (*l*). Sed in Dionis laterculo, ut notat Cauſabonus Vir Eruditiſs. (*m*), inter Commodum menſem & Herculeum alius interjectus, qui veteri nomine, ſed nova notione *Auguſtus* dictus: is autem eſt September; *Commodus* enim eſt Auguſtus. *Herculeum* igitur fuiſſe Octobrem, non Septembrem, ſubdit ex Dione Cauſabonus. Qui & ita Lampridii locum concipiendum docet: *Pro Auguſto Commodum*, *Auguſtum pro Septembri*,

(f) Capit. in Mar. cap. 27.
(g) In Com. c. 12.
(h) Chr. 176.
(i) In Commodo cap. 11.
(k) Lib. LXXII. pag. 824. C. D.
(l) Lib. I. cap. 14.
(m) In notis ad hunc Lampr. loc.

tembri,

tembri, Herculeum pro Octobri, Invictum pro Novembri, Exsuperatorium pro Decembri, Amazonium pro Januario. Favet huic correctioni ipse Lampridius; nam, quum scribat (*a*), Commodum cum Patre appellatum esse Imperatorem v. *Kalendas Exsuperatorias, Pollione iterum & Apro Coss.*, alibi *cum Patre*, inquit (*b*), *Imperator est appellatus* v. *Kal. Decemb. die, Pollione & Apro Coss.* Ubi *Decembrem* vocat, quem *Exsuperatorium* alio in loco nominat. Sive tamen v. Kal. Novembris, sive v. Kal. Decembris Commodus appellatus sit Imperator, certe per id tempus præditum etiam Tribunicia Potestate illum intelligimus; numquam enim Imperator sine Tribunicia Potestate quis renuntiabatur: adeoq; Tribuniciam ipsam Potestatem mox die IIII. Idus Decembris iteravit. Cujus rei certiores inde reddimur, quod in nummis (*c*) legimus TR. P. IIII. COS. DES. II., quem Consulatum iniit Kalendis Januariis anni U. C. DCCCCXXXII. (*d*). Item (*e*) TR. P. VIII. COS. III., TR. (*f*) P. XV. COS. V., ac TR. (*g*) P. XVII. COS. VI.; quos Consulatus Tribunicia Potestas cum eis conjuncta, nisi die IIII. Idus Decembris singulo quoque anno renovetur, excedere dignoscitur. Ita etiam TR. P. XVIII., ad quam pervenit Commodus, non esset locus; etenim anno U. C. DCCCCXLV. nocte, quæ *Kalendas Jan. præcessit*, occisus est. Norisius (*h*), Pagius (*i*), Tillemontius (*k*), atque Basnagius (*l*) conlatam primum Commodo Tribuniciam Potestatem anno U. C. DCCCCXXVIII, Chr. CLXXV. adserunt: traditque Norisius peccare Capitolinum anni, &, quod excurrit, metachronismum, ubi scribit (*m*), Marcum, postquam Romam venit, triumphasse, exinde Lavinium profectum, ac *Commodum deinde sibi conlegam in Tribunicia Potestate junxisse*. At hæc Viri Clar., quo difficultatem effugerent, excogitarunt. Ceterum multo clarius Capitolino conlatum anno U. C. DCCCCXXIX. Chr. CLXXVI. imperium, adeoque & Tribuniciam Potestatem Commodo adstruit citatus Lampridius. Hinc Biacca (*n*), Vir & ipse Cl. nummos potius, qui apud Mediobarbum & Vaillantium cum TR. P. XVIII. Commodi occurrunt, in suspicionem adducere conatur: qua in re eidem præivit Harduinus (*o*). At præter nummos Latinos, quorum duo in conlectione Albano - Vaticana (*p*), legitur quoque in ejus epitaphio (*q*), & apud Dionem idem numerus Δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ ὀκτωκαιδέκατον (*r*), *Tribuniciæ Potestatis* XVIII adeo ut de eo dubitari nullatenus possit. Quæ omnia num-

(a) In Com. c. 12.
(b) Cap. 2.
(c) Apud Mediobarb. pag. 243. Goltz. pag. 81.
(d) Chr. 179.
(e) Apud Mediob. pag. 247. 248.
(f) Apud eumd. pag. 254.
(g) Apud eumd. pag. 256.
(h) Ep. Conf. p. 120. nunc 979.
(i) In Crit. ad an. Chr. 175. n. VII
(k) Ad eumd. an.
(l) In An. Pol. Eccles. ad ann. Chr. 175. n. VII.
(m) In Marc. c. 27.
(n) In Not. ad Mediob. p. 257.
(o) In Hist. Aug. ad an. Chr. 192.
(p) Tab. XXXVII. n. 2. & 3.
(q) Apud Gruter. p. CCLIII. 3. & CCLXII. 6.
(r) Lib. LXXII. pag. 824. E.

mis Ægyptiis confirmantur; ſunt etenim nummi Commodi, qui ad numerum L. ΛΓ. *annorum* XXXIII. pertingunt, qui quidem numerus non ad ipſum Commodum, ſed ad patrem Marcum ſpectat; non enim tanto tempore imperium aut Tribuniciam Poteſtatem geſſit Commodus. *In Commodi Imp. nummis Græcis, in Ægypto cuſis non anni ipſius imperii ſignantur, ſed familiæ Aureliæ, a M. Aurelio patre ipſius Imperatore*, inquit Harduinus (*a*). *Quare, qui primus Commodi annus eſt, notatur viceſimus; atque ita deinceps uſque ad* XXXII., *qui ejuſdem imperii nonniſi decimus tertius eſt, idemq; poſtremus*. Ita Vir Cl., cum quo concinit Jobertus (*b*). Nos addimus nummum (*c*) Muſei Arigonii cum anno KB, *viceſimo ſecundo* M. Aurelii, & L. Γ. *tertio* Commodi, cujus eſt ipſe nummus. Hinc ditiſſimum ipſum Muſeum habet nedum L. ΛΒ. (*d*), *annum* XXXII., ſed etiam L. ΛΓ. (*e*), *annum* XXXIII. Quare hic annus, qui eſt XIIII. Commodi, ei poſtremus fuit. At vero (*f*) ἔτη δώδεκα, ϗ μῆνας ἐννέα, ϗ ἡμέρας τεσσαρασκαίδεκα ἄρξαντι, *regnavit* Commodus *annos* XII., *menſes* IX., *dies* XIV.: adeoq; annus XIV. utrimq; incompletus eſt.

(a) In Cronol. V. T. ann. ante Chr. 940.
(b) In Not. numm. n. XI. Novar. Notit.
(c) Tabul. XV. Num. Alexand.
(d) Tab. ſeq.
(e) Eadem Tab. XVI.
(f) Xiphilin. ex Dione Lib. LXXII. p. 828. C.

XXVI.

L. SEPT. SEVERUS.



Ommodum Imperatorem nocte, quæ Kalendas Jan. præcedebat, anno U. C. DCCCCXLV. (*g*) peremptum excepit in imperio Pertinax; eoque poſt dies (*h*) LXXXVII. pariter occiſo, imperium mercatus eſt Julianus, tenuitque ἓξ ϗ ἑξήκοντα ἡμέρας (*i*), *dies ſexaginta ſex*. Hinc capite damnato Juliano, Imperatorem Senatus dixit Severum, cui jam imperium exercitus Illyriciani detulerant. Legitur in Spartiano (*k*), Severum a militibus *Imperatorem eſſe appellatum apud Carnutum Idibus Auguſtis*. At erratum heic in menſe quiſque videt. Quapropter alii *Majum*, alii *Aprilem* reponunt. Itaque ab *Idibus Aprilis* Tribuniciam Poteſtatem Severi deducit Pagius (*l*). Noriſius vero (*m*), Baſnagius (*n*), & Tillemontius (*o*) a die Junii prima vel ſecunda, qua nempe periit Julianus, & a Senatu Imperator eſt nuncupatus Severus, repetunt. Quamvis ſcribat Dodwellus (*p*), die VIII. Idus Aprilis, natali ſuo Tribuniciam Poteſtatem iniiſſe Severum, tradatque (*q*) erraſſe hactenus vulgus Chronologorum, qui Severo

(g) Chr. 192.
(h) Dio Caſſ. Lib. LXXIII. p. 834. E.
(i) Id. eod. Libro in fin.
(k) In Seu. c. 5.
(l) In Crit. ad an. Chr. 193. n. V.
(m) De Vot. Dec. cap. 4.
(n) In Annal. ad an. Chr. 193. n. 15.
(o) Ad hunc an.
(p) Diſſ. XI. Cypr. XLI. p. 79.
(q) Pag. 80.

Severo natalem tribuunt Parilibus recentiorem. Sed alucinatur potius ipſe Dodwellus; nam inter diem XXVIII. Martii, qua Pertinax occiſus eſt, & VI. Aprilis non ſatis eſſe temporis videtur, ut ejus obitus, ac *Julianum cum odio cunctorum imperare* (*a*) reſciri apud Carnutum, ac creari Imperator poſſet Severus. Qua porro die ſumptam primum a Severo Tribuniciam Poteſtatem Viri laudati opinantur, eadem etiam quotannis renovatam docent. At KAL*endis* APRIL*is* (*b*) SEVERO ET VICTORINO COS. anni U. C. DCCCCLIII. Chr. CC. occurrit Severus ipſe Imperator TR. POT. VIII., qui numerus Tribuniciæ Poteſtatis cœptus non fuiſſet, ſi Idibus Aprilis, aut die II. Junii ejuſdem anni, qua primum acceperat, Tribuniciam Poteſtatem renovaſſet Severus. Hinc habetur (*c*) TR*ibunicia* POT*eſtas* XIX. Is autem mortuus eſt τῇ τετάρτῃ τοῦ Φεβρουαρίου, (*d*) *die* IV. *Februarii* anno U. C. DCCCCLXIIII. (*e*), quum regnaſſet ἔτη ἑπτακαίδεκα, καὶ μῆνας ὀκτὼ, καὶ ἡμέρας τρεῖς (*f*), *annos decem & ſeptem, menſes octo, dieſque tres*. Quapropter liquere ſcribit Pagius (*g*), Tribuniciam Poteſtatem Severi a Kalendis Junii inchoatam non fuiſſe; ſi enim ab his Kalendis cœpta fuiſſet, nulli reperirentur nummi *Tribunicia Poteſtate* XIX. inſigniti: incredibile enim videtur, monetarios paullo ante eaſdem Kalendas Severi mortem ignoraſſe. Noriſius (*h*) eorum ſecutus eſt opinionem, qui crediderunt, aut erraſſe monetarios in numero Tribuniciæ Poteſtatis, aut nummos hujuſmodi præparaſſe, die natali imperii diſtrahendos. At hæc longius petita, & ad effugiendas difficultates excogitata. Hinc docet laudatus Pagius (*i*) valde veroſimile eſſe, monetarios nummos nova Tribunicia Poteſtate notatos non cudiſſe, donec primus novæ illius Tribuniciæ Poteſtatis dies adventaſſet; alioquin, quot annis quilibet Imperator regnaſſet, ex nummis numquam probari poſſet. *Numiſmata itaque Severi* XIX. *Tribunicia Poteſtate obſignata, vel uno circiter menſe, antequam ea inchoaretur, vel ſtatim ac incœpta eſt, percuſſa* docet; quod Viro Cl. libenter damus. At non intelligimus, qua ratione id ad duos menſes extendat. Præfatos itaque nummos anno U. C. DCCCCLXIIII. Chr. CCXI. ante Idus Aprilis cuſos tradit (*k*); dum vivus Severus crederetur: *quum enim Eboraci mortem oppetierit, ea per univerſum imperium tam cito ſciri non potuit*. Nos tamen animadvertimus, reſciri illam Romæ, ubi cuſi ſunt nummi, potuiſſe, immo & debuiſſe ante Idus Aprilis; etenim a die IV. Februarii ad Idus Aprilis

(a) Spart. in Sev. c. 5.

(b) Apud Murat. Tom. I. Inſcript. p CCCXLVII. n. 2. Vid. heic nu. ſequ.

(c) Apud Mediob. & Hardu in Hiſt. A.

(d) Dio Caſſ. apud Xiphilin. Libro LXXVI. pag. 868. D.

(e) Chr. 211.

(f) Id. Dio eod. Lib. pag. 870. A.

(g) In Crit. ad an. Chr. 211. n. III.

(h) Ep. XLIII. ad Mediob. pag. 123. Edit. Mant. ann. 1741.

(i) Ibid.

(k) Eod. an. n. II.

Aprilis duo menſes dieſq; excurrerunt novem, quot Eboraco Romam itineri neceſſarii non ſunt. Subdit quidem Vir Cl., Severi mortem aliquamdiu celatam fuiſſe, licet id nullus Hiſtoricus in litteras miſerit, eſſe veroſimile. At in publico fuit Severi deceſſus, filiorumque in imperium ſucceſſio, Dione & Herodiano teſtibus. Nec cauſſa fuit, cur Severi mors celaretur; & e contra debuit ejuſdem nuntium, ſicut & ſucceſſionis filiorum cito Romam adferri. Quare *Tribunicia Poteſtas* XIX. Septimii Severi explicari melius poſſe non videtur, quam illam iterando renovandoque die decima Decembris cujuſque anni. Ita enim die X. Dec. anni U. C. DCCCCLXIII. eadem *Tribunicia Poteſtas* XIX. cœpit, & uſque ad IV. Febr. Severi emortualem duravit.

XXVII.

CARACALLA.



Uum ex nummorum ac lapidum inſcriptionibus annum communicatæ Antonino Caracallæ Severi Filio Tribuniciæ Poteſtatis ſedulo olim indagaret Noriſius (*a*), in Cimmeriis plane tenebris ſe verſari ſenſit; ac omnem pæne inveniendæ veritatis ſpem abjeciſſet, niſi ſatius duxiſſet, rei difficultatem præmonſtrare, quam forte alii felicioribus auſpiciis ſuperarent. Itaque ſcribit Severum, anno U. C. DCCCCXLVIIII. Æræ Dionyſianæ CXCVI. moventem contra Albinum, apud Viminatium in ſuperiori Myſia Antoninum Filium Cæſarem deſtinaſſe ex Spartiano cap. 10. Victum ſubdit Albinum ex eodem Spartiano (*b*) die XIX. Februarii anno CXCVIII. (*c*). Tunc Severus inter feſta ob reportatam victoriam, dum de more Imperator ab exercitu ſalutaretur, Antoninum Cæſarem abs ſe antea dictum, Imperatorem Auguſtum deſtinaſſe, Tribunicia Poteſtate eidem delata, dicitur ab eodem Emin. Purpurato. Severus Galliæ ac Britanniæ rebus compoſitis, eodem anno CXCVIII. Romam venit, juſſitque Senatui, ut Antonino Cæſari Imperatoris inſignia decerneret. *Cæſarem deinde*, inquit Spartianus (*d*), *Baſſianum filium ſuum Antoninum a Senatu appellari juſſit, decretis Imperatoriis inſignibus*. Hinc factum ſubdit, ut, quum quidam annos auguſtæ dominationis Antonini numerarent a die, qua ille in Galliis a Patre deſtinatus fuerat Imperator, alii

(a) Vot. Dec. cap. 4.

De tempore collatæ Antonino Caracallæ Tribuniciæ Poteſt. opinio Noriſii.

(b) In Sev. cap. 11.

(c) In ann. Chr. 197. U. C. 950. Severi de Albino victoriam retrahit Ep. XXVI. ad Mediob. quæ habetur in Ed. Oper. Noriſ. Mant. an. 1741. pag. 74. & rurſ. Epiſt. 44. p. 128.

(d) Cap. 14.

alii vero a die, qua S. C. nomen & insignia Imperatoria eidem tradita sunt, in signandis annis Tribuniciæ Potestatis Antonini variaverint. Quum autem observasset Vir perspicacissimus, in pluribus inscriptionibus, de quibus nos infra, Tribuniciam Caracallæ Potestatem quinquies minorem esse illa Severi, intulit *(a)*, ipsum Caracallam anno CXCVIII. nostræ Epochæ post Kal. Junias, quem diem natalem imperii Severi statuit, primam Tribuniciam Potestatem auspicatum fuisse. Postea ad Pagium scripsit *(b)*, vidisse se argenteum nummum in Museo Abb. Bracesii jam mortui cum epigraphe L. SEP. SEVERVS AVG. P. M. TR. P. VIII., & in postica ANTONINVS AVG. PONT. TR. P. IIII. *Severus anno Christi* CC., inquit Norisius, *Tribunitiam Potestatem* VIII. *iniit, annoque* CCI. *adhuc continuavit. Rursus Caracalla Sponii pag.* 158. *dicitur* TRIB. POT. IIII. COS. *Igitur ante Junium anni Christi* CCI. *accepit Tribunitiam Potestatem*. Alibi vero *(c)* producit Inscriptionem Anagniæ dicatam Caracallæ, in qua hic dicitur TRIBVNIC. POTEST. IIII. COS.; itemque nummum ex Mediobarbo pag. 286., ubi dicitur TR. P. IIII. COS. DES., ex quibus arguit Caracallam ante mensem Aprilem A. V. a Parilibus 951. Tribuniciam Potestatem cum imperio accepisse. Quod firmat ea apud Grut. pag. MXX. 2. Inscriptione, ubi Severus dicitur TRIB. POT. VI. & *Imp. Cæs. M. Aurelius Antoninus Aug.* TRIB. POT. *(d)*, & alia apud eumdem Gruterum *(e)* dicata *M. Aurelio Antonino Pio Felici Aug.* TRIB. POT. III. *Procos. Pr. Non. April. Ti. Claudio Severo C. Aufidio Victorino Cos.* Hæc Cardinalis eruditissimus, ad quem proxime accedit Tillemontius *(f)*. Sed licet in nummis & inscriptionibus Caracallæ Tribunicia Potestas ab anno Christi CXCVIII. de more auspicetur, superesse tamen varias Inscriptiones & aliquos nummos, in quibus ea a præcedenti exordium sumit, auctor est Pagius *(g)*. Ex quo certum reddi subdit, Caracallam eo anno, non vero CXCVIII., ut existimavit Card. Norisius, Imperatorem destinatum fuisse. Quapropter ex Pagio *(h) Tribunitia Potestas Caracallæ in aliquibus nummis & inscriptionibus ab anno* CXCVII., *quo Imperator destinatus est, in aliis autem ab anno* CXCVIII., *dieque incerto, post decimum tertium Aprilis ejusdem anni, desumi solita*. Pagium sequitur Basnagius *(i)*.

At pace tantorum virorum nec anno CXCVII. nec sequenti inter festa ob reportatam de Albino victoriam Antoninum destinavit

(a) Apud Pagium in Crit. ad an. Chr. 198. n. VIII.
(b) Ibid.
(c) Vid. Noris. Diss. V. de Epoch. Syro Maced. cap. 3. sub fin.
(d) Epist. 26. ad Mediob. p. 78. C.
(e) P. CCLXIX. 2.
(f) Not. XIX. in Sever.
Pagii opinio.
(g) In Crit. ad an. Chr. 198. n. VIII.
(h) Ibid. n. 9.
(i) In An. Pol. Eccles. ad ann. Chr. 198. n. 2.

Auctoris opinio de tempore, quo destinatus factusque Caracalla Imperator.

destinavit Imperatorem Severus; sed, postquam Romam, Galliæ ac Britanniæ rebus compositis, reversus est, *decerni imperatoria insignia*, h. e. designari Imperatorem jussit, ac tunc decreta, aut saltem destinata videtur Antonino Tribunicia quoque Potestas. Severus itaque, *quum (a) iret contra Albinum, in itinere apud Viminatium, filium suum majorem Bassianum, adposito Aurelii Antonini nomine, Cæsarem appellavit.* Factum id anno U. C. DCCCCL. Chr. CXCVII. probat hæc Inscriptio (*b*):

LATERANO . ET . RVFINO . COS
SVPER . NVMERVM
COOPTATVS . EX . S . C
M . AVRELIVS . ANTONINVS
CAESAR . DESTINATVS

Sequenti anno U. C. DCCCCLI. *victus est (c) Albinus die* XI. *Kalendas Martii*, Spartiano teste; qui subdit (*d*) interfectos etiam fuisse Severi jussu innumeros Albini partium viros multasque feminas inlustres. Hinc *multi sane*, ait, *post Albinum, fidem ei servantes, bello a Severo superati sunt. Eodem tempore etiam Legio Arabica defecisse ad Albinum nuntiata est. Ultus igitur graviter Albinianam defectionem –, Romam venit.* In his patrandis peragendoque itinere non parum temporis insumpsisse Severus videtur, ita ut citius mense Majo esse Romæ non potuerit. Aliqua alia Spartianus refert (*e*), quæ in Urbe egit Severus, antequam *Cæsaream* dignitatem confirmari Antonino a Senatu curaverit. Hinc scribit: *Cæsarem deinde Bassianum filium suum Antoninum a Senatu appellari jussit, decretis Imperatoriis insignibus.* Destinati quippe Imperatores insignibus utebantur Imperatoriis. Titulus IMP. DESTINATI datur Caracallæ in Inscriptione Juliæ matri dicata (*f*). Sunt etiam nummi (*g*) & inscriptiones Caracallæ cum epigraphe DESTINATO IMPERATORI. Eodem tamen anno participem etiam imperii factum Caracallam, nos docet idem Spartianus. Profectum namque ad bellum Parthicum narrat Severum, ita ut *æstate (h) jam exeunte Parthiam ingressus, Ctesiphontem pulso Rege pervenerit, & ceperit hiemali prope tempore, ac plurimos interemerit, & Parthicum nomen meruerit. Ob hoc etiam filium ejus, Bassianum Antoninum, qui Cæsar appellatus jam fuerat, participem imperii dixerunt milites. Getam quoq; minorem filium Cæsarem dixerunt.* Herodianus pariter scribit (*i*), διατρίψας δὲ

(a) Spartian. in Sev. cap. 10.

(b) Guther. de Vet. jur. Pont. Libro I. cap. 9.

(c) Spartian. in Sev. cap. 11.

(d) Cap. 12.

(e) In Sev. c. 13. & 14.

(f) Apud Murat. Tom. II. Thes. Inscript. p. MLXXXVIII. 2.

(g) Apud Mediobarb. p. 284. Harduin. in H. A. ad an. Chr. 195. Mus. Teup. pag. 220. Gruter. pag. CCLXVII.

(h) Cap. 16.

(i) Lib. III. c. 9.

δὲ ἱκανὸς χρόνους ἐν τῇ Ρώμῃ, τούς τε υἱεῖς αὐτοῦ κοινωνοὺς τῆς βασιλείας καὶ αὐτοκράτορας ἀποδείξας : *Severum* e Gallia reverſum *aliquandiu* (*a*) *Romæ moratum filios imperii participes*, *eoſque Imperatores declaraſſe*, ſeu potius *deſtinaſſe*. Id autem immediate præmittit hiſtoricus profectioni Severi contra Parthos. In Caſtello Morlupi, ſub Altari Eccleſiæ, referente ex Ligorio atque e ſchedis Farneſiis Clar. Muratorio (*b*), exſtat Inſcriptio IMP. CAES. AVRELIO ANTONINO *Imp. Cæſ. L. Septimii Severi Filio* a Capenatibus DEDIC. XIII. K. OCT. SATVRNINO. ET. GALLO. COS. hujus anni U. C. DCCCCLI. Chr. CXCVIII.

Hæc in expedito eſſe videntur; at ea turbant nummi & aliæ Inſcriptiones; quin in his ipſis perturbatio ineſt. Itaque eſt Inſcriptio (*c*) dicata IMP. CAES. M. AVRELIO ANTONINO AVG. F. IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEVERI — TRIBVNIC. POT. V. In nummo Abbatis Braceſii & in quadam Inſcriptione (*d*) Severus dicitur TR. P. VIII., Antoninus vero TR. P. IIII.; in aliis apud Gruterum (*e*) & alios (*f*) inſcriptionibus Severus eſt TRIB. POT. XI., Antoninus V. Itaque modo quater, modo ſexies diſtant; ſæpius vero quinquies diſtare videbimus. Legitur quoque Severus (*g*) TRIB. POT. VII., Antoninus autem TRIB. POT. abſque nota numerali; rurſum Severus (*h*) TRIB. POT. VIII. dicitur, Antoninus tantum TR*ibunicia* P*oteſtate*: ubi notas numerales addi debuiſſe videtur, ſi plures Tribunicias Poteſtates tum numerabat Antoninus. Habetur præterea (*i*) TRIB. POTEST. III. Severi cum TRIB. POTEST. XVI. Antonini; & TRIB. POT. VIII. Severi cum TRIB. POT. XVII. Antonini (*k*). Demum DIVVS (*l*) dicitur Severus in TRIB. POT. VIII. Antonini, quum nonniſi in ejus Tribunicia Poteſtate XIIII. obierit. Miris etiam aliis putidiſque ſcatent erratis hujuſmodi inſcriptiones; ſatius itaque eſt eas ſecernere, in quibus Tribunicia Poteſtas rectius ſtare videtur. Hæ autem & numero & auctoritate reliquas ſuperant, eæque ſunt, quæ Tribuniciam Poteſtatem Antonini quinquies minorem illa Severi exhibent. Viſitur apud Gruterum (*m*) & Muratorium (*n*) Severus TRIB. POT. VI., Antoninus TRIB. POTEST. ſc. prima. Exſtant apud Gruterum (*o*) deſcriptæ ſex columnæ milliariæ, quæ Severum TRIB. POT. VIIII. Antoninum TRIB. POT. IIII. præferunt. In Zophoro porticus Agrippæ ante Pantheon dicitur Severus (*p*) TRIB. POT. X. * Antoninus autem TR. POT. V.; ſic etiam legitur in Inſcriptione (*q*) Anagniæ.

(a) Multum temporis explicat Noriſius, & parte anni U. C. 950. Chr. 197. cum duobus annis ſequen., & parte anni U. C. 953. Romæ detinet Severum Ep. XXVI ad Mediobarb. pag. 78. edit. Mant. 1741. Vid. Ep. XLIV, p. 128.

(b) Tom. II. Theſ. Inſcript. p. MXXV. n. 6.

(c) Apud Murat. pag. CCXLVI. n. 5. Theſ. Inſcr.

(d) Apud Grut. pag. CCLXIV. 5. & Murat. T. I. p. CCXLVI. 3.

(e) Pag. CXCI. n. 5.

(f) Murat. Tom. I. Theſ. Inſcript. p. CDLVI. n. 1. Noriſ. Ep. XXIV. ad Mediobar. Edit. Mant. ann. 1741.

(g) Apud Gruter. pag. CCLXIIII. 4

(h) Eadem pag. num. 6.

(i) Apud Gruter. pag. CLVII. 1.

(k) Apud Murat. Tom. I. Theſ. Inſcrip. p. CDLV. 7.

(l) Apud Grut. pag. CCLXXI. 1.

(m) Pag. MXX. 2.

(n) Tom. I. pag. CDLVI. 6.

(o) Pag. CLVII.

(p) Apud Panvin. Com. in Lib. II. Faſt. ad an. U. C. 956. & Vignol. Diſſ. II. de an. I. Alex. Sev. p. 86.

* *TRIB. POT. XI. Noriſ. Ep. ad Mediob. 17 Sept. 1680., quæ eſt XXIV. Tom. V. Oper. Noriſ. ann. 1741. & Epiſtola XXVI. & XXVII.*

(q) Apud Grut. p. CL. 5.

In Arcu Fori Romani Severus eſt *(a)* TRIBVNIC. POTEST. XI., Antoninus TRIBVNIC. POTEST. VI. Hinc in arcu Fori boarii legitur *(b)* TRIB. POTEST. XII. Severi conjuncta cum TRIB. POT. VII. Antonini. *Ludi* quoq; *ſæculares* in TR. P. XII. Severi *(c)*, & TR. P. VII. Antonini occurrunt. Rurſus *(d)* TRIB. POT. XV. Severi cum TRIB. POT. X. Antonini conjungitur. Demum *(e)* TR. POT. XVIII. Severi cum TRIB. POT. XIII. Antonini exhibetur. Ex quibus omnibus, Tribuniciam Poteſtatem Antonini quinquies minorem ut plurimum fuiſſe illa Severi docemur. Non tamen rejicimus, aut in ſuſpicionem adducimus illos Tribuniciæ Poteſt. utriuſq; Auguſti numeros, qui quater, aut ſexies inter ſe diſtant: ſed hac ſola ratione ii omnes extricari explicarique poſſe nobis videntur, ſi duplex illud renovandæ Tribuniciæ Poteſtatis principium, unum nempe a die ejuſdem primum acceptæ, alterum a die X. Dec. repetendum, heic maxime adhibeatur, ita enim fiet, ut, quum duo ſint Principes, duoque uterque principia habeat, modo quater, modo quinquies, modo etiam ſexies in numeranda Tribunicia Poteſtate ſint diſpares. At, quod magis noſtra refert, illud eſt, ex hiſtoricis ac monumentis jam adlatis conſtare, non ante Majum, aut forte ſequentes menſes conlatam fuiſſe Caracallæ Tribuniciam Poteſtatem anno U. C. DCCCCLI. Chr. CXCVIII. Sane is dicitur TRIB. POTEST. III. *(f)* *Pridie Nonas Apriles*, *Ti. Claudio Severo*, *Cajo Aufidio Victorino* anni U. C. DCCCCLIII. *(g)* *Conſulibus*: qui numerus Tribuniciæ Poteſtatis ſtare non poſſet, niſi anno U. C. DCCCCLI. eadem Poteſtas poſt *pridie nonas Apr.* ei primum delata die X. Decembris iterata fuiſſet. Sunt apud Occonem *(h)* & Mediobarbum *(i)* duo nummi Caracallæ, in quibus adhuc inſcribitur PONTIF. tantum in TR. P. XIIII. Plures vero ſunt, qui illum exhibent PONTIF*icem* MAX*imum* in eadem TR*ibunicia* PO*teſtate* XIIII., poſt mortem nempe Severi, quæ contigit *die* IIII. *Februarii* anno U. C. DCCCCLXIIII. Chr. CCXI., ut arguunt Antiquarii. Quapropter Tribuniciam Poteſtatem adulto jam anno U. C. DCCCCLI. Chr. CXCVIII. primum acceptam, die X. Decembris ejuſdem anni renovavit Antoninus. Quod evidentius conſtat ex nummis & inſcriptionibus, in quibus dicitur *Tribuniciæ Poteſtatis* XX. Itaque occurrit ipſe Antoninus cum TR. P. XX. *(k)*, antequam τῇ ὀγδόῃ τοῦ Ἀπριλίου *(l)*, *die octava Aprilis* anno U. C. DCCCCLXX. Chr. CCXVII. ſublatus ſit.

(a) Apud Panvin. ibid. ad an. U. C. 957. & Fontan. Lib. I. de antiq. Hortæ c. 3. & Murat. To. I. p. 457. 1.
(b) Apud Panvin. ad an. U. C. 958. & Gruter. pag. CLXXII. 5.
(c) Apud Panvin. ibid. Mediob. p. 276. & 286.
(d) Apud Panv. ad an. U. C. 960. & Gruter. pag. CL. 5.
(e) Apud eumd. Panv. ad an. U. C. 963. & Grut. p. CCLXV. 3.
(f) Apud Panv. in Faſt. ad an. U. C. 953 & Grut. pag. CCLXIX. 2.
(g) Chr. 200.
(h) Pag. 375.
(i) Pag. 291.
(k) Nummi Medicei apud Noriſ. de Vot. X. c. 4. & Ep. 38. ad Mediob. p. 94. Tom. V. Oper. Noriſ. & Ep. 41. pag. 118. & apud Goltz. p. 93. 94. Mediob. p. 295. 296. Hard. in Hiſt. Aug. & Gruter. p. CXCI. & pag. CCLXX. 3.
(l) Dio Caſſ. Lib. LXXVIII. p. 882 D. & p. 890. E.

XXVIII.

XXVIII.

ELAGABALUS.



Uarta post occisum Caracallam die imperium accepit Macrinus XI. Apr. U.C. DCCCCLXX; ἐνιαυτῷ τε γαρ̀ κ̀ δύο μησὶ τριῶν ἡμερῶν, ὥςε κ̀ μέχρι τῆς μάχης λογιζομένοις συμβῆναι, δέουσιν, ἦρξεν, (*a*) *tenuitq; annum unum, menses duos, tribus demptis diebus, siquidem usque ad pugnam*, qua victus est ab Elagabalo, *tempus numeremus*. Interim *Cos. iterum* processit Kalendis Jan. anni sequentis; & tamen TR. P. II. COS. occurrit in nummis (*b*) & Inscriptionibus (*c*). Adpetentibus itaque Macrini militibus occasionem aliquam rebellandi, τῇ ἕω τῆς τοῦ Μαΐου ἑκκαιδεκάτης (*d*), *die* XVI. *Maji prima luce*, adductus in castra Elagabalus, nominatus est Antoninus, κ̀ αὐτοκράτορα παραχρῆμα ἀνέδειξαν (*e*), *moxque Imperator renuntiatus est*. Tanta autem celeritate contra Macrinum movit Antoninus, ut difficile Macrinus in vico quodam Antiochenorum Syriæ, distante CLXXX. stadia ab urbe, cum eo conflixerit; victusque vitam paullo post cum imperio amisit. Contigit pugna die VII. sive VIII. Junii anno U.C. DCCCCLXXI. (*f*). Exegisse porro in imperio Elagabalum *annos tres, menses novem, diesque quatuor*, ἔτεσι τρισὶ, κ̀ μησὶν ἐννέα, κ̀ ἡμέραις τέτρασιν, (*g*), auctor est Dio Cassius. Quum tamen Tribuniciam Potestatem *quintam* (*h*) nummi Latini, & annum Elagabali *quintum* (*i*) nummi Græci exhibeant, in varias abierunt Viri docti opiniones. Inclaruerunt autem hoc argumento Viri Eruditissimi, nec nisi cum laude nominandi, Philippus a Turre Episcopus Adriæ, Joannes Vignolius Præsul, ac Pater D. Virginius Valsechius Abbas nostras. Illis tamen præivit Clarissimus Pagius. Ceteris itaque, utpote quos hi longo post se intervallo hac in re reliquerunt, omissis (*k*), ad tantos Viros accedamus.

(a) Dio Cass. Lib. LXXVIII. pag. 885. & pag. 905. E.
(b) Apud Mediobarb. p. 306. 307.
(c) Apud Murat. To. I. p. CDLIX. n. 1.
(d) Id. eod. Lib. pag. 888. B.
(e) Id. ibid.
(f) Chr. 218.
(g) Lib. LXXIX. pag. 907. C.
(h) Goltz. Occo, Mediob. Vaillan. Hard. & Valsech. Diss. de Elagab. c. 5.
(i) Iidem.
(k) Videndi apud Valsech. in Diss. Elagabal. c. 1.

Porro, quum Elagabalum die VI. mensis Martii anni Chr. CCXXII. periisse crediderit Pagius (*l*), atque animadverterit, in nummo Græco variisque Latinis tam æreis quam argenteis ab Occone & Mediobarbo recitatis Tribuniciam ejus Potestatem V, seu annum imperii ejus V. memorari, apparere tradit eum Imperatorem acclamatum fuisse, saltem medio mense Martio anni CCXVIII, &, si vere annum *quintum* non in-

(l) In Crit. ad an. Chr. 218. n. V.

Pagii de ann. imperii V. seu Trib. Potest. Elagabali quinta opinio.

choavit, saltem illum proxime adtigisse, ita ut nummi illi in Romanis Provinciis cudi potuerint, antequam nuntium necis ejus ad eas pervenisset. Quare subdit Elagabalum Imperatorem creatum non esse in Phœnicia *die* XVI. *mensis Maji, ut legitur apud Xiphilinum in ejus vita, sed die* XVI. *mensis Martii; & apud Xiphilinum loco* τῆς τȣ Μαΐȣ ἑκκαιδεκάτης, *legendum* τῆς τȣ Μαρτίȣ ἑκκαιδεκάτης. Nam præter laudatos nummos, *qui*, ipso fatente, *fidei sunt indubitatæ*, omnia, quæ gesta fuisse narrantur ab historicis ante diem III. mensis Junii, quo Macrinus in prælio victus ab eo dicitur, intra dies XVIII. neutiquam geri potuisse contendit. Postquam hæc scripserat (*a*), in ejus manus venit nova editio Numismatum Imperialium Vaillantii, quæ exhibet nummum Elagabali, ex quo deducit ipse Pagius, *hunc Imperatorem ab anno* CCXVII., *vel saltem a Kalendis Januarii sequentis anni, quo dictus est Imperator, annos suos numerasse*. Exstat enim ibi nummus ejus, signatus P. M. TR. P. III. COS. III. P. P., & visuntur quadrigæ Imperatore aurigante; ubi Vaillantium recte hæc notare ait: Quadrigæ ad Antonini Elagabali triumphum non pertinent, nullum enim egit, sed spectant ad processum Consulatus III. Postea repræsentatur alius nummus cum processu Consulari in Quadrigis & TR. P. V. COS. IIII; ex quibus apparere subdit primo die anni CCXX. Elagabalum tertium imperii annum numerasse, & primo die anni CCXXII. annum quintum. Inde processisse docet tot numismata Græca ac Latina, in quibus legitur ΕΤΟΥΣ Ε, vel TR. P. V., quod aliunde procedere non posse adserit, *quam ex eo, quod Heliogabalus Tribunitiam Potestatem per anticipationem*, προλαμβάνων αὐτά, *capessebat*, inquit Dio (*b*). Indubitatum itaque videtur Pagio, hunc Imperatorem annos suos deduxisse a die, quo *Eutychianus* monitus fuit ab oraculo Dei Elagabali, ut Imperatorem nominaret prætensum Caracallæ filium, qui designatum fuisse Imperatorem ab illo Deo honori ducebat. Legatur Dio Lib. LXXVIII. pag. 888. Quare Elagabalum per antecessum Augusti & Cæsaris nomen cum imperio Proconsulari ac Tribunicia Potestate, ut habet Dio pag. 907., sumpsisse, & paullo post se Consulem dixisse, ac Macrini nomen e Fastis eradi jussisse concludit, quia persuasum omnibus voluit, *se jam a Kalendis Januarii Imperatorem legitimum fuisse, & Consulatum ad se, non vero ad Macrinum pertinuisse*. Hæc Pagius: quem Valsechius & Turrius ex parte sunt imitati.

(a) Num. X.

(b) Lib. LXXIX. pag. 907. B. C.

Conjecit itaq; Valſechius (*a*), *quod Elagabalus, licet die tantum* XVI. *Maji anni* Chriſti CCXVIII. *Imperator a militibus ſalutatus fuiſſet, ſui imperii nihilominus initium a die* VIII. *Aprilis anni* CCXVII., *qua Antoninus Caracalla, cujus ſe filium nuncupabat, fatis concesſerat, repetere potuerit*. Sic enim die VIII. Aprilis anni CCXXI. Tribuniciam Poteſtatem V., ac *quintum* annum imperii iniiſſet, & poſt eum initum uſque ad diem X. Martii anni CCXXII., qua occiſus fuit, Anniam Fauſtinam dimittere, duas alias uxores ducere, ac demum ad Aquiliam Severam, prout tradunt hiſtorici, ſat commode redire potuiſſet. Eam ſuſpicionem ſibi injeciſſe ſcribit locum Dionis (*b*), ubi de Elagabalo, *In Epiſtola*, inquit, *quam ad Senatum, & ſcripto, quod ad Populum miſit, & Imperatorem & Cæſarem ſe, filiumque Antonini, Severi Nepotem, Pium, Felicem, Auguſtum, Proconſulem, Tribuniciæ Poteſtatis inſcripſit: hæc nomina necdum ſibi decreta prior occupans*. In mentem ſiquidem Viro perſpicaciſſimo venit, quod, quemadmodum iis nominibus ſeſe inſcribere auſus fuerat, antequam a Senatu ſibi eadem decreta fuiſſent, quod Antonini Caracallæ filius eſſe contenderet, ita fieri potuerit, ut ſuum ad imperium jus hac in ratione conſtitueret, proindeque ab ipſius Caracallæ morte ſibi idem imperium vindicare voluerit (*c*). Ad eamdem conjecturam ſuadendam addit, Elagabalum ſtatim poſt mortem Macrini nihil non egiſſe, quo ejuſdem Macrini memoriam inviſam omnibus redderet, eumque tamquam imperii uſurpatorem traduxiſſe: hinc veriſimile quoque videri ſubdit, illum tempus imperii Macrini ſibi tamquam Caracallæ filio & ſucceſſori adſcribi voluiſſe. Quumque Conſulatum ordinarium Macrini initum Kalendis Januariis anni Chriſti CCXVIII., licet jam ante geſtus eſſet, nec prorſus eum adtigiſſet, ſibi nihilominus Elagabalus adrogarit; hoc ipſum factum dicit, quod, quum Macrinus eo anno non alia de cauſſa Conſulatum ſuſcepiſſet, quam quia anno præcedenti ad imperium fuerat evectus, hinc Elagabalus, quia eodem præcedenti anno imperium non ad Macrinum, ſed ad ſe, uti verum Antonini filium & ſucceſſorem pertinuiſſe exiſtimabat, ipſum quoque Conſulatum anni CCXVIII. ad ſe omnino ſpectare, contendere poterat. Eadem ratione explicat quoque, quare Macrini nomen e marmoribus anni Chr. CCXVII. U. C. DCCCCLXX, quo imperium ille occupaverat, deletum fuerit. Quippe credit, non ex odio dumtaxat eo ex

marmore

(a) Diſſ. de Trib. Pot. V. Elag. c. 6. & Diſſer. de init. Sev. Alex. cap. 15.

Valſechii de Trib. Pot. V. annoq; V. Elagabali opinio.

(b) Lib. LXXIX. pag. 907.

(c) Hanc ſententiam ſeu potius conjecturam ſequitur Vir Clar. Frœlich in Not. ad num. Sev. Alexandri Cæſaris cum an. V. quem de imperio Elagab. explicat pag. 306. & ſeq. Quat. Tentam. in Re Num. V. edit. an. 1737.

(a) Pag. CCC.

marmore, quod a Grutero (*a*) describitur, id nomen Elagabalum eradi jussisse, sed ideo fortassis maxime, quod in illo Macrinus *Imperator Augustus cooptatus* diceretur. Hæc & similia doctissimus Valsechius.

(b) In Epist. Ital. de Num. An. Faustin. & Cap. 5. Diss. Apol. de num. An. Faust. pag. 69.

Philippi a Turre de eadem Trib. Pot. V. annoq; V. Elagabali opinio.

Episcopus vero Adriæ primum (*b*) illam Pagii sententiam secutus est, qua traditur Elagabalum, sicut, Dione teste, Macrini nomen e Fastis anni Christi CCXVIII. eradi jussit, tamquam si a Kalendis Januariis ejusdem anni ipsemet Consulatum gessisset, ita quoque voluisse Tribuniciam Potestatem & Imperii annos ab iisdem Kalendis, veluti per *anticipationem* computare. Postea aliam ejusdem Pagii sententiam amplexus est (*c*), qua non ad prælium cum Macrino, a quo Dio exorditur, initium imperii Elagabali & Tribuniciæ Potestatis susceptæ refertur, sed ad diem acclamationis factæ a militibus, quam diem statuit Pagius *decimam sextam* mensis *Martii*, non vero *Maji*; pro certo habens, in textum Xiphilini (*d*) pro *Martio* irrepsisse *Majum* mensem; maxime quum ea omnia, quæ Xiphilinus acta narrat ab exercitus acclamatione ad prælium confectum, geri nequaquam potuerint intra dies XVIII; quod temporis spatium effluxit inter diem XVI. Maji & III. Junii, qua ex Pagii sententia pugnatum est cum Macrino. Præsul tamen Inlustriss. die VII. Junii commissam pugnam existimat; quemadmodum & mortuum die X. (*e*), vel XI. (*f*) Martii anno U. C. DCCCCLXXV. Chr. CCXXII. Elagabalum docet, non vero die VI. ejusdem mensis, ut vult Pagius. Ipsam de mense *Martio* in *Majum* a librariis in textu Xiphilini commutato sententiam confirmat in Dissertatione Apologetica II. *de Annis imperii M. Antonini Elagabali ac de initio imperii Severi Alexandri* cap. VI, ubi & ostendere conatur, nec Vignolium nec Valsechium gesta ab acclamatione Elagabali usque ad diem prælii cum Macrino, ex Herodiano & Dione recte componere; eaque sibi deposcere majora temporum intervalla. Hoc autem longius temporis spatium contineri quum nequeat inter diem XVI. Maji & VII. Junii, reliquum esse subdit, ut acclamatio Elagabali dici debeat facta die XVI. Martii. Atque in hanc rem iterum adducit testimonium Nicephori Callisti Lib. V. Hist. Eccles. cap. 17., ubi scribit, Macrinum, *quum neque ad annum perseverasset*, ὃς οὐδ' ἐπ' ἐνιαυτὸν διαγεγονώς, alteri Antonino imperium reliquisse. Quum autem Macrinus imperium acceperit die XI. mensis Aprilis anni CCXVII., *si neque*

(c) Eod. cap. 5. Diss. Apolog. pag. 68. & in Addend. ad cap. VI. pag. 193. & seqq.

(d) Lib. LXXVIII. pag. 888. B.

(e) In Addend. ad cap. 6. Diss. Apol. ad num. Faustin. pag. 193.

(f) Cap. 14. Diss. II. Apolog.

neque ad annum perduravit, regnum ejus fuisse numeratum usque ad acclamationem Elagabali factam die xvi. Martii an. ccxviii., observat Vir Clar. Notat præterea (*a*), de nummis Tribuniciam Potestatem v. efferentibus dici non posse, percussos fuisse in provinciis, antequam nuntius cædis Elagabali ad eas perveniret, quum illi Romæ fuerint conflati. At vero hos nummos opinioni Pagii aptari posse subdit, si dixerimus eos fuisse percussos diebus aliquot ante ingressum anni quinti Elagabali, ut in promptu essent die ipso natali ejus (*b*). Decem enim dies inter eumdem diem natalem xvi. mensis Martii & vi. ejusdem mensis, in quem mors Elagabali incidit ex sententia Pagii, ex illa vero Inlustrissimi Episcopi inter diem xvi. natalem & x. emortualem, quinque tantum dies intercedunt. Quare nihil mirum ait, si nummi aliquot cum *Tribunicia Potestate* v. ante necem Elagabali cusi fuerint, & in populum sparsi. Uxorum autem nummos cum L.E. *anno quinto*, qui utique in provinciis fuerunt obsignati, ad hoc negotium non pertinere tradit (*c*). Quum enim in Ægypto percussos fuisse constet, dubitari non posse ait (*d*), quin anni ejus imperii, quos illi præferunt, ad normam computandi Ægyptiacam fuerint ordinati. Porro Alexandrinos, uti annum suum civilem a neomenia Thoth fixi, seu a die xxix. Augusti ordiebantur, ita annos Principum ab ipsomet Thoth numerasse est auctor (*e*). Quamobrem (*f*) cœperit imperium Elagabalus Junio mense anni Chr. ccxviii. a pugna cum Macrino, vel Majo, quum ab exercitu acclamatus est, ejus primus annus apud Ægyptios desiit xxviii. Augusti proxime insequentis, & exinde secundus pocessit, & sic de aliis; ita ut quintus die xxix. Augusti anni Chr. ccxxi. incœperit: a quo tempore (*g*) quum deinde Elagabalus vixisset usque ad mensem Martium anni ccxxii., recte potuit intra id sex mensium spatium Anniam Faustinam dimittere, duas alias Uxores sibi adsciscere, & demum ad Aquiliam Severam redire. Quo vero explicet nummos Latinos cum Tribunicia Potestate v., vult Elagabalum salutatum fuisse a militibus Imperatorem die xvi. Martii anni ccxviii., non vero Maji (*h*): atque in hanc sententiam contendere ei videntur etiam auctores Græci, qui quatuor annos imperio Elagabali adscribunt.

Vignolius autem, Præsul & ipse Inlustrissimus, alia incedens via, primo (*i*) Dionis locum, ubi *tres anni, novem menses*,

(a) Cap. 5. ejusd. I. Apolog. Differ. pag. 68.

(b) Hoc ipsum confirmat in Diss. II. Apolog. cap. 8.

(c) Ead. pag. 68.

(d) Cap. 3. pag. 38.

(e) Eod. cap. 3. pag. 30.

(f) Pag. 38.

(g) Cap. VII. Diss. II. Apolog.

(h) In Addend. ad Cap. VI. p. 193. & cap. IV. p. 45.

(i) Diss. de ann. primo Imp. Sev. Alex. pag. 89.

Vignolii opinio.

menses, *& dies quatuor* imperii Elagabalo tribuuntur, corruptum esse, restituendosque *annos quatuor*, *mensem unum*, *& dies tres* conjecit. Atque hoc pacto imperium Elagabali die VII. Junii anno Chr. CCXVIII. inchoavit, absolvitque die XI. Julii anno CCXXII., cœpta ante aliquot dies Tribunicia Potestate *quinta*. Quum tamen contrarios sensisset Episcopum a Turre (*a*) & Valsechium (*b*), qui Dionem, ut nunc loquitur, ita etiam loquentem undecimo ac duodecimo sæculo testibus Cedreno, Zonara, atque Glyca exhibuerunt, Vignolius (*c*) se ab hujusmodi conjectura, quæ, ut postea ipse etiam animadvertit, cum Herodiano quoque minus consentit, libenter removit. Sed, quum nummi Elagabali, publica Romani Senatus auctoritate percussi, annum imperii *quintum* eumdem adtigisse, perspicue nos docere Viro Cl. (*d*) videantur, integrum eruditis de manifesto Dionis errore rectius judicandi locum relinquit (*e*); interfectumque ante Kalendas Julias anni CCXXII. Elagabalum inita jam Tribunicia Potestate V. tradit. Si enim a die XVI. Maji U. C. DCCCCLXXI. Chr. CCXVIII., qua Imperator salutatus est Elagabalus, prima Tribunicia Potestas ejusdem deducatur, eadem die anno U. C. DCCCCLXXV. Chr. CCXXII. Tribunicia Potestas IIII. exiit, iniitque quinta.

(a) Diff. de num. An. Faust. cap. 6. pag. 97.
(b) Diff. de init. imp. Sev. Alex. c. 1. & seqq.
(c) Diff. II. c. 16. pag. 155.
(d) Eod. cap. 16. pag. 145.
(e) Eod. cap. pag. 155.

Nec Dio, nec nummi in Elagabalo sollicitandi.

Hæc Viri illi Clarissimi, qui sane summa, qua pollent, eruditione argumentum hoc tractarunt. At bona eorum pace ea, quæ docuerunt, suadere quidem possunt, non tamen persuadere; nam & suis subsunt difficultatibus, & in diversa trahunt, quum minime concordent. Si quid autem ego judico, felicior quisque illorum in alienis confutandis, quam in adstruendis suis exstitit. Digna itaque lectu sunt ea, quæ unus adversus alterius aliorumque opinionem tradidit, tum etiam, quæ pro sua stabilienda opinione quisque adduxit. Neque vero ea ego repetam, ne actum agam, neve longior, quam par est, fiam: sed potius, quæ contra omnes faciunt, adtingam. Nihil igitur heic novi excogitandum, nihilque novi in rem historicam invehendum; minus etiam Scriptoribus monumentisq; veteribus inferenda vis est. Nihil heic quippe novi occurrit: nam, quod spectat ad Tribuniciam Potestatem V. annumque quintum Elagabali, quibus imperii ejusdem tempus superari videtur, adnotarunt jam Antiquarii (*f*) plura esse numismata, quæ majorem tum Trib. Potest., tum annorum numerum exhibent, quam ex certis historiæ monumentis eos, quorum

(f) Vid. Pagium in Crit. ad an. Chr. 103. n. VI. & seq.

rum

rum ſunt,regnaſſe conſtat. Certe non paucos hujuſmodi nummos nos ipſi huc uſque adtulimus, & adhuc alios adlaturi ſumus. Quod ſi, quoties occurrunt, rebus novis in hiſtoria ſtudendum eſt, ſus deque omnia vertentur. Dio ipſe, ſi in aliis Imperatoribus, quemadmodum in Elagabalo, huc illucq; trahatur, magnum inde detrimentum accipiet, plurimumq; ejuſdem auctoritati detrahetur. Nihil igitur in eo, ubi de tempore imperii Elagabali agit, innovandum; nec niſi ſenſu, qui maxime obvius eſt, accipiendus Auctor. *Die* xvi. *Maji* anni U.C. dcccclxxi. (*a*) ſalutatum refert Imperatorem Elagabalum, dieque vii. Junii imperio potitum: atque heic Macrini imperium terminat, illudque Elagabali exorditur. Hoc autem per *annos tres, menſes novem, & dies quatuor* producit uſque ad diem xi. Martii anni U. C. dcccclxxv (*b*). Qua in re adſtipulantur Dioni Xiphilinus (*c*), Cedrenus (*d*), Zonaras (*e*), atque Glycas (*f*). Dio ipſe fidem omnino ſibi adſtruit, quippe teſtatur (*g*), hæc ſe accurate diligenterq; ſcripſiſſe: quin Romæ tunc temporis degebat. Nihil igitur heic de errore aut de mendo dubitandum; nec aliter, quam obvius fert ſenſus, excogitandum eſt. Si enim a ſuperiore tempore, h. e. a morte Caracallæ imperii ſui annos auſpicatus eſſet Elagabalus, id ne dum ex privatis conloquiis, ſed multo magis ex publicis monumentis reſciviſſet Dio, nec certe omiſiſſet; utpote qui nec tacuit, Conſulatum Macrini ſibi adſcripſiſſe Elagabalum. De Tribunicia autem Poteſtate ceteriſque imperatoriis nominibus nihil aliud refert (*h*), niſi ea tunc temporis uſurpaſſe Elagabalum, quo ſalutatus quidem fuerat Imperator, at nondum illa ei Senatus decreverat. Qua in re Elagabalum accuſat, multo magis accuſaturus, ſi a Caracallæ morte annos imperii Tribuniciamq; Poteſtatem ſuam repeti voluiſſet. Manet igitur, imperaſſe Elagabalum ἔτεσι τρισὶ, ϗ ἐν μησὶ ἐννέα, ἡμέραις τε τετράσιν (*i*), *tres tantum annos, menſes novem, dieſque quatuor*, ex quo, devicto Macrino, omnem potentiam adeptus eſt. Tribuniciam vero Poteſtatem annoſque imperii non ante diem xvi. Maji anni U. C. dcccclxxi. Chr. ccxviii., qua die ſalutatus eſt Imperator, numerare potuit, aut ultra diem xi. Martii anni U. C. dcccclxxv. Chr. ccxxii., qua die occiſus eſt, producere.

(a) Chr. 218.
(b) Chr. 222.
(c) Lib. LXXIX. pag. 910. C.
(d) In Comp. Hiſt. p. 256. Ed. Pariſ.
(e) Lib. XII. Ann. c. 14. p. 618.
(f) Ann. part. III. p. 243. Ed. Pariſ.
(g) In princ. Lib. LXXX. p. 917. & pag 101. Edit. Rom. an. 1724.
(h) Lib. LXXIX. pag. 907. B. & p. 73. ejuſd. Edit. Rom.
(i) Dio eod. Lib. p. 75. Edit. Rom.

Auctoris de Tr. Pot. V annoq; V. Elagabali opinio.

Quod ſi a me quæratur, quomodo Tribunicia Poteſtas ei'ſdem *quinta* annuſque imperii *quintus* locum heic habeant,

S in

in promptu responsio est. Iteravit nempe de more Elagabalus IIII. Idus Decembris anno U. C. DCCCCLXXI. Chr. CCXVIII. Tribuniciam Potestatem & annos imperii, multiplicavitque eadem die subsecutis annis, adeo ut die IIII. Idus Dec. anni U. C. DCCCCLXXIIII. Christi CCXXI. quintam Tribuniciam Potestatem quintumque imperii annum inierit.

Salutatus itaque Imperator, omnemque exinde potentiam adeptus Elagabalus die VII. Junii anno U. C. DCCCCLXXI. Chr. CCXVIII sese per aliquod tempus in Oriente continuit. Inde iter Romam instituens, hibernavit (*a*) Nicomediæ. Postea Romam veniens, ἔγημε δὲ Κορνηλίαν Παῦλαν (*b*), *duxit in matrimonium Corneliam Paullam*, quo celerius, sicuti dicebat, pater fieret, qui ne vir quidem præ ætate esse poterat. Comparet in nummis (*c*) ΙΟΤΛΙΑ ΠΑΤΛΑ CE. L. Γ. *Julia Paulla Augusta anno* imperii Elagabali *tertio*, qui cum Tribunicia Potestate *tertia* ejusdem cœpit IIII. Idus Decemb. anno U. C. DCCCCLXXII. Chr. CCXIX. Paullam vero dimisit Elagabalus, quod maculam quamdam (*d*), ut ajebat, in corpore haberet. Hinc simulans se amore captum, quo etiam virile aliquid facere videretur, virginem, Vestæ sacerdotem, castitati perpetuæque virginitati per leges obstrictam, a Vesta, virginumque conclavi abreptam, *Aquiliam Severam* nomine *adduxit domum*, Α'κυλία Σεβήρα συνῴκησεν (*e*), ausus dicere, hoc ideo se fecisse, ut ex se Summo Sacerdote & hac Vestalium Maxima divini nascerentur filii. Occurrit itaque in nummis Ægyptiis (*f*) ΙΟΤΛΙΑ ΑΚΤΛΙΑ CΕΤΗΡΑ CΕΒ. L. Δ., *Julia Aquilia Severa* cum titulo *Augustæ*, *anno* Elagabali *quarto*: qui annus cœpit die IIII. Idus Decembris anno U. C. DCCCCLXXIII. Christi CCXX. Has cum Aquilia Severa nuptias inito jam quarto Elagabali anno celebratas fuisse inde intelligimus, quod Cornelia Paulla nedum in nummis *anni tertii*, sed & L. Δ. (*g*) *quarti* exhibetur. Non multo post Severam ipsam dimisit, τρίτην δὲ πάλιν ἠγάγετο, ἀναφέρουσαν τὸ γένος εἰς Κόμμοδον (*h*), *tertiam vero duxit, referentem genus ad Commodum*. Hæc erat ΑΝΝΙΑ ΦΑΤCΤΕΙΝΑ, *Annia Faustina*, quam nummi (*i*) præferunt L. E. *anno quinto* Elagabali; qui initium habuit IIII. Idus Decembris anno Urbis conditæ DCCCCLXXIIII. Chr. CCXXI. Nummum illum prætermus, hinc inscriptum ΑΝΝΙΑ ΑΤΡΗΛΙΑ ΦΑΤCΤΕΙΝΑ, *Annia Aurelia Faustina*, cum ejusdem capite in Lunæ crescentis effigie; * inde ΕΠΙ CΤΡΑ. ΚΤΡΙΝΟΤ ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ ΑΟC., *Sub*

(a) Dio Cass. Lib. LXXIX. p. 909. C.
(b) Id eod. Lib. pag. 911. B.
(c) Thes. Maur. & Theupol. pag. 1166. & Hard. in Hist. Aug. & Valsech. Diss. de Elagab. c. 6. & Frœlich. pag. 304. & 305. Quat. Tent. in Re Num. V. an. 1737. & Mus. Arigon. Tabul. XVIII. Numm. Alexand.
(d) Dio pag. 911. D. & Herod. Lib. V. c. 6.
(e) Iid. ibid.
(f) Mus. Theup. pag. 1167. & ex eo apud Valsech. Diss. de Elagab. c. 6. p. 105. & apud Harduin. in Hist. Aug.
(g) Thes. Maur. pag. 132.
(h) Herod. Lib. V. c. 6.
(i) Mus. Theup. & Mauroc. Hard. Valsech. Diss. de Elag. cap. 5. pag. 95. & Mus. Arigon. Tab. XVIII. Num. Alexandr.
* *Havercampus nummum hujusmodi possidet, ediditq; tamquam sincerum Tab. II. Num. præfixa To. I. Flav. Josephi, falliq; scripsit Valsechium, qui dubitat de fide ejusdem; at a me monitus deprehendit tandem arte esse fusum, fassusque est Epist. ad me data 22. Martii 1730.*

Prætore Cyrino Raphaneotarum, *anno* CCLXXI. Quamvis enim nummum hunc, Cimelii P. Chamillart, tamquam eximiæ fabricæ ſummique nitoris efferat Harduinus (*a*); tamen adulterinus eſt, ut veriſſime docet Valſechius (*b*), utque didici ab eo, qui nummum ipſum effinxit, in cujus rei fidem alterum ejuſdem fabricæ mihi dedit cum nonnullis aliis, quos ipſe formaverat, aliorum Imperatorum nummis. Hos autem cum aliquot aliis aliorum artificum, qui reſtituendis adulterandiſque antiquis nummis operam navarunt, mihi comparavi, & adhuc apud me detineo, quo in dignoſcendis confictis hujuſmodi nummis proficerem, mihique ab illis præcaverem. Nemo vero melius hanc artem effingendi nummos imitandique antiquos eo calluit, qui nummum Anniæ Fauſtinæ formavit: quamvis & ipſe, quemadmodum ceteri omnes, alicubi peccet. Qua de re diſſerendi non eſt heic locus. Itaque nec Fauſtinam diu retinuit Elagabalus, ſed aliam atque aliam, adhuc duxit (*c*); ϗ μετὰ τῦτο πρὸς τὴν Σεβήραν ἐπανῆλθεν, *poſtea vero ad Severam rediit*. Hinc rurſus occurrit (*d*) ΙΟΥΛΙΑ ΑΚΥΛΙΑ CΕΟΥΗΡΑ CΕΒ. L. E., *Julia Aquilia Severa Auguſta anno quinto* Elagabali. Neque vero mirum videri debet, tot illum matrimonia intra modicum tempus celebraſſe; quippe αἰσχρότατος ϗ παρανομώτατος (*e*), *turpiſſimus & nequiſſimus* fuit.

(a) In Hiſt. Aug. ad ann. Chr. 222. pag. 820. Op. Sel.
(b) Diſſ. I. c. 4. pag. 74. & Diſſ. II. c. 10.
(c) Dio Caſſ. Lib. LXXIX. p. 911. E.
(d) Num. Theſ. Maur. p. 132. & Muſ. Theup. pag. 1167. & Arigon. Tabul. XVIII. Num. Alexandr.
(e) Dio eod. Lib. pag. 910. B.

Reſtat, ut aliquibus difficultatibus, quæ nobis opponi poſſunt, occurramus. Nummus (*f*) itaque Elagabali cum TR. P. II. & COS. III. obſtare videtur noſtræ numerandi Tribuniciam Poteſtatem methodo; quippe Tribunicia Poteſtas *ſecunda* deſiiſſet IIII. Idus Decembris U. C. DCCCCLXXII. Chr. CCXIX., quum tamen *Conſul tertium* nonniſi ſubſequentibus Kalendis Januariis proceſſerit Elagabalus. At, ſiquidem ita nummus haberet, Conſulatus *tertius* deſignatus tantum, quamvis abſolute foret poſitus, accipi poſſet; qua de re alibi (*g*). Verum nummus habet TR. P. II. COS. II., uti de illo, quem ex Angelono deſcripſit Mediobarbus (*h*), probat Cl. Valſechius (*i*), & de alio, quem ex conlectione PP. Carthuſianorum Romæ promit Cl. Vignolius (*k*), teſtatur Inl. Archiepiſcopatu & doctrina Fontaninus. Vignolio quidem COS. III, ſeu *tertiam* Conſulatus notam viſum eſt videre in hoc Carthuſiano nummo; veſtigia nempe ejuſdem notæ, ſive unitatis tertiæ in fractura nummi diſtinguere viſus ſibi eſt. At poſtea Fontaninus ab Inluſtr. Turrio rogatus, inſpecto ſingulari

Difficultatibus occurritur.

(f) Apud Vignol. Diſſ. II. c. 12. pag. 128.
(g) Vid. ſupra N. XII. 13. p. 47.
(h) Pag. 312.
(i) Cap. 7. Diſſ. de Elagab. Tr. P. V. p. 113.
(k) Diſſ. I. pag. 48.

 gulari

singulari diligentia nummo, advertit, numquam ibi fuisse tertiam illam notam sive unitatem; observavitque vestigia, quæ tertiæ unitatis Vignolius credidit, esse potius prioris litteræ P, quæ cum alia P. significant *Patrem Patriæ*. Integriorem nitidioremque hujusmodi nummum sortiti laudati Patres, priorem Andreæ Fontanæ Equiti Anglico vendiderunt; ac proinde hic nummus, de quo Vignolius, cum ceteris Musei Carthusiani in Gazam Vindobonensem minime transiit. Ita Fontaninus in Epistola, Roma die 23. Aprilis 1729. ad amicum data, mihique communicata; in qua etiam scribit, a se monitum de hac re Turrium, qui propterea in Dissertatione II., quam tamen morte præventus edere non potuit, de hac ipsa re egerit. Bono litterariæ Reip. opus hoc posthumum Patrui sui edidit Eruditiss. Laurentius a Turre Decanus Ecclesiæ Forojuliensis anno 1741. Verum in eo nihil de Fontanini observatione legitur; quin fatetur Inlustr. Auctor (*a*) opinionem, de initio imperii Elagabali a Kalendis Januariis per anticipationem sumendo, se jam tum in *Addendis* primæ Dissertationi dimisisse, *vel quia nummus Carthusianus a Cl. Vignolio prolatus eidem obstabat*; vel quia altera de cœpto a die XVI. Martii Elagabali Imperio, quam postea adoptavit, opinio jam tum aptior ad difficultates omnes expediendas esse videbatur. Hinc addit, Vignolium non contentum *eumdem nummum opponere, cujus auctoritati*, inquit (*b*), *jam concesseram*, plura etiam adversus eamdem priorem opinionem accumulasse. Rursum propositis aliquibus difficultatibus, quæ secum Pagium quoque impetunt, hæc addit (*c*). „ Ab hisce igitur objectionibus nec mihi nec Pagio esset timendum; *nisi nummus Carthusianus ad res turbandas accederet*. Opposueram illi nummum alterum ex Vaillantio, in quo Elagabalus in quadrigis visitur cum epigraphe: TR. P. V. COS. IIII., rixamque inter eos exciveram, de qua in cap. VI. prioris operis. At Cl. Vignolius cap. XII. (*d*) de rixa hac agens, nummum Vaillantii comparandum nequaquam esse *cum nummo Carthusiano* contendit; *quod istius numeri cum* TR. P. II. COS. III. *interprete non egeant*, nummus vero Vaillantii cum quadrigis nequeat ad Processum actum Kal. Jan. anni CCXXII. referri, nisi ego cum Pagio interpres accesserim". Atque *Verum hoc quidem* fatetur, sed alias responsiones, quæ tamen ad nummum Carthusianum non faciunt, tradit; unde nummum

(a) Cap. IX. in princ.

(b) Ibid.

(c) Pag. 91. eod. cap.

(d) Diss. II.

mum ipſum adhuc admittere dignoſcitur ; nec vero alibi de eo in altera hac Diſſertatione agit. In nummo tamen exſtitiſſe ſolum cos. ii. præter auctoritatem Fontanini perſuadent alii hujus generis nummi, qui hucuſque viſi ſunt; quippe omnes eumdem Liberalitatis typum, qui in Carthuſiano conſpicitur, cum epigraphe TRIB. POT. II. COS. II. exhibent. Ita legere etiam eſt in nummo æreo primæ magnitudinis Muſei Theupoli, recens (*a*) maxima cum Antiquariorum voluptate atque utilitate editi, tum etiam in alio æreo pariter primæque magnitudinis Gazæ Cæſareæ Vindobonenſis, quam Carolus VI. Imperator ſemper Auguſtus conlectis undique nummis, translatiſque in eam aliquot aliis iiſque numero pretioq; nummorum inſignibus Muſeis, quam maxime ditavit, totique orbi ſuſpiciendam celebrandamque cum ſuis virtutibus atque triumphis reddidit. In hoc autem theſauro etiam, poſtquam auctus eſt Muſeo Carthuſiano, non adſervari nummum illum Elagabali, quem Romæ præ manibus oculiſque habuit Vignolius, certior factus ſum per litteras (*b*) ab Amico humaniſſimo eoque Clar. Equite Pio Nicolao Garellio, Auguſtæ Domus Principe Medico, ac Bibliothecæ Præfecto, cui laudes addere, detrahere potius eſt, quippe non tantum medendi arte, ſed etiam omnigenæ eruditionis doctrinæque ſtudio in litteraria Rep. plurimum fulget, & nummis nummorumque ſcientia ditiſſimus eſt. Quin relatum ſibi addidit ab Jo: Baptiſta Panagia communi amico, Cæſareoque, dum viveret, Antiquario peritiſſimo atq; eruditiſſimo, qui Romæ erat fervente de eodem nummo controverſia, ipſum alioſque Viros peritos, inſpecto ſumma diligentia numiſmate, perſuaſum habuiſſe, tertiam Conſulatus notam ibi nequaquam ineſſe, ac nihil differre nummum ipſum ab aliis hujuſmodi, qui TR. P. II. exhibent, & cujuſmodi nitidiſſimus eſt apud Inluſtr. ipſum Garellium.

(a) Venetiis 1736. pag. 590.

(b) Diei 30. Apr. 1729.

Opponit rurſum Vignolius hanc Inſcriptionem, quam Panvinius (*c*) & ex eo Gruterus (*d*) recitant.

(c) Lib. II. Faſt. in Com. ad an. U. 975.

(d) Pag. LXXXV. 2.

SERAPI. SACR
IMP. CAES. M. AVREL
ANTONINVS. AVG
PIVS. FELIX. COS. IIII.
P. P

a tergo

a tergo

DEDIC. ID
APR. IMP
CAES. ANT
PIO. IIII. ET
M. AVR. ALE
XANDRO
COS

Heic enim *Idibus Aprilis* anni U. C. DCCCCLXXV. Chr. CCXXII., quo Elagabalus IIII. cum Alexandro Conſul fuit, vivus adhuc ipſe Elagabalus exhiberi videtur; Alexander enim *Imperatoris* & *Auguſti* titulo caret. Falſam & corruptam hujuſmodi Inſcriptionem credit Turrius (*a*), eo vel maxime, quod *Serapi Sacrum* ab Elagabalo dedicatum præfert, qui non ſolum id unum ſtudebat, *ut* (*b*) *Heliogabalus Deus unus ubique coleretur*, ſed etiam id agebat, *ne* (*c*) *quis Romæ Deus niſi Heliogabalus coleretur*. Videatur Cl. ipſe Turrius. Dici quoque poteſt, ſcalptas ante fuiſſe hujuſmodi inſcriptiones, quam conlocarentur, præparataſque in diem XIII. Aprilis, ad quem tamen non perveneri Elagabalus. Credi etiam poteſt, poni quidem curaſſe Elagabalum ſignum ſeu ſtatuam *Serapi*; dedicatam vero fuiſſe poſt ejus mortem *Idibus Aprilis*. Nec vero *Imperator* & *Auguſtus* dici debuit Alexander; quippe heic ipſe Alexander, quemadmodum & Elagabalus, prout erant in Faſtis Conſularibus ad deſignandum annum deſcripti ſunt. Kalendis autem Januariis, quando Conſulatum cum Elagabalo iniit Alexander, erat tantum Cæſar, atque ita in Faſtos relatus eſt, manſitque idem anni titulus. Auctor quidem eſt Pagius (*d*), eos, qui adhuc privati annum aperiebant, ſi poſtea Cæſares aut Auguſti crearentur, in inſcriptionibus actiſque publicis, novæ dignitatis nomine cohoneſtari conſuevisſe, exemplo M. Aurelii Luciique Veri adducto. At hoc in his fieri potuit, quum Imperatores & Auguſti ſimul evaſerint, ſimulque regnarint. Elagabalus vero & Alexander titulis & auctoritate disjuncti fuere, & alter alteri ſucceſſit in imperio: quare ſimul Imperatores & Auguſti inſcribi non potuerunt; alias in Faſtis indeque in hiſtoria orta confuſio eſſet. Nomina itaque, prout in Faſtis erant, heic etiam ad deſignandum annum poſita ſunt; quemadmodum & in alia Inſcriptione, quæ legitur (*e*)

(a) Diſſ. Apolog. II. c. 5.
(b) Lamprid. in Vit. c. 6.
(c) Id. c. 3.
(d) In Crit. ad an. Chr. 136. n. V.
(e) Apud Panvin. Com. in Lib. II. Faſt. ad eumdem an. U. 975.

COLLO-

COLLOCATA. V. IDVS. MART
IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTONINO
PIO. FELICE. AVG. IIII. ET
M. AVR. ALEXANDRO. NOBILISSIMO. CAES. COS

Quamvis hæc Inſcriptio non ſolum parari & ſcalpi, ſed etiam conlocari potuit vivo adhuc & imperante Elagabalo, die tamen ejuſdem emortuali. Hæc autem ex iis, quæ de Alexandro mox dicturi ſumus, certiora fient.

XXIX.

SEV. ALEXANDER.



Ublato die undecima Martii anno U. conditæ DCCCCLXXV. Chr. CCXXII. Elagabalo, ſtatim (*a*) imperavit Alexander. Porro, quum Lampridius (*b*) referat acclamationes Senatus habitas *ex Actis Urbis ante diem pridie Nonas Martias*, die ſcil. ſexta menſis Martii, liquere tradit Pagius (*c*), non tantum ea die Elagabalum interfectum, & Alexandrum (*d*) Auguſtum nuncupatum, ſed etiam Macrinum anno CCXVIII., die III. menſis Junii fuſum fugatumq; fuiſſe, & Elagabalum imperium ſuſcepiſſe: ab ea enim die ad ſextam Martii anni CCXXII. fluxerunt anni tres, menſes novem, & dies quatuor, die emortuali comprehenſa. At legendum apud Lampridium *Pridie Idus*, loco *Pridie Nonas* opinatur Tillemontius (*e*); qui & ad poſteriores annos ſive CCXXV. ſive CCXXVI. hujuſmodi acclamationes pertinere poſſe ſubdit. Hinc *Pridie Idus Martias* legit etiam Valſechius (*f*), qui tamen Tillemontii de anno ſive CCXXV. ſive CCXXVI. conjecturam nullo pacto admittit, quum ex iiſdem acclamationibus contrarium exſculpi videatur, ac rationes, quas pro ea conjectura adſtruenda ipſe Tillemontius profert, ſatis apte poſſe dilui opinetur, quin & diluere ſatagat. Vignolius (*g*) vero acclamationes ad annum Chr. CCXXIII. refert. Sed neque hanc dilationem admittit Valſechius. Illud certe conſtat, diei Elagabali emortualis nataliſque imperii Alexandri, ut vult Pagius, acclamationes hujuſmodi eſſe non poſſe; nam Imperator & Auguſtus jam tum erat Alexander, quando hæc acta, unde *Gratias vobis*, ait (*h*), *Patres Conſcripti, non nunc primum, ſed & de Cæſareo*

(a) Dio Caſſ. Lib. LXXX. in princ. pag. 917. A.

(b) In Alex. Sev. cap. 6.

(c) In Crit. ad an. Chr. 222. n. II.

(d) Pearſonius quoque in Annal. Cypr. ad an. Chr. 256. nu. 11. conſtare ſcribit ex Actis Urbis Alexandr. obtinuiſſe imperium VI. die Martii ann. Chr. 222. Ita etiam Baronius ad an. Chr. 224. n. 2.

(e) Not. VI. in Elagab.

(f) Diſſ. de init. Sev. Alex. Cap. I. pag. 12. & Diſſ. de Elag. c. II. pag. 22. & ſeqq.

(g) De an. I. Alex. Sev. pag. 67.

(h) Apud Lampr. in Vit. c. 8.

nomine

nomine, & de vita servata, & Augusti nomine addito, & de Pontificatu Maximo, & de Tribunicia Potestate, & Proconsulari Imperio: quæ omnia novo exemplo, uno die in me contulistis. Neque vero moramur Legem VII. *de Evictionibus* Alexandri nomine datam VIII. *Idus Mar.* anno CCXXII: male enim nomen Alexandri ei Legi subscriptum est; quod magis adhuc constat ex Lege III. *de his, qui accusare non possunt*; quæ, quamvis data sit III. *Non. Febr.*, nomen præfert Alexandri, vivo & imperante Elagabalo. At refragari nemo recte potest celeberrimo illi Ecclesiasticæ antiquitatis monumento, quod exhibet Cathedra marmorea S. Hippolyti Episcopi & Martyris, in agro Verano inventa anno Chr. MDLI., & in Bibliothecam Vaticanam inlata. In hujus Cathedræ lateribus descriptus legitur Canon Paschalis ejusdem S. Antistitis, duos Cyclos decennales complectens; quorum qui dextro in latere scriptus est, ac quartas decimas continet Lunas, hoc modo incipit: ΕΤΟΥϹ Α. ΒΑϹΙΛΕΙΑϹ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ ΕΓΕΝΕΤΟ Η. ΔΙ. ΤΟΥ ΠΑϹΧΑ ΕΙΔΟΙϹ ΑΠΡΕΙΛΙΑΙϹ ϹΑΒΒΑΤΩ ΕΜΒΟΛΙΜΟΥ ΜΗΝΟϹ ΓΕΝΟΜΕΝΟΥ. hoc est, *Anno primo Imperii Alexandri Imperatoris facta est* XIV. *Paschæ Idibus Aprilis Sabbato, quum embolimæus mensis fuisset*. Cyclus vero, qui sinistro in latere ejusdem Cathedræ inscriptus est, Dominicasq; Paschales complectitur, ita incipit: ΕΤΕΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙϹΑΡΟϹ Τῶ. Α. ΑΡΧΗ. hoc est, *Anno Alexandri Cæsaris primo, Initium &c.* Quæ anni Dionysiani CCXXII. non dubia sunt indicia; littera Dom. F., Cyclus Solaris VII., Lunaris XIV.; adeoque Luna XIV. in XIII. Aprilis incidit, & Pascha celebratum est die XXI. Aprilis. Plenilunium Paschale factum est die Sabbati, XIII. Aprilis, horis VIII. (*a*) post meridiem. *Idibus* itaq; *Aprilis* Elagabalo successerat, tenebatque imperium Alexander. Fieri utique potuisse tradit Vignolius (*b*), ut a Kalendis Januariis cum anno Juliano primum Alexandri annum numerarit Hippolytus; quum etiam Ægyptii, uti annum suum civilem a neomenia Toth fixi, seu a die XXIX. Augusti ordiebantur, ita annos Principum ab ipsomet Thoth numerarent. Hæc quippe excogitavit Vir Clar., quo Elagabali imperium ultra Idus Aprilis produceret. Quin tamen persuadeamur, Dio obstat, qui decimam Martii, tamquam supremam imperii vitæque diem Elagabalo præstituit. Hippolytus vero imperantem Idibus Aprilis exhibet Alexandrum. Sunt etiam Leges, quæ id

Die XI. Martii U.C 975. occiso Elagabalo successit Alexander.

(a) Seu horis 5. m. 3. post. Merid.

(b) Diss. II. c. 11. a pag. 121.

id confirmant; L. i. *Quando provocare non eſt neceſſe*, data viii. *Kal. April.*, L. iv. *de contrahenda & committ. ſtipulat.* data ii. *Kal. April.* L. vii. *de evictionibus* data iii. *Nonas April.*, L. iii. *de his, quibus ut indign.* data ii. *Non. April.* Sunt aliæ poſtea leges, quarum una data eſt iii. *Kal. Maji*, altera ipſis *Kal. Maji*, tertia *Nonis Maji*, quarta vi. *Id. Maji*, quinta xvi. *Kal. Julii*, ſignatæ omnes *Alexandro Aug. Coſ.*, adeoque anno ejuſdem primo datæ, quo Coſ. fuit cum Elagabalo, cujus nomen reticetur, utpote ex Annalibus abraſum Senatus auctoritate, ut notat Vir Cl. Valſechius. Quod vero antea conjecerat idem Vir. Clar. Vignolius de Canone Hippolyti, exploſum vide ſis ab Inl. Adriæ Epiſcopo (*a*), & ab ipſo Valſechio (*b*). (a) De an. Elagab. cap. 6. (b) De init. Alex. Sev. cap. 2.

Interim, quoto tempore regnarit Alexander, nos inquiremus. Diſcordant autem tum veteres tum hodierni Scriptores: nec judicem habere poſſumus Dionem; utpote qui ante hiſtoriam finit, quam Alexander imperium; neq; enim Conſulatum ſuum ſecundum anno U. C. dccccLxxxii. (*c*) cum Alexandro ipſo initum excedit (*d*) Dio. Succedit tamen Herodianus, Auctor & ipſe gravis, quique ceteros ſcriptores longo poſt ſe tum temporis, tum auctoritatis intervallo relinquit: quippe imperante Alexandro floruit; adminiſtrandæque Reip. admotus ab ipſo fuit. Scribit itaque Herodianus (*e*) ἐτῶν τρισκαίδεκα, *annos* xiii. imperium, quantum in ipſo fuit, inculpate adminiſtraſſe Alexandrum: τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει, *quarto autem decimo* motum ſibi ab Artaxerxe Perſarum Rege bellum, quum per Legatos pacem Regi perſuadere non potuiſſet, ſuſcepiſſe, habitiſq; per Italiam & Provincias delectibus, Roma profectum, ac per Illyricas gentes itinere feſtinato Antiochiam contendiſſe. Hinc miſſa alia ad ipſum Regem legatione, quum re infecta Oratores rediiſſent, magno jam coacto exercitu, narrat hiſtoricus (*f*) diſtribuiſſe Alexandrum trifariam milites, eoſq; in diverſas hoſtium regiones impuliſſe. Exercitus partem, quæ in Medorum regionem irrupit, hanc vaſtaſſe ſubdit, vicos plures incendiſſe, prædamque abegiſſe. At vero partem exercitus majorem, quæque Parthorum in agros impetum fecerat, ab Artaxerxe cæſam fuiſſe ſcribit: quumque morbum inde Alexander ipſe contraxiſſet, nec τὸ πνιγῶδες τοῦ ἀέρος (*g*), *æſtum aeris nimium* ferre valeret, laborante pariter omni exercitu, copias Antiochiam reduxiſſe, multis inde quoque amiſſis. Ut vero Antiochiam pervenit Alexander,

De tempore imperii Alexandri inquiritur.

(c) Chr. 229.

(d) Lib. LXXX. pag. 917. C.

(e) Lib. VI. c. 2.

(f) Cap. 5.

(g) Cap. 6.

der, facile & ipſe convaluit ſpiritu illo cœli & aquarum abundantia, μετὰ τὸν ἐν Μεσοποταμίᾳ ξυρὸν αὐχμόν, *poſt æſtuoſam Meſopotamiæ ſiccitatem*. Tum & Perſa dimiſiſſe milites, ſuam quemque domum nuntiatus eſt; nam, quamvis bello ſuperior videretur, adtritus & ipſe erat. Alexander (*a*) autem nuntio a Præfectis Illyrici accepto, Germanos Rhenum Danubiumque tranſgreſſos diripere Romanum imperium, mox edicit profectionem, confectoque itenere μετὰ πολλῆς σπουδῆς, *magna cum celeritate* ſiſtitur ad Rheni, [ſeu potius *Iſtri*], ripas, ſeque ad bellum Germanicum parat. Quum tamen fœdus potius a Germanis emercari, quam periclitari bello contenderet, id ægre ferentibus militibus, conveniunt in campum armati tyrones (*b*), purpuram Maximino regiam circumdant, Imperatoremque ſalutant. Accedentibus militibus, Alexander deſeritur, Maximinus autem, poſtquam ab univerſo exercitu dictus eſt Auguſtus, mittit, qui Alexandrum occidant cum matre. Hunc finem habuit Alexander, quum ἔτεσι τεσσαρεσκαίδεκα (*c*), *annos* XIIII. imperaſſet. Ita Herodianus; ex cujus narratione conſtat occiſum Alexandrum autumno anni U.C. DCCCCLXXXVIII. (*d*), properante ad finem anno imperii XIIII. Herodiano adſtipulantur Glycas (*e*), & Cedrenus (*f*); ex ipſis enim ἐβασίλευσεν ἔτη ιγʹ. μῆνας ηʹ., *imperavit* Alexander *annos* XIII., *menſes* VIII. Nam, ſi a die XI. Martii anni U. C. DCCCCLXXV. numerentur anni XIII. ac menſes VIII., die XI. Novemb. U.C. DCCCCLXXXVIII. deſinent. At vero Auctor Chronici Alexandrini (*g*) ſcribit, imperaſſe Alexandrum ἔτη ιγʹ. *annos* XIII; neque *ultra annos* XIII. *imperio functus* dicitur (*h*) a Victore, cum quo concordat alter Victor. Lampridius (*i*) quoque cum Auctore Libri de Diviſionibus Gentium *annos* habet XIII. *dies* IX. Ac demum ex Eutropio (*k*) periit Alexander XIII. *imperii anno & die* VIII. Hos ſequuntur Baronius (*l*), Panvinius (*m*), Petavius (*n*), Calviſius (*o*), Ricciolius (*p*), Baſnagius (*q*), Blanchinius (*r*), Tillemontius (*s*), Pagius (*t*) atque Valſechius (*u*). Ego vero adduci non poſſum, ut ſepoſito oculato gravique auctore Herodiano (*x*), ætate poſteriores minuſque accuratos Scriptores ſequar.

Animadvertunt quidem inter alios Tillemontius, Pagius, Baſnagius, atque Valſechius, ea, quæ poſt initum ab Alexandro *quartum decimum* imperii annum geſta narrat Herodianus, intra ipſum annum fieri minime potuiſſe; hinc & in

(a) Cap. 7.
(b) Cap. 8.
(c) Lib. VI. c. 9.
(d) Chr. 235.
(e) Part. III. An. p. 243. Ed. Pariſ.
(f) In Comp. Hiſt. p. 256. Ed. Pariſ.
(g) In Alexandro
(h) De Cæſar. c. 24.
(i) In Alex. c. 60. Codd. Vat. num. 1900 & 1901. habent. dies VIII.
(k) Lib. VIII. c. 23.
(l) Ad ann. Chr. 237.
(m) Com. in Lib. II. Faſt. ad an. U. C. 988.
(n) Lib. XI. de Doctr. Temp. c. 26.
(o) In Op. Chron. ad an. Chr. 235.
(p) Lib. IIII. de Latin. Epoch. c. 10.
(q) In Ann. Pol. Eccl. ad ann. Chr. 222. n. 3. & 235. n. 1.
(r) In Chronol. Anaſt. pag. CCV.
(s) In Vit. Alex. Artic. XXV. & Not. XI.
(t) In Crit. ad ann. Chr. 235. n. II.
(u) Diſſ. de Elag. c. 3. & Diſſer. de Alex. Sev. c. 3.
(x) Pearſonius quoque Herodianum ſequitur, & Alexand. mortem differt in diem 15. Auguſti, In Annal. Cypr. ad ann. Chr. 256. nu. 11.

in annos ſuperiores retrahunt bellum Perſicum. At neq; his adſentior; nec niſi forte aliqua, quæ bellum hoc præceſſerunt, eaq; in finem anni tantum U. C. DCCCCLXXXVII. Chr. CCXXXIIII retrahere per me licet. Ceterum expeditionem in Perſas bellumque cum iis geſtum ab anno Alexandri XIIII. U. C. DCCCCLXXXVIII., cui ab Herodiano adfiguntur, dimoveri neceſſe non video. At hæc, utpote quæ longiori tractatu egent, non ſunt hujus loci; ac, quamvis in promptu habeam, ne longior ſim, omitto. Interim nummis Herodianum ſtabiliam. Adeatur Tabula XLIX. Piſani hujus Muſei, & in ea nummus tertius obſervetur. Eſt vero Alexandri, quippe in parte antica exhibet ipſius vultum cum epigraphe ATT. K. M. ATP. CEOTHPOC ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC, *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Severus Alexander*: in parte vero poſtica ædificium cum aquila & arbore ac Sole in quadrigis habet; legiturque AΔP. CET. AΛEΞ. AMACIAC MHT. NE. ΠΡ. ΠΟΝ. ET. CKH. *Hadrianæ Severianæ Alexandrianæ Amaſiæ Metropolis Neocoræ Primæ Ponti anno* CCXXVIII. Alium nummum conſimilem deſcribit, & ex Oriente adlatum vidiſſe ſe cum D. *de Boze* teſtatur Harduinus (*a*). Animadvertendum autem eſt, in eo dici Alexandrum *Imperatorem* atque *Severum*, quæ nomina nonniſi poſt mortem Elagabali adeptus eſt. Præterea laureatus eſt; & ex ipſius nomine Amaſia, quæ nummum cudit, *Alexandriana* cognominatur: quæ omnia imperantem Alexandrum oſtendunt. Alium vero nummum *Juliæ Mamææ*, quæ Alexandri mater, cum inſcriptione AMA. MHT. ET. CMB., *Amaſiæ Metropolis anno* CCXLII., idem Harduinus (*b*) deſcribit. Conſtat autem tum ex Herodiano, tum ex Lampridio Mamæam cum Alexandro occiſam fuiſſe. Ὁ δὲ Μαξιμῖνος ὑπὸ παντὸς τοῦ στρατοῦ Σεβαστὸς προσαγορευθεὶς, πέμπει χιλίαρχον, ἑκατοντάρχας τέ τινας τοὺς φονεύσοντας τὸν Ἀλέξανδρον, καὶ τὴν Μητέρα: inquit Herodianus (*c*). H. e. *Maximinus autem ab univerſo exercitu Auguſtus dictus, mittit Tribunum & Centuriones aliquot, qui Alexandrum occidant cum matre*; quod & factum eſſe ſubdit. Lampridius (*d*) vero, Alexander, ait, *egit omnia ex conſilio matris, cum qua occiſus eſt*. Hinc & Amaſiæ Epocham & tempus imperii Alexandri dignoſcimus. Amaſeorum Æram non poſſe altius quam ab anni U. C. DCCXLIII. autumno deduci recte quidem Cl. Vaillantium cenſuiſſe, tradit Cl. Frœlich (*e*). Ab eodem tamen autumno, unde ipſe Vaillantius Amaſenorum annos ſup-

Nummis chronologia Auctoris confirmatur.

(a) In Hiſt. Aug. ad ann. Chr. 221. pag. 818. Op. Select.

(b) In num. Popp. & in Hiſtor. Aug. ad an. Chr. 234.

(c) Lib. VI. cap. 9.

(d) In Vit. Alex. cap. 60.

(e) In Not. ad nu. Amaſeorum Trajano cuſum cum anno BIP. nempe CXII. pag. 174. Quatuor Tentam. in Re Num. Vet.

 putat,

putat, Æram hujus Urbis non inchoasse, sed uno saltem anno descendendum esse, e nummo illo Trajani, quem exhibet cum titulo *Dacici*, confici existimat. Quin nec adversatur Harduino, Amasiæ Æram inchoanti ab autumno anni U.C. DCCXLVI. Nos vero eam adhuc tardius, nempe ab autumno anni U.C. DCCXLVII. hac ratione incipimus. Annos XV. duo illi nummi, quos descripsimus, comprehendunt, quot Alexander adtigit. Primus itaque nummus cudi debuit ante autumnum anni U.C. DCCCCLXXV. Christi CCXXII., h. e., antequam annus Amasiæ CCXXVIII. ineunte autumno ejusdem anni Urbis conditæ exiret. Alter vero citius autumno anni U.C. DCCCCLXXXIIX. Christi CCXXXV., quo annus apud Amasenos inibatur CCXLII., cudi non potuit. Epocha igitur Amasiæ ab anno U.C. DCCXLVII. ante vulgarem Christi Æram VII. initium habuit, ut retro numeranti annos CCXXVIII. & CCXLII. ejusdem Amasiæ in nummis Alexandri patet. Alexandrum vero pervenisse ad autumnum anni U.C. DCCCCLXXXIIX. Chr. CCXXXV., h. e. ad initium anni Amasiæ CCXLII. certum indubitatumque fit. Caussa itaque cadit Lampridius cum suis, statque Herodianus. Porro ultra autumnum ejusdem anni U.C. DCCCCLXXXVIII. Chr. CCXXXV. Alexandri imperium extendi, nec nummi nec Herodianus ipse finit; ut mox videbimus. Dodwellus (*a*), quum animadvertisset, diei Aug. XIII. anni CCXXXV. Christianæ Epochæ Legem exstare Alexandri Imperatoris in Codice Justiniani (*b*), *obiter constat*, inquit, *quantum aberrarit a scopo vulgus Chronologorum, qui ante illum mensem constituunt natalem Maximini*. Ita etiam Pearsonius (*c*). At nimis tribuunt Viri Clar. uni ex Legum subscriptionibus, quæ subscriptiones sæpe mendosæ sunt. Non tamen placent Pagius (*d*), Basnagius (*e*), atq; Valsechius (*f*) Viri & ipsi Cl., ubi ut mendosam hanc ipsam Legis subscriptionem, utpote quæ contra eorum de morte Alexandri opinionem facit, traducunt. Nam recte habet; quamvis ex ea imperium non pendeat Alexandri. Idem Pagius (*g*) ac Valsechius (*h*) docent, Herodianum, quum de annis, quibus Imperatores regnarunt, loquitur, non annos imperii, sed annos Julianos, & utrimq; incompletos pro completis de more numerare. Simili ratione nos de annis & Tribunicia Potestate Imperatorum in nummis pronuntiamus; quippe eisdem pariter renovandis statutum erat tempus; quibus de rebus satis antea superque.

(a) Diss. XI. Cypr. de Pauc. Martyr. L. p. 83.

(b) L. I. Tit. 26. n. 2.

(c) In Annal. Cyprian. ad an. Chr. 256. n. 11.

(d) In Crit. ad an. Chr. 235. n. II.

(e) In Annal. Pol. Eccl. ad an. Chr. 235. n. II.

(f) De Elagab. Trib. P.V. cap. 3. pag. 47.

(g) Ad ann. Chr. 236. n. V.

(h) De init. Sev. Al. cap. 16. pag. 180. & cap. 17. pag. 193.

XXX.

XXX.

MAXIMINUS.



Uum nonniſi autumno anni U. C. dcccclxxxviii. Chr. ccxxxv., ut oſtendimus, occiſus ſit Alexander; Maximinus, qui ei ſucceſſit, non ante id tempus adeptus potentiam dici poteſt: circa cujus imperium diſcordare quam maxime noſcuntur Viri eruditi, variantibus etiam antiquis. Gordianos ab exercitu in Africa factos contra Maximinum Imperatores initio circiter anni Chr. ccxxxvi. auctor eſt Ricciolius (*a*): qui & anno inſequenti eoſdem interiiſſe ſubdit. Petavius (*b*) & Calviſius (*c*) menſe Majo ejuſdem anni ccxxxvi. electos, ac poſt menſem interfectos docent. Alibi vero Gordianos annum unum ac dies aliquot imperaſſe tradit (*d*) Petavius. Pagius (*e*) autem, Baſnagius (*f*), Tillemontius (*g*), ac Valſechius (*h*) anno Chriſti ccxxxvii. rebellaſſe contra Maximinum Afros, & creaſſe Imperatores Gordianos, autumant; his autem paullo poſt interfectis Maximum & Balbinum a Senatu ſuffectos eſſe ſubdunt. Hinc anno Chr. ccxxxviii. obſediſſe Maximinum Aquilejam, ibique poſt diem xiiii. Martii ac circa principium Aprilis interfectum eſſe, tradunt. Petavius (*i*) tamen, Calviſius (*k*), & Panvinius (*l*) Aquilejæ obſidionem necemque Maximini in annum Chriſti ccxxxvii. retrahunt: menſe autem Octobri illum neci traditum ferunt. Quin mortem quoque Maximi & Balbini circiter Junio hujus anni peractam alicubi docet Petavius (*m*); quamvis poſtea (*n*) in annum Chr. ccxxxiix. differat. Ceteri autem in ſtatuenda Maximi & Balbini anno Chr. ccxxxviii. nece concordant; quamvis in adſignanda die emortuali diſcrepent. Pagius (*o*) occiſos tradit poſt diem xiiii. Martii & ante exitum Maji; Baſnagius (*p*) primo die Aprilis; Ricciolius (*q*) paullo poſt; Tillemontius (*r*) ante diem xx. Junii, ſeu potius circa medium Julii; Panvinius (*s*) circa Kalendas Julias; Petavius (*t*) & Valſechius (*u*) ante exitum menſis Auguſti; demum Auctor (*x*) *novæ, veræ, & exacte ad calculum aſtronomicum revocatæ Chronologiæ* circa Idus Octobris Maximum & Balbinum extinctos arbitratur. Ex Herodiano tum occiſos habemus, quum

Ludi

(a) Lib. IIII. c. 10. p. 198. Chron. Ref.
(b) Lib. XI. de Doct. Temp. cap. 26.
(c) In Op. Chr. ad hunc annum.
(d) Lib. XIII. de Doctr. Temp.
(e) In Crit. ad an. Chr. 236. n. 5. 6. & ad ann. 237. & 238.
(f) In Ann. Pol. Eccl. ad ann. Chr. 237. n. III.
(g) In Max. art. 4. & not. 4.
(h) Diff. de init. Alex. c. 4.
(i) Lib. XI. de Doctr. Temp. c. 26. & Lib. XIII.
(k) In Op. Chr. ad annum 237.
(l) Com. in Lib. II. Faſt. ad an. U. 990.
(m) Lib. XI. de Doctr. Temp. c. 26.
(n) Lib. XIII. de Doctr. Temp.
(o) In Crit. ad an. Chr. 238 n. VI.
(p) Ad ann. Chr. 238. n. VI.
(q) Lib. IIII. c. 10. Chr. Ref.
(r) Not. XII. in Max.
(s) Ad an. U. 991. Com. in Lib. II. Faſt.
(t) Lib. XI. de Doctr. Temp. c. 22.
(u) Diff. de init. Alex. c. 5. p. 51.
(x) Apud eumd. eod. cap. p. 45.

Ludi Capitolini celebrarentur; at, quo tempore celebrati ſint hi Ludi, incompertum eſt. Quapropter ex nece potius Maximi & Balbini tempus Ludorum, quam ex his tempus necis Imperatorum exquirere cogimur. Hinc, quo tempore occiſos illos quiſque credit, tum & peractos Ludos docet; atque inde diſcrepantia illa ſententiarum in hac re nata eſt.

(a) Diſſ. XI. Cypr. de Pauc. Martyr. L. p. 83.

Dodwellus, poſtquam Maximini natalem non ante menſem Auguſtum anni U. C. DCCCCLXXXVIII. Chr. CCXXXV. conſtitui poſſe tradidit (*a*), proxime anno Chr. CCXXXVI. ineunte Imperatores factos eſſe in Africa ſubdit duos Gordianos. Hinc anno Chr. CCXXXVII. menſi Julio tribuendum Gordianorum interitum, putat veriſimillimum. Tandem audita Maximi & Balbini Augg. renuntiatione, Maximinum moviſſe ſcribit in Senatum, appetente hieme: rem enim illam totam hieme geſtam, teſtari ait Herodianum: & ſub finem ejuſdem anni Chr. CCXXXVII. vel ſequentis initium occiſos exhibet Maximinos: *tertiam* enim Tribuniciam Poteſtatem inchoaſſe Maximinum ſeniorem e nummis apud Goltzium docet; Maximum vero & Balbinum interfectos tradit a militibus anno Chr. CCXXXVIII. agone Capitolino, ſed ante menſem Junium.

Veteres quoq; in deſcribendo Maximini & Gordd. imperio diſcordant.

(b) De Cæſar.

(c) Lib. VII cap. 4.

(d) Lib. VII. c. 9.

(e) Capit. in Maxim. c. 16.

(f) Ita vetus edit.

Nunc antiquos etiam, in deſcribendo Maximini imperio, diſcrepare oſtendendum eſt. Duobus Maximinis *biennium ſummis potitis, repente Gordianus Africæ Proconſul, ab exercitu Princeps apud Thydri oppidum abſens fit*, inquit Victor (*b*). Actum id ἐς τε συμπληρυμένης αὐτῷ τριετῦς βασιλείας, *quum compleretur Maximini trienne imperium*, auctor eſt Herodianus (*c*); qui & ſubdit (*d*), Gordianum ἐν εἰκόνι τε βασιλείας, *in imagine principatus*, h. e., brevi extinctum fuiſſe. *Sexto* (*e*) *Kalendas Junias*, ſeu *Julias* (*f*), acceptas litteras Junius Silanus Coſ. ex Africa Gordiani Imperatoris Patris Patriæ Procoſ. recitavit in Senatu ex Capitolino. Interemptis autem in Africa Gordiano ſeniore ejuſq; filio, Senatum pertrepidum in Ædem Concordiæ (*g*) VII. *Kalendas Junii concurriſſe, Ludis Apollinaribus*, & Maximum ac Balbinum Imperatores creaſſe ſubdit. *Imperaſſe* vero Gordianos *anno uno, menſibus ſex*, alibi (*h*) tradit. Quæ ſane nec inter ſe, nec cum aliis conveniunt. Diſcordant etiam, quæ de Maximi & Balbini imperio habet: nam in eorum vita, *imperarunt autem*, inquit (*i*), *Maximus & Balbinus anno uno*; alibi autem *biennio* (*k*) imperaſſe ſcribit. Teſte vero Zonara (*l*) imperarunt κατά τινας μὲν ἡμέρας δύο ϗ εἴκοσι, καθ' ἑτέρους

(g) In Max. & Balb. c. 1. & 3.

(h) In Gorddd. c. 16.

(i) Cap. 15.

(k) In Gorddd. c. 22.

(l) In Annal. Lib. XII. cap. 17.

ἑτέρους δὲ οὐχ᾽ ὅλους μῆνας τρεῖς, *juxta aliquos quidem dies* XXII., *juxta alios vero tres menſes haud integros*. Refert etiam ex quibuſdam, Gordianum Imperatorem & Auguſtum, quum ex Africa Romam veniſſet, ægrotaſſe, & ex morbo obiiſſe, exactis in ea XXII. dumtaxat diebus; habuiſſe vero in imperio ſucceſſorem proprium filium, qui Gordianus & ipſe vocabatur, ac, ut Pater, Africanus cognominabatur; poſt hunc rurſus Gordianum alterum imperium ſuſcepiſſe. Porro Senatus Maximum & Balbinum Duces contra Maximinum creaſſe dicitur, ita ut quidam, Cæſares ipſos a Senatu appellatos eſſe, hiſtoriæ mandarint, Gordiani deſignationem adhuc ignorante; eoſque poſt Maximinum una & quidem bene imperaſſe. Poſt hos aliqui quidem tradidere, Pompejanum quemdam obtinuiſſe Romanorum imperium: & in hujus locum introductum Publium Balbinum ſcriptis mandarunt: qui, quum parum & ipſe imperium deguſtaſſet, [tribus enim menſibus ejuſdem principatum circumſcribunt], occiſus ſit, quo tempore advenit ex Africa Gordianus, qui illic proclamatus fuerat. Ita Zonaras. Pupieno quoq; *tres menſes* adſignat Eutychius (*a*). Apud Cedrenum (*b*) autem hoc modo diſponuntur: *Maximinus imperavit* ἔτη ϛ΄. *annos* VI.; *Maximus*, *Balbinus*, & *Gordianus* μῆνας δύο, *menſes duos*; *poſt Balbinum imperavit Publianus* μῆνας β΄., *menſes duos*; *poſt hunc imperavit junior Gordianus* μῆνας τρεῖς, *menſes tres*; *ac poſt ipſum imperavit Gordianus ejuſdem filius* ἔτη δ΄., *annos* IIII. Ita vero habet Auctor Chronici Alexandrini: *Imperavit Maximinus Auguſtus* ἔτη γ΄., *annos tres*; *poſtea imperavit Balbinus* μῆνας γ΄., *menſes tres*, & *occiſus eſt*. *Hinc regnavit Publius* ἡμέρας ἑκατόν, *dies centum*, *ac cæſus eſt*; ἐβασίλευσε Γορδιανὸς Σενίωρ ἔτη ϛ΄., καὶ νόσῳ βληθεὶς τελευτᾷ ὢν ἐτῶν οθ΄. *Gordianus ſenior imperavit annos* VI., *ac morbo perculſus obiit*, *quum eſſet annorum* LXXIX. *Regnavit Philippus* &c. Ex Euſebio (*c*) οὐ πλείονος, ἢ τριέτους χρόνου, regnavit Maximinus *non amplius triennio*. Ex Zonara (*d*) autem etiam Maximinus ἐβασίλευσεν ἔτη ἕξ, *imperavit annos ſex*. Capitolinus (*e*) vero refert, *Maximinum imperaſſe cum filio*, *ut quidam dicunt*, *per triennium*, *ut alii*, *per biennium*. Apud Eutropium (*f*) imperaſſe dicitur *triennio & paucis diebus*. Ac demum Oroſius (*g*) *tertio*, *quam regnabat*, *anno* interfectum ait. Hoc itaque modo diſcrepant Antiqui, quæ diſcrepantia Legum quoque ſubſcriptiones invaſit, adeo ut mirum videri

(a) Ann. Eccleſ. Tom. I. pag. 387.
(b) In Compend. Hiſt. p. 257. Edit. Pariſ.
(c) Lib. VI. c. 21. Edit. Col. Allobr. ann. 1612.
(d) In Annal. Lib. XII. c. 16.
(e) In Max. & Balb. c. 15.
(f) Lib. IX. c. 1.
(g) Lib. VII. c. 19.

non debeat, ſi & diſſentiunt, qui noſtris temporibus hiſtorias ex iiſdem contexuerunt. Ut tamen nos ab hujuſmodi tricis ſolvamus, potiorem auctoritatem ſequi, nummos maxime & Herodianum, coætaneum graviſſimumq; Scriptorem, tutius reputamus. Ad ipſos porro exigenda eſſent etiam ea, quæ alii tradunt; at id longiori ſtylo opus haberet. Sed, quia brevitati heic ſtudemus, ea, quæ in hanc rem digeſſimus, proferre abſtinemus, & noſtra adtingere ſatis nunc habemus.

Autumno itaque anni U.C. DCCCCLXXXVIII. (*a*), ut jam notavimus, imperium arripuit Maximinus. Mox vero multam mutationem fecit (*b*); & ex leni manſuetoque imperio in tyrannidis crudelitatem vertere omnia conatus eſt. Atque ita hiemem ſequentis anni U.C. DCCCCLXXXIX. tranſegit. *Poſt hæc*, inquit Capitolinus (*c*), *tranſiit in Germaniam cum omni exercitu*, bellumque Germanis intulit, eoſque multis præliis, cladibus, & damnis adfecit maximis. Notat Herodianus (*d*), vaſtaſſe illum omnem regionem, μάλιϛα τῶν λνΐων ἀκμαζόντων, *maturis maxime ſegetibus*; ex quo conſtat per æſtatem geſtum hoc bellum fuiſſe; nec ad ſuperiorem annum poſſe referri. *Pacata Germania*, ſubdit Capitolinus (*e*) *Sirmium venit, Sarmatis inferre bellum parans*. Scribit Herodianus (*f*), χειμῶνος ἤδη καταλαμβάνοντος, ἐπανῆλθεν ἐις Παίονας, ἔν τε Σιρμίῳ διατρίβων τῇ μεγίϛῃ ἐκεῖ πόλει δοκέσῃ, τὰ πρὸς τὴν ἔισοδον ἐις τὸ ἔαρ παρεσκευάζετο: *inſtante hieme, in Pannoniam reverſum eſſe, intraque urbem Sirmium, quæ maxima omnium ejus regionis habebatur, ad vernam ſeſe expeditionem comparaſſe*. Utrum hæc hiems fuerit an. U.C. DCCCCXC. (*g*), aut ſequentis, dubitari poteſt. Nos ita rem accipimus, ut ἕτεραι συμβολαὶ, *alia prælia*, ſeu *alia bella*, quorum Herodianus (*h*) ac Capitolinus (*i*) meminerunt, biennio illo annorum U. C. DCCCCLXXXIX. & DCCCCXC. peracta credamus. Quamvis autem hæc ipſa bella neuter diſtinxerit, aut minime narraverit, ea tamen aliunde intelligimus. Exſtant quippe Inſcriptiones (*k*), in quibus Maximinus dicitur TRIBVNICIAE POTESTATIS TER. GERMANICVS MAX. DACICVS. MAX. SARMATICVS MAX. Unde bellum etiam contra *Sarmatas* & *Dacos* geſſiſſe, eoſque viciſſe dignoſcitur. *Tribunicia* autem *Poteſtas* TER*tia* Maximini vel die X. Dec. anni U. C. DCCCCLXXXIX. juxta noſtram opinionem, vel autumno anni ſequentis juxta aliorum ſententiam initium habuit. *Sed, quum Romani ejus crudelitatem ferre non poſſent*, ſubdit Capitolinus (*l*), *contra*

(a) Chr. 235.
Hiſtoria Maximini præcipue ab Herodiano ſumpta.
(b) Herod. Lib. VII. cap. 1. Capitol. in Vit. c. 8. & ſeqq.
(c) Cap. 11.
(d) Lib. VII. c. 2.
(e) Cap. 13.
(f) Lib. VII. c. 2.
(g) Chr. 237.
(h) Ibidem.
(i) Cap. 13. Vit.
(k) Apud Grut. pag. CLVIII. 6. & Spon. in Miſcell. erud. ant. p. 186. & 187.
(l) Eod. cap. 13.

tra eum defectionem pararunt -- Exercitus, qui in Africa erat, subita & ingenti seditione Gordianum senem -- Imperatorem fecit. Herodiano teste (*a*), ἔς τε συμπληρȣμένης αὐτῷ τριετȣ̃ς βασιλείας, πρῶτοι ὅπλα ἐκίνησαν, ἐς ἀπόςασιν ἐυςαθῶς ὥρμησαν Λίβυες, *quum compleretur triennium ejus imperii, primo arma sumpserunt, rebellaruntque Afri*. Tertius hic annus, si naturalis sumatur, erat in cursu, vergebatq; ad finem circa medium anni U. C. DCCCCXCI. (*b*). Hinc *biennium*, quod Victor (*c*) adsignat Maximino, antequam in Africa apud *Thysdri* (*d*) oppidum Gordianus factus sit Imperator, omnino completum intelligi debet. Capitolinus (*e*), lectas fuisse Romæ in Senatu VI. *Kal. Junias* litteras Gordiani facti Imperatoris, auctor est: quod nos de anno ipso U. C. DCCCCXCI. accipimus, id maxime exigentibus nummis ipsius Maximini, qui TR*ibuniciam* POT*estatem* IIII. exhibent cum nota *Senatus Consulti*. Senatus enim statim in partes Gordiani transiit, & Maximinum hostem declaravit. Maximinus audita Afrorum defectione, τῆς τρίτης ἡμέρας (*f*), *tertio die* profectionem in Italiam edicit; μιᾶς ἡμέρας διαλιπών (*g*), *unoq; tantum interjecto die*, iter facere incœpit. Interim Capellianus apud Carthaginem Gordianum filium prælio vicit & occidit; ac tum Gordianus pater laqueo se suspendit, ἐν εἰκόνι τε βασιλείας τελευτήσας (*h*), *in imagine principatus extinctus*. Legitur in Capitolino (*i*), imperasse Gordianos *anno uno, mensibus sex*: at falsa lectio, inquit Gruterus (*k*), quam detegit, sed non etiam sanat Palatinus Codex, in quo *mensibus sex*. Hinc Causabono (*l*) videtur scribendum *uno mense, diebus sex*: quod congruit iis, quæ de electione Maximi atque Balbini habet idem Capitolinus. *Interemptis*, ait (*m*), *in Africa Gordiano seniore cum filio, quum Maximinus ad Urbem furens veniret, ut, quod Gordiani Augusti appellati fuerant, vindicaret, Senatus pertrepidus in Ædem Concordiæ* VII. *Idus Julias concurrit, Ludis Apollinaribus*, ac Maximum & Balbinum Imperatores creat. Legitur quidem VII. *Kal. Junias*, sive *Junii*; at in primis Codex Palatinus teste Grutero (*n*) habet VII. *Idus*; præterea error est in mense; nam *Julio*, non autem *Junio* celebrabantur Romæ Ludi Apollinares, *a. d.* scilicet III. *Nonas Quintiles* (*o*) usque ad III. *Idus*. In Templum Capitolini Jovis, quod erat in arce summa, tunc convenisse Senatum, auctor est Herodianus (*p*). Pannoniorum cohortibus imperaverat Maximinus, ut ceteras copias præcederent, ac regiones

(a) Lib. VII. cap. 4.
(b) Chr. 238.
(c) De Cæsar.
(d) Sic melius, quam Thydri, ut supra pag. 150. legimus cum Ed. Amsterodam. an. 1647.
(e) In Maximino cap. 16.
(f) Herod. Lib. VII. cap. 8.
(g) Id. ibid.
(h) Id. cap. 9.
(i) Cap. 16. trium Gordianor.
(k) In Not.
(l) In Not.
(m) In princ. Vit.
(n) In Not.
(o) Vid. Kalend. apud Petav. in Addend. ad Doctr. Temp. Tom. III. p. 70. Ed. Veron. anni 1726.
(p) Lib. VII. c. 10.

(a) Id. Lib. eod. cap. 8. regiones occuparent Italiæ (*a*): αὐτὸς μὲν σχολαιτέραν τὴν ὁδοιπορίαν ἐποιεῖτο, διὰ τὴν τῶν ὀχημάτων καὶ ἐπιτηδείων πανταχόθεν συγκομιδήν: *Ipſe vero tardius iter faciebat ob vehicula reſque alias uſui neceſſarias, quæ undique importabantur.* Confecto itinere Italiam (b) Cap. 12. adtigit (*b*), Alpeſque ſine ullo impedimento ſuperavit (*c*). (c) Lib. VIII. cap. 2. Ibi nuntiatum ab exploratoribus, maximam Italiæ Urbem Aquilejam portas occluſiſſe; Pannoniorum acies, quæ præiverant, acriter murum oppugnaſſe; ceterum, tentata re, ſæpe omnes in caſſum conatus evaſiſſe: hinc ipſe cum exercitu reliquo accelerat. Ἐπεὶ δὲ ἐγένετο πρός τινι ποταμῷ μεγίστῳ ἀπέχοντι τῆς πόλεως σημεῖα ἑκκαίδεκα, τὸ ῥεῖθρον εὗρε διά τε μεγίστου βάθους καὶ πλάτους φερόμενον. τῶν γὰρ ὑπερκειμένων ὀρῶν τὰς δι' ὅλου τοῦ χειμῶνος παγείσας χιόνας λύουσα ἡ τοῦ ἔτους ὥρα παμμεγέθη τὸν χειμάῤῥουν, εἰργάζετο. ἄπορος οὖν ἦν (d) Cap. 4. ἡ διάβασις τῷ στρατῷ (*d*). *Ut autem pervenit ad quemdam maximum fluvium, qui diſtabat ab urbe* XVI. *lapides, illum invenit maxima alvei profunditate ac latitudine defluentem. Etenim incumbentium montium per totam hiemem denſatas nives ſolvens anni tempus quam maximum torrentem effecerat. Difficilis ergo erat trajectio exercitui.* Itaque præceſſerat *hiems tota*, ac nives, quas ea denſaverat, nonniſi per *æſtum* ſolutæ erant, maximumque propterea effecerant fluvium. Conterminus Pontidæ, unde ſcribo, eſt fluvius Addua, ex Alpibus apud nos, ut ille Herodiani apud Aquilejam defluens: incipit vero Addua ex nivibus creſcere menſe Aprili, augetur Majo, Junioque turgeſcit; & ita durat Julio; incipit vero decreſcere Auguſto, pergitque Septembri, ita tamen, ut his ipſis poſtremis menſibus ſatis profundus ac latus defluat. Moverit itaq; ex Pannonia Maximinus (e) Ex Itiner. Burdigal. ſeu Hieroſol. circa medium Junium: *Fit* (*e*) *ab Aquileja Sirmium uſque millia* CCCCXXII. *Manſiones* XVII. Caſtra, ſeu Manſiones apud Latinos & apud Græcos Stathmi iter militare erant unius diei; ſolebat autem biduo vel triduo ambulare exercitus, & tertio vel quarto die requieſcere. Quandoque minor aut etiam nulla quies dabatur, urgentibus rebus. Iter itaq; Sirmio Aquilejam ſpatio dierum XXIV. emetiri Maximinus percommode potuit, atque adeo ante Idus Julias ad eam urbem accedere, ac turgeſcentem offendere fluvium. Hinc poſt *biduum* (f) Herod. Lib. VIII. cap. 4. aut *triduum* (*f*) junctis cupis vinariis permultis, quæ inanes in agris repertæ fuerunt, facile milites in ulteriorem ripam ſunt tranſgreſſi. Suburbanis ædificiis igne correptis, vites arboreſque exciderunt, omnemque ejus regionis ornatum fœdaverunt.

daverunt. *Uno tantum die* ad requiescendum indulto, statim deinde oppugnare urbem adgressi sunt. Quum protraheretur obsidio, exercitum invasit egestas, τῶν τε καρποφόρων δένδρων ἐκκεκομμένων, τῆς τε γῆς ὑπ' αὐτοῦ δεδῃωμένης (a), *excisis feracibus arboribus agroque omni pervastato; &, quum partim sub tumultuariis tentoriis agitarent, partim sub aperto cœlo*, ὄμβρον τε καὶ Ἡλίου ὑπείχοντο, *imbres tolerabant & solem*. Quæ tempus conlectionis fructuum, & æstuosam imbribusque abundantem tempestatem aperte notant. Quum itaque angustia molestiaque, tum etiam tyrannide Maximini premeretur exercitus, rumorque ferretur, esse contra ipsum pæne universum in armis Romanum orbem, ὡς παύσαιντο μὲν χρονίου καὶ ἀπεράντου πολιορκίας (b): *quo tandem a diuturna & interminabili obsidione requiescerent*, milites ii, qui Romæ castra habebant sub monte Albano, Maximinum cum filio obtruncant. Ita Herodianus: quæ probant pervenisse Maximinum ad æstatem anni Chr. CCXXXVIII.

(a) Cap. 5.

(b) Eod. Cap.

Nunc ad nummos veniamus. Clar. Mediobarbus (c) duos Maximini nummos describit, alterum ex Museo suo, non ex Occone, ut habet Pagius (d), alterum ex Gaza Medicea descriptos, in quibus legitur: MAXIMINVS PIVS AVG. GERM., in postica P. M. TR. P. IIII. COS. P. P. S. C. Præterea Patinus in Thesauro Mauroceniano (e) refert nummum Græcum Maximini Augusti, in quo visitur tropæum cum captivis & L. Δ, id est *anno quarto*, sc. imperii. Refertur etiam ibidem nummus Maximi ejus filii, in quo legitur L. Δ., id est *anno quarto*. Quin est etiam Inscriptio (f), de qua paullo post, cum TRIB. POT. V. Maximini. „ Sed, quum nummi non „ raro ab Antiquariis mendose proferantur, *inquit Pagius* „ (g), hac de re ad Eminentiss. Card. Norisium scripsi; qui „ ad me respondit, Gazam Mediceam Maximini nummos „ cum TR. P. IIII. optimæ fidei continere, seque descriptos, „ si vellem, transmissurum. Addidit, se non dubitare, quin „ verno tempore anni Chr. CCXXXVIII. Maximinus peremp- „ tus fuerit“. In iis quippe fuit etiam Norisius, qui mense Martio anni Chr. CCXXXV. Alexandro successisse Maximinum arbitrati sunt: quumque viderent nummos Maximini cum TR. P. IIII., quartum imperii annum illum adtigisse crediderunt. Verum animadvertendum est, notam *Senatus Consulti* in his nummis haberi; Senatus autem imperium derogavit Maximino, ab eoque descivit una cum universo fere orbe

(c) Pag. 329.

(d) In Crit. ad an. Chr. 238. n. IV.

(e) Pag. 134.

(f) Pag. seq.

(g) Loco cit.

Romano aliquot ante ejus mortem menſes, nec exinde nummos ei cudi permiſit. Quod ſi dicatur, Maximinum ipſum hujuſmodi nummos apud ſe cudi feciſſe; præterquam quod nota S. C. obſtat, remanet adhuc difficultas *Tribuniciæ Poteſtatis* IV. & anni imperii IV., ad quem numerum, ſi completus ſumatur, minime pervenit Maximinus. Quare neceſſarius fit alius aliter computandi Tribuniciam Poteſtatem & annos imperii modus. Nec vero melior occurrit, quam ſi IV. Idus Decembris anno Chr. CCXXXV. primum iterentur, & eadem die ſingulo quoque anno renoventur. Ita fiet, ut IV. Idus Dec. anno CCXXXVII. *quartam* Tribuniciam Poteſtatem *quartumque* imperii annum inierit Maximinus, ac per aliquod tempus, antequam ab eo Romanus orbis deficeret, nummi hujus generis ei cudi potuerint. Præter deſcriptos autem ex Mediobarbo, Patino, & Noriſio nummos cum TR. P. IIII. Maximini, ſunt alii apud Harduinum (*a*), unus quidem cum eadem TR. P. IIII. & S. C. nota ex Muſeo P. Chamillart; duo alii ex eodem Muſeo cum L. Δ. *anno quarto*; ac tertius etiam cum L. Δ. *anno quarto* apud *D. Begon*. Viſuntur etiam in Muſeo Teupolo cum TR. P. IIII. (*b*), & cum L. Δ. *anno* IV. (*c*), tum in Arigonio cum TR. P. IIII. S. C. & *anno* IV. (*d*). Sunt & alii apud alios, ita ut de illis dubitari nullo modo queat. Deſcribitur a Muratorio (*e*) Inſcriptio reperta Bracaræ in Luſitania cum TRIB. POT. V. Maximini; & heic mendum arbitratur Vir doctiſs.; *niſi ſerius*, inquit, *quam vulgo creditur, Maximinus in obſidione Aquilejenſi anno Chriſti* CCXXXVIII. *fuerit interfectus, & nondum Bracaram delato nuntio illius cædis, creditus fuerit inchoatus annus quinctus illius imperii*. Serius ſane, quam vulgo creditur, protracta eſt Aquilejenſis obſidio, id eſt, in æſtatem ejus anni, ac tunc occiſus Maximinus aperte probatur ex Herodiano, fruſtra obnitentibus adverſariis. At vellem, docuiſſet Muratorius, quomodo anno Chr. CCXXXVIII, etiamſi ſerius interfectus ſit Maximinus, & adhuc tardius Bracaram delatum ſit nuntium illius cædis, credi potuerit inchoatus annus *quintus* illius imperii, ſeu TRIB. POT. V. Nobis, qui Tribuniciam Poteſtatem annoſq; imperii die X. Decembris quotannis renovamus, id quidem facilius eſt explicare juxta eam, quam ipſe ſuggerit, interpretationem: etenim, ſi non pervenit Maximinus ad Trib. Pot. *quintam* annumq; imperii *quintum*, proxime acceſſit, ſeu non multum abfuit.

(a) In Hiſt. Aug. ad ann. Chr. 238.

(b) Pag. 606.

(c) Pag. 1173.

(d) Tabul. XXII. Num. Alexandr.

(e) Pag. CCL. n. 5. Theſ. Inſcript.

XXXI.

XXXI.

GORDIANUS PIUS.



Roperante ad finem anno U. C. DCCCCXCI. Chr. CCXXXVIII., quum extinctis Maximinis, Maximus etiam & Balbinus militari seditione interempti essent, *Gordianus (a) adolescens, qui Cæsar eatenus fuerat, a militibus & populo & Senatu & omnibus gentibus, ingenti amore, ingenti studio, & gratia Augustus est appellatus*. Ita Capitolinus; cui adstipulatur Herodianus, certiores nos reddens, Gordianum, quum Maximus & Balbinus facti sunt *Imperatores & Augusti*, τῆς τε συγκλήτου Καίσαρα αὐτὸν ἀποδειξάσης (*b*), *Cæsarem a Senatu declaratum fuisse*; nec nisi ipsis occisis eumdem Καίσαρα ὄντα, Αὐτοκράτορά τε ἀναγορεύσαντες (*c*), *quum Cæsar esset, Imperatorem renuntiatum fuisse*. Petavius Gordiani imperium ab ante Aprilem anni Chr. CCXXXVII. auspicatus, eoque usque ad an. CCXLIIII, quo fuere Coss. Peregrinus & Æmilianus, perducto, regnasse illum *sexennio* cum Victore, Capitolino, Eusebio, Epiphanio, & Cassiodoro tradit (*d*), non animadvertens annos ei septem ex hoc calculo tribuendos fuisse. Panvinius (*e*) & Baronius (*f*) iisdem Coss. Peregrino & Æmiliano *mense Martio* Gordianum Imperatorem interfectum esse scribunt: ac de mense liquere tradit Panvinius, quod his Coss. in Codice jam tum eodem mense Constitutiones datæ a Philippo Imperatore leguntur. Imperasse subdit Gordianum, ut Capitolinus scribit, annos VI., vel potius annos V. & menses VIII. Similia habet Calvisius (*g*); quemadmodum & Ricciolius (*h*) interfectum tradit anno imperii VI., mense circiter Aprili anni CCXLIIII. Pagius vero (*i*), quum apud Capitolinum (*k*) legisset, *imperium Philippo mandatum jussumq; a militibus, ut quasi Tutor Gordiani Philippus cum eodem pariter imperaret*, uno eodemq; tempore utrumque regnasse scribit: quumque inter eos non conveniret, quemlibet in particulari Leges emisisse subdit; quod nemini observatum vidit. In Codice quippe Justinianeo Lex VI. *ad exhibendam* a Philippo Augusto data est II. *Id. Mart. Peregrino & Æmiliano Coss.* Lex vero VI. *de collationibus* data est a Gordiano VII. *Kal. Maji Peregrino & Æmiliano Coss.* Ex quo liquere tradit Pagius,

(a) Capitolin. in Vit. trium Gordianor. c. 22.

Gordianus Pius primum Cæsar, postea Augustus renuntiatur.

(b) Lib. VII. c. 10.

(c) Lib. VIII. c. 8.

De tempore necis Gordiani Petavii aliorumq; opiniones.

(d) Lib. XI. de Doctr. Temp. c. 26. & 27.

(e) Com. in Lib. II. Fast. ad an. U. 997.

(f) Ad an. Chr. 246. n. 1.

(g) In Oper. Chr. ad ann. Chr. 244

(h) Lib IIII. c. 10. nu. 8. Chron. Ref.

(i) In Crit. ad an. Chr. 244. n. II.

(k) In trib. Gord. c. 29.

gius, Gordianum exeunte menſe Aprili adhuc in vivis fuiſſe, deceptoſq; paſſim recentiores Chronologos, qui eum menſe Martio, quo præfata Lex a Philippo data, interemptum ſcripſere; quemadmodum & qui arbitrati ſunt, in ſecundo Reſcripto, loco VII. *Kal. Maji*, legendum eſſe VII. *Kal. Martii*. Gordianum quippe ſeptimum imperii annum adtigiſſe, ex nummo a Mediobarbo in numiſmatis Imperatorum e Muſeo ſuo producto cum TR. P. VII. certum reddi docet. Alium Occo eadem Tribunicia Poteſtate VII. ſignatum retulerat.

(a) Lib. VI. c. 34. Accurate itaque juxta Pagium Euſebius (*a*), Gordianum *ſex annis integris*, ἔτεσι ὅλοις ἕξ, imperium adminiſtraſſe; Oroſius (b) Lib. VII. c. 19. (*b*) vero eum ſeptem annis in imperio manſiſſe, ſcripſerunt. Aliud heic egiſſe Pagius inter ſcribendum dicitur a Baſnagio (c) In Annal. Pol. Eccl. ad an. Chr. 238. n. VIII. (*c*); nam Oroſius, manſiſſe Gordianum in imperio *annis ſex* habet. Pagio tamen in eo adſentitur (d) Ad. an. Chr. 244. n. I. (*d*), quod cum Gordiano regnarit Philippus, quodque ſeptimum imperii annum adtigerit Gordianus: anno quippe Chr. CCXXXVIII. multo ante X. *Kal. Jul.* ejus initia conſtituit, Ludis ſcilicet Capitolinis, qui *ſecundæ Aprilis* ex ipſo Baſnagio anteceſſere; vertente vero Aprili anni CCXLIIII. interfectum fuiſſe Gordianum, probabiliſſimum exiſtimat. (e) In Gord. Art. VI. ad ann. Chr. 244. & Not. I. Tillemontius (*e*) tamen, adhuc poſt Pagium, extinctum tradit Gordianum circa principium Martii ejuſdem anni, quum regnaſſet annos V. ac menſes VIII. (f) In Annal. Cyp. ad ann. Chr. 249. Qua in re ei præivit Pearſonius (*f*). Legendum autem ſubdit Tillemontius in citato Reſcripto VII. *Kal. Martii*, loco *Maji*: in nummis vero Tribuniciam Poteſtatem VII. male pro VI. haberi ſuſpicatur: neque Euſebium de peracto ſexennio intelligendum eſſe contendit.

(g) Diſſ. de init. Alex. Sev. cap. 6. p. 56. & ſeq. Demum Reverendiſſimus Valſechius (*g*), quum Maximinum circa finem menſis Martii, & Maximum atque Balbinum circa medium menſem Junium anni Chr. CCXXXVIII. (h) In Gordd. cap. 31. e vivis ſublatos doceat, Gordianum, qui ex Capitolino (*h*), (i) Hiſt. Eccl. Lib. VI. cap. 34. Euſebio (*i*), utroque Victore, ac duobus apud Mediobarbum cum TR. P. VII. nummis imperaſſe annos ſex ab eo dicitur, circa medium menſem pariter Junium anni CCXLIIII. peremptum fuiſſe tradit. Quippe animadvertit Vir Cl. exſtare in (k) Loco cit. & cap. 18. pag. 201. Codice Juſtiniani quatuordecim (*k*), quas & citat, Philippi Leges datas inter diem XVI. Junii, & XIX. Octobris anni CCXLIIII. *Peregrino & Æmiliano Coſſ.*; quæ ſane, inquit, Maximum & Balbinum confirmant circa medium menſem Junium anni

anni ccxxxviii., & Gordianum circa medium pariter mensem Junium anni ccxliiii. extinctos fuisse. Hinc tres alias ejusdem Philippi Leges, iisdem Coss. *Peregrino & Æmiliano* notatas, quæ sunt Lex vi. *ad exhibendum* data ii. *Id. Mart.*, Lex x. *de Transactionibus* data *Prid. Kal. Aprilis*, & Lex iv. *de crimine stellionatus* data vi. *Id. Maji*, mendosas esse tradit; duarumque priorum Legum subscriptionibus repugnare animadvertit subscriptionem alterius Legis eodem anno, hoc est *Peregrino & Æmiliano Coss.* a Gordiano editæ, quæ est Lex vi. *de Collationibus*, data vii. *Kal. Maji*.

At, seu vere seu æstatis initio laudatis Viris Clariss. interfectum concedamus Gordianum, urget æque omnes ejusdem Gordiani *Tribunicia Potestas* vii. Quum enim nonnisi autumno anni Chr. ccxxxviii. Tribuniciam Potestatem cum imperio primum acceperit; si hæc per idem tempus singulo quoq; anno renovetur, autumno demum anni ccxliv. Tribunicia Potestas vii. cœpisset, quo tempore jam ab aliquot mensibus mortuum tradunt omnes Gordianum. Neque vero de eadem Tribunicia Potestate vii. seu anno vii. cum Tillemontio dubitandum: quippe præter duos illos nummos, quos cum ipsa tr. p. vii. exhibet Mediobarbus (*a*), alius exstat eadem tr. p. vii. insignitus apud Harduinum (*b*): qui & quatuor alios habet (*c*), duos scilicet Gordiani duosque Tranquillinæ Uxoris cum l. z. *anno septimo*. Est etiam alter ejusdem Gordiani cum tr. vii. in Museo Theupolo (*d*), & in Arigonio (*e*) tres cum l. z. *anno septimo*. Itaque restat, ut Tribunicia Potestas Gordiani quarto Idus Decembris singulo quoque anno renovata sit, adeoque quarto Idus Decembris anni Chr. ccxliii. *septima* inierit. Quoto autem tempore hæc duraverit, aliunde inquirendum. Sane ultra hiemem verisque initium illam processisse, relatæ a Gordiano, postremo vitæ tempore de Persis victoriæ docere videntur. Is enim *apud* (*f*) *Resainam superato fugatoque Rege Persarum*, rediens (*g*) haud longe a Romanis finibus interfectus est fraude Philippi, qui post ipsum imperavit. Et ex Eusebio, nisi de annis incompletis intelligatur, quum ἔτεσι ὅλοις ἕξ, *integris sex annis* regnasse Gordianum is scribat, producendum ejus imperium est ad autumnum anni Chr. ccxliiii.; ac tunc mendosas esse eas Legum subscriptiones, quæ ante id tempus Philippum habent, dicere quis posset. At est Romæ in hortis Barberinis

Trib. Pot. VII. Gordiani non bene convenit cum recensitis opinionibus.

(a) Pag. 341.
(b) In Hist. Aug. ad an. Chr. 243.
(c) Ibid.
(d) Pag. 617.
(e) Tab. XXIII. Num. Alex.
(f) Ammian. Marcell. Lib. XXIII. cap. 5.
(g) Eutrop. Lib. IX. c. 2. & Cassiodor. in Chron.

berinis Inſcriptio, quam exhibet Fabrettus Domeſtic. Inſcript. Lib. IV. pag. 339., quamque exſcribendam diligentiſſime curavit Epiſcopus Inluſtr. Adrienſis a Turre (*a*). Exeſa quidem eſt & detrita; at hæc in ea leguntur: VICTORIAE. REDVCIS. D. D. N. N. . . . . PII. FELICIS. AVG. ET . . . . . LIAE . . . . IVGI. D. N.; ac poſt alia D. X. K. AVG. PEREGRINO. ET. AEMILIANO. Hi fuere *Conſules* hoc anno Chriſti CCXLIV. U. C. DCCCCXCVII. Litteras porro illas LIAE & ſubtus IVGI, dicatum marmor Philippo & *Otaci*LIAE Severæ ejus *Con*IVGI prodere docet idem Turrius. Qui & arguit, duobus ſaltem menſibus ante D*iem* X. K*alendas* AVG*uſtas*, ſeu XXIII. Julii, quo die ex Meſopotamia jam Romam pervenerat nuntius, imperium adeptum fuiſſe Philippum, & Gordianum obiiſſe; nimirum circa dimidium menſis Maji an. CCXLIV.

(a) Cap. XIV. Diſſ. Apolog. II. de Annis imperii Elagabali p. 137.

De nummis Coloniæ Viminacii. Nunc de nummis Coloniæ Viminacii ſubdere operæ pretium ducimus. Quatuordecim hujus generis nummos deſcribit Goltzius (*b*), initio facto a Julia Mæſa uſque ad Etruſcillam Decii Uxorem. In Mæſæ itaque nummo legitur: COL*onia* VIM*inacium* AN*no* I; in eo, qui ſequitur, Alexandri COL. VIM. AN. II. Gordianus AN*nos* ſibi vindicat III. IIII. V. VI. VII; Philippus cum Otacilia Uxore AN. VIII. VIIII. & X; Decius XI; Herennius XII; Hoſtilianus XIII; poſtremoque Etruſcilla XIIII. At aliquot ex his nummis, illos videlicet Mæſæ & Alexandri, itemque Gordiani cum annis VI. & VII, tum etiam Etruſcillæ cum anno XIIII. nemo alius vidit; quin ab iis, qui conligendis hujuſmodi nummis incubuerunt, quos inter Vaillantius & Harduinus eminent, alii nummi proferuntur, qui cum illis minime concordant. Olim autem Harduinus (*c*) annos in iis Coloniæ, ab Alexandro Severo primum conſtitutæ, indeque a Gordiano reſtitutæ deſignari exiſtimavit. At, poſtquam Alexandri & Mæſæ nummos, quos Goltzius deſcribit, ut falſos a Vaillantio traduci animadvertit, eoſdem etiam ipſe omiſit (*d*), deductamque Gordiano Principe Coloniam cum Vaillantio ipſo docuit. Ambo itaque nummos Gordiani cum AN*no* I. uſque ad V. Viminacii exhibent: ſimiliter nummos Philippi deſcribunt cum epigraphe AN*ni* V., adeo ut Viminacium computaſſe ſub Gordiano & Philippo *annum quintum* appareat. Hinc Vaillantius (*e*) tradit, ſecundo anno imperii exeunte, aut tertio inchoante Coloniam deduxiſſe Gordianum; non tamen quando Mœſiam adiit *Prætextato & Attico*

(b) Pag. 242. Theſ. Rei Antiq.

(c) Apud Vaill. in Col. Tom. II. p. 152.

(d) In num. Popul. & in Hiſtor. Aug. Ed. Amſtel. an. 1709.

(e) Tom. II. Col. pag. 220.

Attico Coss., ut narrat Capitolinus (*a*) in ejus vita: *Fecit iter in Mœsiam, atq; in ipso procinctu, quidquid hostium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit, atq; submovit.* Pugnatum porro sub Balbino & Pupieno contra Carpos adserit Vir Clar., hisque denuo in Provincias Romanas irrumpentibus, Gordianus veteranos ad Provinciæ propugnaculum colonos Viminacium misisse ab eo dicitur. Quod tamen unde hauserit, ignoramus. Harduinus (*b*) vero annos Viminacii *a tempore deductæ Coloniæ, hoc est ab* XI. *Kal. Maji, anno tertio Gordiani Pii*, U. C. DCCCCXCIII. procedere adserit, citatq; Capitolinum laudato loco. Qua in re ab ipso Capitolino, quin etiam a se dissentit Harduinus. Capitolinus enim iter Gordiani in Mœsiam victoriasque in Thraciis non ad annum U. C. DCCCCXCIII., sed DCCCCXCV. refert, *Prætextato* scilicet *& Attico Coss.* Ipse vero Harduinus (*c*) annos Coloniæ Viminacii, *ut in Occidente, a Kalendis Januariis incipere*, alibi tradit. Norisius autem hanc explicationem, qua dicitur, in nummis Viminacii designari annos deductæ sub Gordiano coloniæ, falsitatis apertæ convinci existimat; qua in re ei adsentitur Valsechius (*d*). Etenim laudantur, ait Norisius (*e*), a Goltzio nummi Alexandri & Juliæ Mæsæ cum epigraphe COL. VIM. AN. I. & AN. II, ex quibus patet Viminacium jure Coloniæ exornatum, antequam Gordianus ad Romanæ rei fastigium eveheretur. Præterea in scriniis numismatum Sereniss. Cardinalis ab Etruria in eadem tabella visitur nummus Gordiani cum epigraphe COL. VIM. AN. V., & duo Philippi, quorum unus inscribitur COL. VIM. AN. III., alter vero AN. IIII. Itaque non exprimi annos a deducta colonia concludit Vir doctiss., quum iidem nequaquam recta serie deducantur, sed iterum sub Gordiano, & postea imperante Philippo inchoati appareant. Quare rem sibi in obscuro latere subdit; animadvertit enim atque testatur, facilius esse aliorum interpretationes confutare, quam quicpiam certi statuere. Tristanus (*f*) hujusmodi annos ad annonæ distributiones frumentarias revocavit, eique adsensus est Patinus (*g*). Neutrum tamen moratus est Vaillantius aut Harduinus: qui & nummos Mæsæ & Alexandri a Goltzio descriptos ut adulterinos prætermiserunt. At vero nihil, quod ad nummos Philippi Mediceos cum AN. III. & IIII. spectet, tradunt. Ne quis autem in suspicionem erroris aut falsitatis adducat hos nummos, obstant alii nummi. Nam, quum

(a) Cap. 26. trium Gordianor.

Vaillantii opinio.

(b) In Not. ad n. Popp.

Harduini.

(c) In Hist. Aug. ad ann. Chr. 252. pag. 843. Oper. Select.

(d) Diss. de Elagab. c. 3.

(e) De Num. Licin. c. 6.

Valsechii ac Norisii.

Tristani.

(f) Comment. in Philipp. Senior. Pag. 558.

(g) In Not. ad n. Imp. 2. & 3. form. pag. 369.

ANno Viminacii XII. imperare cœperint, teſtibus apud Vaillantium & Harduinum nummis, Gallus & Voluſianus, nummus tamen Muſei Arigonii (a) ANno XI. *Imperatorem & Auguſtum* exhibet Voluſianum. Ita etiam duo alii nummi Muſei ejuſdem ampliſſimi, quorum alter eſt Æmiliani (b), Valeriani alter, habent ANnum XII; quamvis hunc cum duobus ſequentibus annis Gallus & Voluſianus apud Vaillantium & Harduinum obtineant.

(a) Tab. XIII. n. 197. Num. Colon. a Vaill. non rel.

(b) Ead. Tab. n. 200. & 202.

Auctoris de annis Viminacii opinio.

Quæ quum ita ſint, nos duplex Æræ Viminacii principium admittere ſatius ducimus; unum ab anno repetendum U. C. DCCCCXCIII. (c), alterum a DCCCCXCV. (d). Primum etenim, ut optime Vaillantius & Harduinus animadverterunt, nummi ſtatuunt; alterum vero ſuadent flagitantq; cum nummis Hiſtorici. Capitolinus (e) tradit, *Prætextato & Attico* anni U. C. DCCCCXCV. *Coſs.* Gordianum profectum eſſe contra Perſas, factoque itinere *in Mœſiam*, [ubi erat Viminacium], *in ipſo procinctu, quidquid hoſtium in Thraciis fuit, deleviſſe, fugaſſe, expuliſſe, atque ſubmoviſſe.* Liberatos itaq; ab ingruentibus hoſtibus Viminacenſes novam induxiſſe Æram, credi poteſt. Quod ſi nummi Mæſæ & Alexandri apud Goltzium recte habent, quemadmodum & illi Gordiani & Tranquillinæ cum AN. VI. & VII., tertium Æræ principium admittere cogimur. At hos nummos nemo alius, quem ego quidem ſciam, præter Goltzium vidit aut deſcripſit. Ne cui vero ſcrupulum tot Æræ moveant, velim animadvertat, Antiochiam quoque Syriæ intra haud multum temporis ſpatium, triplicem Æram veteri ſuperaddidiſſe, de qua re jam ſatis ſuperius (f). Exemplum adhuc aliud heic promam Urbis *Amiſi*: hæc enim triplicem Æram intra paucos annos admiſit, primam anno U. DCCVII, quo tempore a Jul. Cæſare (g) in libertatem adſerta eſt; alteram anno, ut creditur, U. C. DCCXXI., quum a Stratone Tyranno vexari deſiit; tertiam vero paullo poſt, i. e. quum poſt Actiacam victoriam, quæ die ſecunda Septembris an. U. C. DCCXXIII. accidit, libertatem a Cæſare Auguſto recuperavit. Prioris Epochæ teſtis eſt nummus Caracallæ ab Holſtenio (h) deſcriptus cum epigraphe AMICOY EΛEYΘEPAC ET. CNE. *Amiſi Liberæ anno* CCLV; ſecundæ ac tertiæ Epochæ teſtes exhibet nobis Gaza Gallorum Regia (i) nummos *Ælii Cæſaris*, alium quidem ſignatum ETOYC PZE, *anno* CLXV, [littera Z pro Ξ], alium PΞΘ anno CLXIX. Qui nummi, quum ad eamdem

(c) Chr. 240.
(d) Chr. 242.

(e) In trib. Gord. cap. 26.

(f) Vid. Nu. XIV. hujus Animadv. pag. 71. & ſeqq. Vid. etiam Noriſ. de Epoch. Syro-Maced. Diſſ. III. c. 3. & ſeq. Vaill. in Græc. & Harduin. in num. Pop.

(g) Dio Caſſ. Lib. XLII. p. 207. D.

(h) In not. ad Stephan. de Urbib. voce Ἀμισῶς.

(i) Apud Pagium in Crit. ad ann. Chr. 137. n. 3. 4. & 5.

eamdem Epocham reduci nequeant, utpote qui quadriennio diſtant, nec tanto tempore cum *Cæſaris* dignitate exſtiterit Ælius, a duplici, vicino tamen initio repeti debent; niſi potius ad eamdem Æram, a duplici tamen principio diverſoque anno deductam, qua da re ſupra (*a*), ſpectare eoſdem nummos, dici velit. Ac multiplicis quidem Æræ Amiſi fidem præter nummos facit etiam Strabo, ubi hæc de eadem Urbe ſcribit: (*b*) Ἐλευθερωθεῖσαν δ' ὑπὸ Καίσαρος τοῦ θεοῦ, παρέδωκεν Ἀντώνιος Βασιλεῦσιν· εἶθ' ὁ τύραννος Στράτων κακῶς αὐτὴν διέθηκεν· εἶθ' ἐλευθερώθη πάλιν μετὰ τὰ Ἀκτιακὰ ὑπὸ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ.: *Liberatam a Divo Cæſare Antonius Regibus ſubjecit: deinde male eam tractavit Strato Tyrannus: rurſum deinde libertas ei reddita eſt a Cæſare Auguſto poſt Actiacam victoriam*. Potuit itaque Viminacium deductæ frequentatæque Coloniæ, aut cumulatæ beneficiis liberatæque ab hoſtibus Urbis annos notare. Ab XI. autem *Kalendas Maji* annos hujuſmodi incipere alicubi (*c*) tradit, ut diximus, Harduinus; alibi vero (*d*) *a Kalendis Januariis*. Quod nos vero ſimilius credimus. Dies enim XI. Kalendas Maji natalis erat Urbis Romæ: at vero annus civilis a Kalendis Januariis etiam Romæ exordiebatur. Quum itaque *annum quintum* Viminacii in nummis præferat Gordianus, ad ann. U. C. DCCCCXCVII. Chriſti CCXLIIII. produxiſſe imperium confirmatur: quippe hoc tempore Viminacii annus quintus iniit.

(a) Pag. hujus Animad. 42. & ſeq.

(b) Lib. XII. in Ponto.

(c) In Not. ad num. Pop. p. 176.

(d) In Hiſt. Aug. ad ann. Chr. 252. pag. 843. Oper. Select.

Anni Viminacii veroſimiliter cum Januario initi.

XXXII.

PHILIPPUS.



EXtinctum Gordianum excepit in imperio Philippus. Huic autem non plures annis quinque ſolidis cum menſibus aliquot adſignandos docet Petavius (*e*); quippe qui animadvertit Tribuniciam Poteſtatem VI. cum Conſulatu III. Philippo nummos veteres addicere; indeque apparere tradit, cœpto jam anno imperii ſexto, Coſs. Æmiliano & Aquilino periiſſe Philippum anno Chr. CCXLVIIII. U. C. MII. Ricciolius (*f*) quoque eos ſecutus, qui dant Philippo annos quinque aut paullo plus, eumdem peremptum Aprili aut Majo anni Chriſti CCXLIX. docet. At vero Baronius (*g*) motus præcipue Veronenſi quadam inſcriptione, in qua annus mortis Philippi numeratur Chriſti CCLIII, tum

De Philippis aliorum auctoriſque opinio.

(e) Libro XI. de Doctr. Temp. c. 28.

(f) Lib. IIII. c. 10. nu. 8. Chron. Ref.

(g) In Annal. ad an. Chr. 253. nu. 1. & 2.

ſeptem conſulatibus, qui ponuntur in Faſtis Caſſiodori ſub Philippo, numeratiſque ab Euſebio annis ſeptem ejus imperii, mortem Philippi in annum Chr. CCLIII., qui ex aliorum calculo eſt CCLI., differt. Ut ſictitiam tamen traducunt omnes citatam Inſcriptionem, quum non ante ſextum Eccleſiæ ſæculum Æra Chriſtiana, quæ in ea legitur, a Latinis uſurpari cœperit. Calviſius (*a*) ſeptimo quidem imperii, Chriſti vero CCL. anno, occiſum ſcribit Philippum. Errare tamen Euſebium, quique cum eo annos imperii ſeptem Philippo tribuunt, auctor eſt Tillemontius (*b*). Etenim ipſe credit, regnaſſe Philippum annis quinque & aliquot menſibus, mortuumque (*c*) anno Chriſti CCXLIX. inter diem XVII. Junii & XIX. Octobris circa menſem Auguſti, ſi quidem ſtandum ſit ſubſcriptionibus Legum, quarum una data XV. *Kal. Julii* (*d*), & altera die XV. Octobris (*e*) Philippum, tertia vero (*f*) data XIV. *Kal. Novembris* Decium præferunt. Id ante Tillemontium Pearſonius (*g*) & Pagius (*h*) adnotaverant, poſteaque Baſnagius (*i*) & Valſechius (*k*) amplexi ſunt. Attamen Viris hiſce Clariſſimis adſentiri hac in re nos minime poſſumus, iis præſertim, qui ſublatos volunt Philippos menſe Junio aut Julio: nam omiſſa etiam lege illa Philippi XV. Octobris, perſuaſum habemus, illos ad autumnum, & quidem adultum nummis (*l*) teſtibus perveniſſe. Quapropter annos quinque illos regnaſſe, initoque ſexto interemptos credimus, huc trahentes Euſebium (*m*), Oroſium (*n*), Syncellum (*o*), alioſque, qui annos imperii ſeptem, utrimque ſcilic. incompletos eiſdem adtribuunt: quum uterque Victor & Eutropius (*p*) quinquennium adſignent. Eſt itaque nummus (*q*) Otaciliæ Philippi Uxoris, tum etiam ipſius Philippi (*r*) cum L. Z. *anno* VII, qui annus incipere nequaquam potuit citius die IV. Idus Decembris U. C. MII. Chr. CCXLIX.; quum paullo ante occiſi fuiſſent Philippi; nec adhuc hujus rei nuntium perveniſſet ad Ægyptios. Multum igitur urgent hi nummi, premuntque laudatos viros, qui hujuſmodi annos pro integris ſingulos accipiunt, & ante autumnum occiſos contendunt Philippos.

Vir Clar. Valſechius (*s*) deſcribit ex Vaillantio nummum Anazarbi Ciliciæ Urbis, Herennio Etruſco Cæſari filioque Decii cuſum cum ET. HΞC, *anno* CCLXVIII.; adnotatque hanc Epocham, quemadmodum docet Noriſius (*t*), Auguſtanam,

(a) In Oper. Chr. ad an. Chr. 250.
(b) Not. VII. in Philipp.
(c) Artic. VII. Philipp.
(d) De revocand. Donat. Lib. VIII. Cod. Juſt. Tit. 35. L. 1.
(e) Cod. Juſt. Lib. VI. tit. 36. L. II.
(f) Lib. IIII. Tit. 16.
(g) In An. Cypr. ad ann. Chr. 249. N. 4.
(h) In Crit. ad an. Chr. 249. n. 6.
(i) In Ann. Pol. Eccl. ad an. Chr. 249. 2.
(k) Diſſ. de init. Alex. c. 6.
(l) Apud Vaill. in Colon. & Hard. in Hiſt. Aug.
(m) Lib. VI. Hiſt. Eccl. c. 39.
(n) Lib. VII. c. 20.
(o) In Chron.
(p) Lib. IX. c. 3.
(q) Apud Patin. in Theſ. Maur. p. 138.
(r) In Muſ. Arigon. Tab. XXIV. Num. Alex.
(s) Diſſ. de init. Alex. c. 6.
(t) Diſſ. IIII. de Epoch. Syro-Maced. c. 1.

gustanam, cœpisse autumno anni U. C. dccxxxiiii. ante Chr. xx., quo testibus Dione (*a*) ac Josepho (*b*) Cæsar Augustus in Syriam ex Asia Proconsulari perrexit M. Appulejo P. Silio Coss. Numeratis autem ab autumno anni U.C. dccxxxiiii. annis cclxviii., horum postremus decurrit ab autumno anni U.C. mi. Chr. ccxlviii. ad autumnum anni insequentis: adeoque manifestum fieri subdit, ante Kalendas saltem Octob. anni Christi ccxlix. Her. Etruscum a Decio, Philippo Veronæ & Romæ ejus filio jam interemptis, Cæsarem declaratum fuisse, hujusque rei nuntium Anazarbum pervenisse. At bona ipsius Norisiique pace, Anazarbi Epocham non ab autumno anni U. C. dccxxxiv, sed insequentis cœpisse, mihi persuadetur. Quippe exhibet Clar. Haymius in Thesauro Britannico (*c*) nummum, Volusiano ab Anazarbensibus dicatum cum ET. OC. *anno* cclxx. Qui annus, si deducatur ab autumno U.C. dccxxxiiii, desinet autumno anni U. C. miiii. Chr. ccli; quo tempore adhuc erat in vivis, gerebatque imperium Decius. Nam teste Trebellio Pollione (*d*), *duobus Deciis* ejusdem anni U.C. miiii. Chr. ccli. *Consulibus*, vi. *Kal. Novem. die, quum ob imperatorias litteras in Æde Castorum Senatus haberetur, ireturque per sententias singulorum, cui deberet Censura deferri,* [*nam id Decii posuerant in Senatus amplissimi potestate*], *ubi primum Prætor edixit :* Quid vobis videtur, P.C., de Censore deligendo? *atque eum, qui erat princeps tunc Senatus, sententiam rogasset, absente Valeriano,* [*nam ille in procinctu cum Decio agebat*], *omnes una voce dixerunt, interrupto more dicendæ sententiæ :* Valeriani vita censura est --; hunc Censorem omnes accipimus. *Hoc* (*e*) *Senatusconsultum Decius accepit*, convocatisque aulicis, præsente etiam Valeriano recitavit. Rursum Valerianus ipse nonnisi adulto autumno anni U. C. mvi. Chr. ccliii. ad imperium pervenit; & tamen occurrunt ejus nummi (*f*) ab Anazarbensibus cusi cum ET. BOC. *anno* cclxxii; qui ante eumdem autumnum desiit, si quidem ab anno U. C. dccxxxiv. numeretur. Quare cum Norisio & Valsechio alucinati sunt etiam Harduinus, Bandurius, Vaillantius, & Haymius, utpote qui ab eodem anno U. C. dccxxxiiii. Anazarbi Epocham simul (*g*) deducunt: quum nonnisi anno sequenti cœperit, quod nummus ipse Herennii Etrusci, cum iis, quæ de tempore sumpti a Decio patre imperii diximus, conlatus confirmat.

(a) Lib. LIIII. pag. 525. E.
(b) Libro XV. Antiq. c. 13. nunc 10.
Anazarbi Epocha non anno U. C. 734., sed 735. initium habuit.
(c) Tom. II. Tab. XXIII. n. 9.
(d) In Valer. cap. 1.
(e) Id. c. 2.
(f) Apud Hard. in num. Pop. Bandur. pag. 122. & 131. Haym. Tom. II. Thes. Brit. Tabul. XXV. n. 6. & Vaillant. in num. græc. & in Museo Arigonio.
(g) Citatis locis.

Hæc

Hæc ſcripſeram, quum ad manus venerunt *Eraſmi Frœlich Societat. Jeſu Quatuor Tentamina in Re Numaria Veteri* (*a*), Opus ſane Nummaria penu & eruditione ditiſſimum. Ibi (*b*) exhibet Cl. Auctor nummum Decii hujuſmodi : ΑΥΤ..... ΤΡΑΙΑΝ. ΔΕΚΙΟϹ. ϹΕΒ. Αὐτοκράτωρ Τραιανὸς Δέκιος Σεβαστός. *Imperator Trajanus Decius Auguſtus.* Caput Trajani Decii cum corona radiata.)(ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ. ΕΝΔΟΞΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟ. ΕΤ. ΙΕΡΟΥ. ΝΕΟΥ. ΠΡΩ. ΖΞϹ. Γ. Γ. Ἀναζάρβου Ἐνδόξου Μητροπόλεως Ἔτους Ἱεροῦ Νέου Πρώτου ζξς. Γράμματι Γερουσίας. *Anazarbi Illuſtris Metropolis, Anno Sacro Novo primo* 267. *Reſcripto Senatus.* Quinque urnæ ludorum cum ramis. Quumque laudaſſet Vaillantium, Noriſium, & Harduinum, qui uno calculo Anazarbenſis Æræ initium ſtatuunt anno U. C. DCCXXXIIII, animadvertit, ante autumnum anni U. C. MI. Decium, qui hoc in nummo jam *Auguſtus* ſalutatur, ad imperium perveniſſe, ex ipſo nummo neceſſe eſſe. At enim præter R. P. Harduinum, etiam Cel. P. Pagius, & Cl. Vaillantius ſtatuunt, Decium anno demum U. C. MII. imperium in Martio, aut in Julio adiiſſe. *Ex quo, conficio*, inquit Frœlich, *adeo certum eſſe, non poſſe niſi cum primo imperii Decii anno, noſtrum Anazarbenſium annum congruere ; ut etiam, ad conciliandam temporum rationem, aut Anazarbenſium Æram uno anno tardius, aut imperium Decii uno item anno cœpiſſe citius, quam ſit hactenus creditum, conſtitui oporteat : de quo porro Chronologi viderint.* Adulto autumno anni U. C. MII. imperium adiiſſe Decium, nos arbitramur, adeoque Anazarbenſium Æram uno anno tardius, quam Vaillantius, Noriſius, & Harduinus ſtatuunt, exordimur. Nullo autem modo initium imperii Decii in annum U. C. MI., præſertim ante autumnum retrahi poſſe videtur : quare poſtponenda eſt Anazarbenſium Æra, ut annus, in Decii Imperatoris nummo notatus, cum ejuſdem imperio concurrere poſſit. Eadem itaque Æra cœperit autumno U. C. DCCXXXV, ſi addantur anni CCLXVII, horum annorum initium cadet in autumnum an. U. C. MI, finis vero in autumnum ſequentis anni U. C. MII; quo tempore imperium Decius auſpicatus erat. Nam, quamvis nonniſi adulto autumno hujus anni cæſos Philippos ponamus, tamen aliquod ante tempus, accitum novimus ad imperium Decium, ita ut illud ante autumnum ſumpſerit. Miſerat quippe Philippus ſenior Decium in Pannoniam (*c*), caſtigaturum ibi Marini factionis complices.

(a) Edit. alter. Vienn. an. 1737.
(b) Pag. 342.
(c) Zoſim. Lib. I. cap. 21. & 22.

plices. At eorum locorum milites amictum purpura Decium ad procurationem rerum vel invitum compulerunt. Quo accepto nuntio Philippus coactis exercitibus Roma ad eum opprimendum movit, & cum Decio apud Veronam dimicavit, eodemque in prælio periit. Nonnullos itaque ante Philippi necem menses imperium accepit Decius, & quidem in Pannonia, quæ ad Ciliciam, ubi Anazarbus, vergebat. Quare mox ad ejus partes accedere potuerunt Anazarbenses, eique nummos cudere ante exitum anni CCLXVII., qui apud ipsos properabat ad finem. Ægyptii vero, qui remotiores a Pannonia, & Romæ seu Philippo nonnihil proximiores erant, in fide erga Philippum stetisse videntur; nam adhuc tardius nummos Otaciliæ Philippi uxori dedicarunt; ut vidimus. Quapropter statutum maneat principium Æræ Anazarbensis autumno anni U. C. DCCXXXV; quod rursus alio nummo confirmare placet. Diximus (*a*), Sev. Alexandrum pervenisse ad autumnum anni U. C. DCCCCLXXXVIII, ita ut ingressus sit annum Amasenorum, qui cum autumno inibat, CCXLII. At habemus (*b*) nummum Maximini interfectoris atque successoris, ab *Anazarbensibus* percussum *anno* ET. Δ N C. CCLIV. qui, si putetur ab autumno U. C. DCCXXXIIII., finem habuisset cum æstate anni U. C. DCCCCLXXXVIII, vivo adhuc & imperante Alexandro.

(a) Supra num. XXIX. p. 148.

(b) Apud Hardu. in numm. Popp. Vaill. in Græc.

Aliunde etiam Philipporum imperium in autumnum anni U. C. MII. producere cogimur. Est enim nummus hujusmodi (*c*): M. IVL. PHILIPPVS CAES. *Caput sine corona.*][C. I. F. S. AN. CCC. XIX. *Templum distylon, in quo mulier stans, seu Dea dex. pomum tenet, sin. flagellum, ad pedes rota. Ex Ære magno.* Sinopensium nummos admodum raros esse, docet Vir Cl. Frœlich, qui nummum sibi a Conlega per Epistolam Belgrado anno 1733. communicatum describit, neque, cum Epochæ notis, tribus plures offendisse Vaillantium, notat. Duplicem tamen hujus Urbis Epocham inde eruere ipsum & eruditissimum P. Harduinum subdit. *Prior Epocha statuitur anno U. C.* DCLXXXIV. *in autumno cœpisse, quo Sinope a Lucullo libertate donata est. Alterius initium ducitur ab autumno anni U. C.* DCCV. *Itaque primus annus maximam partem congruit cum anno U. C. Romano* DCCVI, *quo Colonia per Jul. Cæsarem Sinopen deducta fuit. Utramque hanc Æram* Strabo Lib. XII. *testimonio suo confirmat.* Adnotat porro Vir Erud., numeros,

(c) Apud Frœlich in Appendic. ad Num. Colon. R. Vaill. n. VII. pag. 89. Quat. Tent. in Re num. Vet. Ed. Vien. an. 1737.

in

in Philippi junioris nummo ſignatos, cccxix. additos ejuſdem Æræ annis dclxxxiv., dare an. U. C. miii., cujus autumno exiit annus Sinopenſium cccxix; atq; adeo incœpit autumno anni U. C. mii., qui fuit Philipporum poſtremus. Illud mirum ei eſt, Philippum filium, jam aliquot annis *Auguſtalis* tituli participem, nudo capite, & cum ſolo *Cæſaris* titulo exhiberi.

Recte itaque a Vaillantio, Harduino, & Frœlich duplex Sinopes Epocha ſtatuitur; ac prioris initium autumno anni U. C. dclxxxiv. deputatur; quum Λέκελλος ᾗ τὴν πόλιν εὐθὺς ἐλευθέραν ἠφίει (a), *Lucullus* captam *civitatem mox fecit liberam*: ᾗ τὲς Σινωπέας κατὰ τάχος συνεκάλει (b), *& Sinopenſes*, qui aufugerant, *revocavit celeriter*. Recte etiam annus Sinopes cccxix, qui notatur in nummo Philippi Junioris, cœpiſſe dicitur autumno anni U. C. mii. Quare ad hoc tempus perveniſſe dignoſcitur Philippus Jun. cum Patre, ac Sinope in eorum fide perſtitiſſe; quum jam Decius acclamatus eſſet Imperator. Alium nummum cudit Sinope eidem Philippo juniori cum ſimili typo & litteris C. R. I. F. S. AN. CCC. XIV., h. e., *Colonia Romana Julia Felix Sinope Anno* cccxiv. Qui annus cœpit autumno anni U. C. dccccxcvii., & deſiit autumno ſequenti, quum jam imperaret Philippus Pater. Nummus eſt Muſei Arigonii Tab. xi. n. 172. Num. Colon. Unum etiam Gordiani Pii deſcribit (c) Harduinus (d) hinc inſcriptum IMP. GORDIANVS AVG. capite laureato, inde C. R. I. F. S. AN. CCCVIII., cujus initium cadit in autumnum an. U. C. dcccxci, reſpondetque initio imperii ejuſdem Gordiani.

(a) Appianus in Mithr. pag. 380. al. 227.
(b) Id. ibid.
(c) Ex Triſtano pag. 508.
(d) In num. Pop.

Neque vero mirum mihi eſt, Philippum filium, jam aliquot annis *Auguſtalis* tituli participem, nudo capite & cum ſolo *Cæſaris* titulo exhiberi; nam nomine tenus tantum erat *Auguſtus* & *Imperator*; adeoque hi tituli aliquando omiſſi: qua de re alibi egimus (e).

(e) Animadv. de Aug. num. VI. & VII. pag. 90.

De initio poſterioris Æræ Sinopenſium opinio aliorum expenditur.

Mirum potius, alicui videri poteſt, alterius Epochæ Sinopenſis initium ducere etiam ipſum Frœlich ab autumno anni U. C. dccv, idq; firmare conatum hoc nummo (f): NERO CLAVD. CAES. AVG. ANNI CII. *Nero Claudius Cæſar Auguſtus anni* cii. Caput laureatum Neronis). (OCTAVIA AVG. C. I. F. S. *Octavia Auguſta: Colonia Julia Felix Sinope*. Caput Octaviæ, Uxoris Neronis. *Ad poſteriorem Æram pertinent*, inquit, *numeri* cii. *in rariſſimo hoc noſtro parvi moduli numo ſignati. Nam; ſi ad*

(f) Loco cit.

si ad DCCV. *addam* CII., *devenio ad an.* U. C. DCCCVII., *qui fuit Neronis primus*: *id quod ipsum, constitutum hactenus hujus Æræ initium egregie confirmat*. At, si quid ego judico, potius infirmare constitutum a Vaillantio & Harduino, autumno anni U. C. DCCV. hujus Æræ initium hic nummus mihi videtur. Nam hoc modo annus Sinopensium CII. exiisset, antequam Nero esset *Augustus*, aut saltem de *Augusteo* ejusdem imperio nuntium advenisset Sinopen, contra quod nummus exhibet. Claudius itaque, quem in imperio excepit Nero, *excessit* III. *Idus Octobris* (a), *Asinio Marcello*, *Acilio Aviola Coss.*, i. e., anno U. C. DCCCVII. Nuntium porro de Claudii morte, deque Neronis successione, ejusque *Augusteo* imperio, nonnisi properante ad finem Octobri pervenire Sinopen potuit. At jam tum exiisset annus CII. Æræ ejus urbis, cœpissetque CIII., siquidem hi anni Orientalium aliorum more initium cum autumno habebant. Postponendum itaque docet hic nummus Æræ Sinopensis initium. Sane, quum a deducta, & quidem a *Julio* Cæsare, ut cognomen *Juliæ* ostendit, illuc *Colonia* originem hæc nova Epocha traxerit, id anno U. C. DCCV. neutiquam accidisse videtur. Nam tunc moto inter Cæsarem & Pompejum bello, Græciam finitimasq; versus Orientem regiones, inter quas Pontus, ubi Sinope, Pompejus tenebat, nec nisi sequenti anno victus est a Cæsare. Quare anno U. C. DCCV. deducere Sinopen Coloniam nec voluisse, nec potuisse Cæsar videtur. Post devictum tamen Pompejum deduxit, ut ex nova Epocha simulque cognomine *Juliæ* satis patet. Augustus novæ Coloniæ auctor fuisse dicitur a Clar. Cellario (*b*); quod in nummo Caracallæ habeatur: C. I. AV. SINOP. id est, *Colonia Julia Augusta Sinope*. At cognomen *Juliæ* ad auctorem Coloniæ, illud *Augustæ* ad restitutorem, seu beneficiorum conlatorem pertinent.

(a) Suet. in Claud. cap. 45.

(b) Not. Orb. Ant. Tom. II. Lib. III. c. 8. n. LV.

De eadem Aera opinio Auctoris.

Quod si a me quæratur, quo anno statuendum sit alterius hujus Epochæ Sinopensis initium, autumno anni U. C. DCCIX. illigandum respondemus. Nam est hic nummus (*c*) Diadumeniani........ IANVS CAES. *Caput Diadumeniani nudum.*)(........ NOP. AN. CCLXI. *Mercurius stans, d. crumenam, s. caduceum*. Porro, si annus *Sinopes* CCLXI. jungatur anno U. C. DCCIX, erit annus U. C. DCCCCLXX., cujus autumno idem Sinopensis annus CCLXI. desiit, autumno superiore cœptus. *Die* autem *quarta* (*d*) post necem Caracallæ, qui *octava Apri-*

(c) In Mus. Theupol. pag. 716.

(d) Dio Cass. Lib. LXXVIII. pag. 882. D. & pag. 905. E.

lis ejuſdem anni U. C. DCCCCLXX. occiſus eſt, imperium ſumpſit Macrinus Diadumeniani pater, imperavitque *annum unum, menſes duos, tribus demptis diebus*. Hinc patet, nec citius, nec tardius autumno anni U. C. DCCIX. cœpiſſe Sinopenſium Epocham. Si enim citius cœpiſſet, annus ejuſdem CCLXI. imperium Macrini adtingere non potuiſſet; ſi vero tardius, originem a Jul. Cæſare non traxiſſet; hic enim ſequenti autumno in vivis non erat, *Idibus (a) Martiis* anni U. C. DCCX. interfectus. Cæſar itaque Sinopen deduxit Coloniam anno U. C. DCCIX., unde Colonia *Julia* paſſim in nummis ea appellata. *Nunc eſt Colonia Sinope*, inquit Plinius (*b*); & Strabo (*c*): νυνὶ δὲ καὶ Ῥωμαίων ἀποικίαν δέδεκται, καὶ μέρος τῆς πόλεως, καὶ τῆς χώρας ἐκείνων ἐστί: *nunc Romanorum recepit Coloniam, quæ in partem urbis agrique venit*. Atque hinc intelligimus, cur duplex hujus urbis Æra occurrat in nummis. Cives etenim modo annos acceptæ a Lucullo libertatis numerabant; modo tempus computabant, ex quo illuc deducta fuerat Colonia.

(a) Suet. in Vit. cap. 81.

(b) Lib. VI. cap. 2.

(c) Lib. XII. pag. 376. Edit. ann. 1587. nunc pag. 546.

Noſtram de alterius Sinopenſis Epochæ initio opinionem alio nummo confirmare juvabit; qui ita ab Harduino deſcribitur (*d*): C. I. AV. F. SIN. ANNO CLXXXII. Dimidia Columna ordinis Corinthiaci, & ſimul caput ſenile, tergemino cinctum diademate. *Colonia Julia Auguſta Felix Sinope. Anno* CLXXXII., qui eſt annus Chriſti CXXXIII. ab autumno, U. C. DCCCLXXXVI. Parte altera, L. AELIVS CAESAR, capite nudo. Eſt hic nummus ex ære mediocri, in Cimelio D. Foucault. *Ex quo intelligas*, inquit Harduinus, *falli hiſtoricos, qui Ælium narrant factum fuiſſe Cæſarem dumtaxat anno Chriſti* CXXXVI. At ego vereor, ne Harduinus ipſe alucinetur. Nam tantum abeſt, ut hoc nummo arguantur erroris hiſtorici, quin eorum ſententia inde confirmatur. Annus itaque Sinopenſis Æræ CLXXXII, qui in eodem L. Ælii nummo legitur, ſi ducatur, ut par eſt, ab autumno anni U. C., non jam DCCV., ſed DCCIX., cœpit autumno anni U. C. DCCCXC. (*e*), deſiitque autumno ſequenti. Ælius autem *Kalendis (f) Januariis* intermediis *periit*; unde cuſus ei nummus conſtat paullo ante mortem, eo nempe tempore, quod ab antecedenti autumno ad has Kalendas defluxit. Quod ſi idem Æræ Sinopenſis annus CLXXXII. putaretur ab autumno anni U. C. DCCV., ut poſt Vaillantium contendit Harduinus, cœpiſſet autumno anni U. C. DCCCLXXXVI., & exiiſſet autumno ſequenti, qui

(d) In num. Pop.

(e) Chr. 137.

(f) Spatian. in Vit. cap. 4.

qui eſt annus Chriſti ad finem properans cxxxiv., quo tempore nullus hiſtoricorum *Cæſarem*, ut habet nummus, nobis exhibet Ælium.

Ita deſcribit alium nummum ex Ære medio laudatus Frœlich *(a)*: c. i. f. xxxi. *Puto ante numeros eſſe* a. Caput Auguſti, ſine Corona). (ex d. d. *Capita jugata M. Antonii & Cleopatræ*. Notatque, hunc nummum ad poſteriorem Sinopenſium Epocham anni U. C. dccv. revocari non poſſe; quando ultra Antonii interitum hi xxxi. anni excurrerent. At vero cum Æra altera anni U. C. dclxxxiiii. præclare congruere annum *triceſimum primum* ſubdit. Adjectis enim xxxi. ad dclxxxiiii. conficitur annus dccxv, cujus autumno exiit annus Sinopenſium xxxi, qui cœpit autumno anni dccxiiii., quo eodem anno, Pagio & Noriſio calculum ſubducentibus, Antonius cum Auguſto pacem iniit, & Ovans Urbem ingreſſus eſt. Hæc quidem recte; at tunc non erat tempus conjungendi in nummis cum Antonio Cleopatram, ſed Octaviam Cæſaris ſororem, & uxorem Antonii. Quare ipſam Octaviam, non Cleopatram ineſſe in hoc nummo nos credimus. Qua de re ad longum in Animadverſione viii. egimus.

(a) Ead. pag. 89. & 90.

XXXIII.

TRAJANUS DECIUS.

De Decio ejuſq; imperio.



Dulto itaque autumno anni U. C. mii. Chr. ccxlviiii. morte ſtratis Philippis, imperium adminiſtrandum ſuſcepit Decius. *Quum* autem *biennio* Decius *ipſe & filius ejus imperaſſent, uterqi e in barbarico interfecti ſunt*, Eutropio *(b)* teſte. Zonaras *(c)* οὐδὲ δύο ὅλους ἐνιαυτούς, *non completo biennio* periiſſe tradit: atq; hoc modo etiam apud Eutropium aliqui *(d)* legunt. *Sexto (e) Kalendas Novembris die* anni U. C. miiii. Chr. ccli., quo tempore Valeriano decreta eſt a Senatu Cenſura, adhuc imperabat Decius. Quin & *hoc (f) Senatus Conſultum Decius accepit*, atq; in conventu ſummorum virorum, præſente ipſo Valeriano, recitavit. Quare menſe Novembri ſeu initio Decembris hujus anni periiſſe Decios, conveniunt Pearſonius *(g)*, Ricciolius *(h)*, Calviſius *(i)*, Petavius *(k)*, Pagius *(l)*, Tillemontius *(m)*, Baſnagius *(n)*, atq; Bandurius *(o)*. Occurrit tum in Inſcriptionibus *(p)* tum

(b) Lib. IX. c. 4.
(c) Lib. XII. Ann. c. 20. p. 627.
(d) Vid. edit. Eutrop. Lugd. Bat. an. 1729.
(e) Treb. Poll. in Valer. c. 1.
(f) Id. ibid. c. 2.
(g) In Ann. Cypr. ad ann. Chr. 251. n. 15.
(h) Lib. IIII. c. 10. n. 9. Chron. Ref.
(i) In Op. Chron.
(k) Lib. XI. de Doc. Temp. c. 28.
(l) In Crit. ad an Chr. 251. n. 30.
(m) In Vit. Decii.
(n) In Ann. Pol. Eccl. ad an. Chr. 249. n. 3.
(o) Tom. I. num. Impp. pag. 2.
(p) Apud Grut. p. CCLXXIII. 6. & Apud Pagium in Crit. ad an. Chr. 251. n. 31.

(a) Apud Goltz. p. 108.
(b) Apud Bandur. Tom. I. pag. 27.

tum in nummis latinis (*a*) TRIB. POT. III. Decii Patris, & in græcis (*b*) L. Γ. *annus tertius*. Tribunicia autem Poteſtas *tertia* annuſque *tertius* more noſtro computati, die IV. Idus Decembris U. C. MIII. Chr. CCL. inierunt; eadem enim die ſuperioris anni, etiamſi nonniſi paullo ante imperium ceperit Decius, iteratam credimus Tribuniciam Poteſtatem. Ex aliorum vero calculo cœpit tum Tribunicia Poteſtas *tertia* tum annus *tertius* Decii, quum completo imperii biennio, annum tertium auſpicatus eſt. Vivebat Decius AN*no* XII. Viminacii, ut ex ejus nummis (*c*) habemus: hic autem annus cum Januario, ut veroſimile eſt, cœpit anni U. C. MIIII. Chr. CCLI., quo tempore iniit quoque AN*nus* V. *Daciæ Provinciæ*, quem pariter in nummis (*d*) Decii & Herennii Etruſci habemus. Cœpit poſterior hæc Epocha cum Januario anni U. C. M. Chr. CCXLVII. imperante Philippo, qui & ad AN*num* ejus III., (*e*) non vero IIII., ut ſuſpicatus eſt Vaillantius (*f*), pervenit. Decius quippe durante eodem anno *tertio* imperium accepit, & exeunte *quinto* cum vita depoſuit.

(c) Apud Vaill. in Colon. & Hardu. in Hiſtor. Aug. & Bandur.
(d) Apud eoſd.
(e) Apud eoſd.
(f) Tom. II. Colon. pag. 270.

Confirmatur noſter Trib. Poteſtatem numerandi modus.

Unum reſtat notandum, quo noſter numerandi Tribuniciam Poteſtatem modus ceteris præſtare dignoſcatur. Non ſolum itaque habetur Tribunicia Poteſtas *tertia* Decii, ſed & cum Conſulatu ejus ſecundo conjuncta hoc pacto occurrit in duabus Inſcriptionibus (*g*) TRIB. POT. III. COS. II. Conſul autem *iterum* proceſſit Decius Kalendis Januariis anni U. C. MIII. Chr. CCL. paullo poſt acceptum imperium, *tertiumque* proceſſit Kalendis Januariis anni ſequentis. Quarto itaque Idus Decembris anni U C. MIII. Chr. CCL. renovare debuit Tribuniciam Poteſtatem, ut *tertiam* adtingeret, antequam Conſulatum *tertium* ſubſecutis Kalendis Januariis acciperet. Inde vero etiam conſtat, *Conſulatum* ejus *tertium* cum *Tribunicia Poteſtate ſecunda* in nummis apud Goltzium (*h*), ſiquidem ſinceri ſunt, conjuctum, de Conſulatu *tertio* deſignato tantum, quamvis abſolute poſitus ſit, intelligi debere. Haud facile tamen hujuſmodi nummos admittere velim, quum nec unum viderit, aut deſcripſerit Bandurius. Pagius (*i*), qui Tribuniciam Poteſtatem *tertiam* Decii cum ejus Conſulatu *ſecundo* copulare juxta ſuam opinionem non potuit, Conſulatum primum, utpote ſuffectum, in a ſe Gruteroque deſcriptis Inſcriptionibus omiſſum docet, quod & alibi factum eſſe tradit.

(g) Apud Gruter. pag. CCLXXIII. 6. & Pagium in Crit. ad an. Chr. 251. nu. 31. Vid. Murator. in Not. ad Inſcript. Pagii, Tom. I. pag. CCLII. 5.
(h) Pag. 108.
(i) In Crit. ad an. Chr. 251. nu. 32. Vid. Animad. noſtram de Coſ. n. V.

XXXIV.

XXXIV.

GALLUS ET VOLUSIANUS.



Ublatis circa initium Decembris anni U. C. MIIII. Chr. CCLI. Deciis, *Gallo* (*a*) *Hostilianoque Augusta imperia*, *Volusianum Gallo editum Cæsarem decernit* Senatus. Dein pestilentia oritur, qua atrocius sæviente Hostilianus interiit. Sub his *Æmilianus in Mœsia* res novas molitus est: ad quem opprimendum, quum Gallus & Volusianus profecti essent, Interamnæ interfecti sunt (*b*), *non completo biennio*, juxta Eutropium. Eusebius (*c*) quoq; sublatos tradit, οὐδ' ὅλοις ἔτεσι δύο τὴν ἀρχὴν ἐπικατάσχοντες, *non integris duobus annis imperio occupato*. Hinc etiam Orosius (*d*), Gallum *vix duobus annis cum Volusiano filio* regnum obtinuisse, testatur. At vero *Dexippus* ejus ævi scriptor, μῆνας ιη', *menses* XVIII. imperasse tradit apud Syncellum (*e*). Quos omnes de eo tempore, quo soli imperarunt Gallus & Volusianus, antequam Imperator renuntiaretur Æmilianus, interpretamur. Nam Eusebius ipse in Chronico, Cassiodorus (*f*), Epiphanius (*g*), aliique annos duos mensesque quatuor Gallo & Volusiano tribuunt. Sunt præterea nummi cum *Tribunicia Potestate* utriusque *quarta*, quæ aliquod saltem tempus supra biennium exigit, etiam juxta nostram computandi rationem.

(a) Vict. de Cæsar.

Veterum innumerandis Galli & Volusiani an. imperii discrepantia.

(b) Eutrop. Lib. IX. c. 5.

(c) Lib. VII. c. 9. Ed. an. 1612.

(d) Lib. VII. c. 21.

(e) In Chron.

(f) In Chron.

(g) De pond. & mens. c. 20.

Pearsonius (*h*) autem, Pagius (*i*), Tillemontius (*k*), Basnagius (*l*), & Bandurius (*m*), post decem & octo imperii menses, h. e. mense Majo aut Junio anni U. C. MVI. Chr. CCLIII. interfectum cum Volusiano Gallum autumant. Quod vero spectat ad Tribuniciam Potestatem *quartam*, errore Monetariorum factum docet Pagius, ut partes nummorum aversæ, quæ erant Gordiani Philippique juniorum, Galli & Volusiani capitibus male aptarentur. Pearsonius autem, Tillemontius, Basnagius, & Bandurius *tertium quartumve* Tribuniciæ Potestatis & imperii annum perperam in nummis Galli & Volusiani consignatum esse tradunt (*n*), falsisque nummis eos indubitanter adponunt. Baronius (*o*), Gallo & Volusiano imperantibus, Valerianum ab Alpinis militibus acclamatum Imperatorem, consecutumque Tribu-

(h) In Ann. Cypr. ad ann. Chr. 253. n. 8.

(i) In Crit. ad an. Chr. 253. n. 13.

(k) Not. III. in Gall.

(l) In Annal. Pol. Eccl. ad an. Chr. 253. n. 3.

(m) In not. ad nu. Gall. & Volus. p. 61. 65. 74. & seqq. & in Vit. p. 56. & 79.

Recentiorum quoque discrepantia.

(n) Citatis locis.

(o) In Ann. ad an. Chr. 256. n. 36.

niciam

(a) *Volusianum habent Fasti Cos.* (b) An. 253. juxta alios. (c) Ad ann. Chr. 257. n. 1. (d) Lib. XI. de Doctr. Temp. c. 28. (e) Lib. IIII. Chr. Ref. c. 10. nu. 10. (f) Diss. IV. Quat. Tent. in re Num. V. c. 7. pag. 427.

niciam Poteſtatem *Maximo & Valeriano* (*a*), anni Chriſtianæ Epochæ CCLVI. (*b*) Conſulibus, ſcribit. Gallum vero & Voluſianum in annum ſequentem imperium prorogaſſe ſubdit (*c*). Hinc docet eos, qui mox, ut Valerianus & Gallienus creati ab exercitu ſunt Imperatores, eorum annos numerare cœperunt, duos ſaltem annos Galli & Voluſiani prætermittere: atque hoc pacto Tribuniciam Poteſtatem horum *quartam* tueri conatur. Petavius (*d*) mortuos tradit Gallum & Voluſianum anno Chriſti CCLIIII., idq; chronologiæ ſuæ conſentaneum ait; *ut cum novo anno Juliano nova Tribunitia Poteſtas inchoata ſit; adeoque quater iſtaurari potuerit.* Quamobrem ineunte anno Chriſti CCLIIII. Gallus & Voluſianus juxta Petavium interfecti ſunt, quum imperaſſent annos ſolidos duos, nempe CCLII. & CCLIII., ac menſes quatuor, qui poſtremam anni CCLI. partem & tres circiter primos an. CCLIIII. menſes occupant. Ricciolius (*e*) quoque exiſtimat Gallum & Hoſtilianum iniviſſe imperium anno Chriſti CCLI. exeunte, & non multo poſt Voluſianum ante anni CCLII. initium; & anno CCLIII. item exeunte, ſed nondum completo biennio imperii eorum, Æmilianum ſalutatum eſſe Imperatorem a militibus, & inde ex Scythia devicta veniſſe in Italiam anno CCLIIII; & Martio circiter exeunte, Gallo & Voluſiano interfectis, paullo poſt & ipſum occiſum fuiſſe, nondum completo quarto menſe imperii, ex quo primum ſalutatus fuerat Imperator. Frœlich (*f*), quam facile, inquit, ab Hiſtoricis ſileri aut ignorari poterant multa: ut ſi Gallus & Voluſianus uno alterove anno antea, quam Romæ Auguſti agnoſcerentur, ſibi Imperatoris AVG. & TRIB. POT. titulos arrogaſſent, atque ab eo tempore annos TRIB. POT. in numis conſignari voluiſſent. -- . Quid ſi ab ipſo Decio in Collegas fuiſſent aſſumpti Gallus & Voluſianus, aut a Senatu dati, ut ingruentibus undequaque hoſtibus ac tumultibus melius occurreretur?

Auctoris opinio de Galli & Voluſiani imperio.

Hæc alii, a quibus tamen diſſentire nos cogimur, quum nec illi cum certioribus hiſtoriæ monumentis conveniant. Cenſemus itaq; Gallum & Voluſianum, qui circa initium Decemb. anni U.C. MIIII. Chr. CCLI. creati ſunt Imperatores, integro biennio Romæ imperaſſe, circaque initium Decembris anni U.C. MVI. Chr. CCLIII. interemptos fuiſſe; Æmilianum vero menſe Junio hujus anni rebellaſſe, Decembrique occiſum,

ſum, quum Imperator acclamatus eſſet Valerianus. In primis autem negamus, aut falſos eſſe nummos Galli & Voluſiani, qui *quartam* eorum Tribuniciam Poteſtatem præferunt, aut partes eorumdem nummorum averſas ad alios Imperatores ſpectare, Monetariorumq; errore Gallo & Voluſiano aptatas. Hæ enim meræ ſunt conjecturæ, ne dicam commenta, ad vitandas difficultates inventæ, quæ nullam tamen veroſimilitudinem habent, quæque, ſi ſemel admittantur, plurimum ceterorum quoque cujuſque generis nummorum auctoritati detrahent. Sinceri itaque ſunt hi nummi, omnibuſque antiquitatis characteribus, ſi qui alii, gaudent. Obſervatum teſtatur Clar. Frœlich (*a*), *eſſe hujuſmodi numiſmata in Cimeliis Principum paſſim obvia, eaque indubitatæ antiquitatis & fidei*. Quomodo vero cum hiſtoria componantur, infra videbimus. Suſcepiſſe igitur Gallum imperium, renuntiatumque Cæſarem ejus filium Voluſianum exeunte Novembri, ſeu ineunte Decembri anni U.C. MIIII. Chr. CCLI., tum in confeſſo eſt apud eos, quorum auctoritas in rebus hujuſmodi plurimum valet, tum etiam nos probavimus. Οἳ ϗ βασιλεύουσι κατὰ Δέξιππον μῆνας ιή (*b*): *Imperarunt autem* Gallus & Voluſianus *juxta Dexippum* ejus ævi (*c*) Scriptorem, *menſes decem & octo*; antequam nempe contra eos rebellaret Æmilianus: neq; enim aliter intelligi aut explicari Dexippum nummi ſinunt. Menſe itaque Junio anni U. C. MVI. Chr. CCLIII. *Æmilianus* (*d*) *in Mœſia Imperator effectus eſt*. Idipſum res ab eo contra barbaros paullo, antequam imperium ſumeret, geſtæ probant.
„ Scythis (*e*) enim, quotquot erant in Europa, ſecure degen-
„ tibus, & jam in Aſiam quoque tranſgreſſis, omniaque ad
„ Cappadociam & Peſinuntem & Epheſum uſque depopu-
„ latis, *Æmilianus* ordinum Pannonicorum Dux, militibus
„ ſuis, qui parum habebant animi ad reſiſtendum proſperæ
„ barbarorum fortunæ, quanto poterat, opere confirmatis,
„ & dignitate populi Romani ad animum eis revocata, im-
„ proviſus barbaros in iis locis repertos adgreſſus eſt. Quum-
„ que magnam eorum partem occidiſſet, milites in barbaricum
„ tranſduxiſſet, inopinato, quidquid occurreret, obtruncaſſet,
„ præter omnium denique ſpem imperio Romano ſubjectos
„ illorum furore liberaſſet, αἱρεῖται παρὰ τῶν τῇδε στρατιωτῶν Αὐτοκράτωρ, *a militibus ſuis Imperator dictus eſt*.

Viminacium itaque Mœſiæ, ubi Imperatorem effectum fuiſſe

(a) Diſſertat. de Numis Monetariorum Veterum culpa, vitioſis c. 7. pag. 425.

(b) Apud Syncell. in Chron.

(c) Pollio in duobus Gallienis cap. 13.

(d) Vict. in Epit.

(e) Zoſim. Lib. I. c. 28.

(a) In Epit.
(b) Lib. IX. c. 5.

Nummi Col. Viminacii inlustrantur.

fuisse Æmilianum, Victor (*a*) & Eutropius (*b*) scribunt, Urbs inde nummos cudit dedicavitque Æmiliano. Sunt autem hujusmodi. In parte antica habetur caput Æmiliani laureatum cum epigraphe IMP. C. M. AEMIL. AEMILIANVS AVG. In parte vero postica est figura muliebris stolata, brachiis expansis, stans inter bovem a dextris & leonem a sinistris adversos; in ambitu nummorum sunt litteræ P. M. S. COL. VIM., quæ ita explicantur: *Provinciæ Mœsiæ Superioris Colonia Viminacium*: in ima vero eorum parte legitur AN*nus* XII., vel AN. XIIII. Nummus *anno duodecimo* insignitus, est Musei illius amplissimi, quod Antiquariorum totiusque litterariæ Reip. bono instruxit Excellentissimus D. Joannes Dominicus Theupolus, mei, dum viveret, amantissimus; quodque legavit Excellentissimis Dominis Laurentio Equiti ac Procuratori ex merito Divi Marci & Federico Senatori amplissimo, Fratribus Theupolis, quos non sine titulo honoris meæque erga ipsos observantiæ nominare mihi fas est. Ab hoc autem nummo alter, quem paullo ante (*c*) laudavimus, Musei Arigonii (*d*) nummus Æmiliani cum AN*no* XII. VIM*inacii* confirmatur; idemque annus Æmiliano ipsi statuitur. Nummi vero cum AN*no* XIIII. passim occurrunt, & a Vaillantio (*e*), Harduino (*f*), & Bandurio (*g*) tum etiam in Museo Arigonio (*h*) exhibentur. Quum autem ab anno XII. ad XIIII. Viminacii imperium vitamque Æmiliani producere non liceat, utrumque numerum de eodem anno, deducto a diverso principio, ut diximus (*i*), interpretamur, & cum anno U. C. MVI. Chr. CCLIII utrumque componimus: quod etiam de nummis Valeriani cum AN*no* XII (*k*) Viminacii pronuntiamus. Hic enim annus, si ab anno U.C. DCCCCXCIII. Chr. CCXL. numeretur, nullo modo Valeriano aut Æmiliano congruit: quippe caderet in annum U. C. MIIII. Christi CCLI; biennio citius, quam ad imperium accederent. At vero, si ab anno U. C. DCCCCXCV. Chr. CCXLII. idem annus Viminacii XII. deducatur cum nova Epocha, de qua superius (*l*), concurret cum anno U. C. MVI. Chr. CCLIII; quo imperium uterque sumpsit. Galli porro & Volusiani nummi (*m*) cum AN*no* XIIII. Viminacii, quemadmodum & illi Æmiliani cum eodem anno, ad prioris Epochæ principium spectant, congruuntque anno U. C. MVI. Chr. CCLIII. Nummus autem Volusiani cum AN*no* XI. (*n*) Viminacii posterioris Epochæ principium

(c) Num. XXXI. pag. 162.
(d) Tab. XIII. n. 200. Num. Col.
(e) Tom. II. Colon. in Æmil.
(f) In num. Popp. verb. *Viminacium* & in Hist. Aug.
(g) Tom. I. p. 98.
(h) Ibid. n. 201.
(i) Num. XXXI. pag. 162.
(k) Musei Arigon. ead. Tab. n. 202.
(l) Pag. 162.
(m) Apud Vaill., Hard. & Bandur.
(n) Musf. Arigon. Tab. XIII. num. Colon. 197.

principium respicit, annoque U. C. MV. Chr. CCLII. convenit. Si enim de priori Epocha explicaretur, cusus dignosceretur, antequam Gallus & Volusianus ad imperium acciti fuissent. Neque vero duplicem hanc Epocham quis gravetur admittere: nam, præterquamquod Capitolini historiæque fundamento nititur, maximam ab historia ipsa confusionem avertit. Dicere quis posset, Viminacii Monetarios in designandis annis errasse. Nos tamen nullum heic errorem admittimus, quippe animadvertimus, nummos ipsos, qui ab aliis discordare videntur, inter se maxime concordare; eodem enim biennii intervallo omnes discrepant. Quare non errore, sed de industria factum id arbitramur. Quin in nummis quoq; Daciæ idipsum, etsi rarius, occurrit; qua de re mox. Hinc aliquid subesse caussæ, quamvis nobis haud apertum, cur ita factum sit, arguimus. Harduinus, cui tamen ignota fuerunt hujus generis numismata, quæ nempe biennio ab aliis differunt, postquam Philippum cum Decio regnasse (*a*) tradidit, Decium ipsum & Etruscum cum Gallo, Volusiano, & Hostiliano simul imperasse (*b*) scribit. Verum id contra historiæ historicorumque fidem.

(a) In Hist. Aug. ad ann. Chr. 249. & seq.

(b) Ad ann. Chr. 251.

Nummi Daciæ.

Exstant Daciæ nummi (*c*) ANNO ejus Provinciæ VII. Æmiliano cusi, qui annus concurrit cum anno U. C. MVI. Chr. CCLIII. Galli vero (*d*) & Volusiani (*e*) habentur cum ANNO V. & VI. Hostiliani tamen sunt (*f*) cum ANNO VII, ex quibus ad principium saltem anni U.C. MVI. Chr. CCLIII. illum pervenisse, intelligimus. At Gallum & Volusianum, cum quibus imperavit, ad finem ejusdem anni produxisse imperium, nummi (*g*) utriusque TR. P. IIII. insigniti probant. Tot autem, ut diximus tantique sunt numero hujusmodi nummi, iisque antiquitatis ac sinceritatis notis prædici, ut de illis dubitare nemo jure possit. Est etiam græcus Volusiani cum Δ. *anno quarto* apud Harduinum in Historia Augusta ad annum Chr. CCLIII. Congruere illi quidem nequeunt recepto computandi Tribuniciam Potestatem modo; at id modum ipsum arguit. Pervenisse credimus Gallum & Volusianum ad finem Novembris, quum cusi paratique essent hujusmodi nummi, quarto Idus Decembris die, quo Tribunicia Potestas *quarta* utriusque inibat, distrahendi. Heic igitur necessarius est noster computandi Tribuniciam Potestatem modus, ejusdemque ratio undique firmatur. Quum enim nonnisi aliquot ul-

Nummi Galli & Volus. cum Trib. Pot. IIII.

(c) Apud Vaill. in Colon. & Bandur. in Æmil. pag. 98.

(d) Apud eosdem.

(e) Frœlich in 4. Ten. Rei Nu. V. p. 137. ubi exhibet nummum Volusiani cum AN. V. & alterius sui Cimelii meminit Galli cum eodem AN. V.

(f) Apud eosdem Vaill. & Bandur.

(g) Apud Mediobar. Hardu. Bandur., & Auctor.

tra biennium dies Gallus & Volusianus imperarint, & tamen habeant Tribuniciam Poteſtatem *quartam*, nullo alio die quam quarto Idus Decembris Tribuniciam Poteſtatem renovaſſe, intelliguntur. Nam, ſi eo demum die, quo primum illam acceperunt, integro elapſo anno renovaſſent, vix tertiam adtigiſſent: quod & accidiſſet, ſi illam Kalendis Jan. juxta Petavii opinionem iteraſſent; quippe ad Kalendas Januarias anni U. C. MVII. Chr. CCLIIII. minime pervenerunt, ut fidem facit Conſulatus Valeriano Gallienoque delatus; patri enim & filio privatis numquam, nec niſi eiſdem ad imperium accitis Conſulatus ſimul demandari conſuevit. Nummi præterea Gallieni nedum Kalendas ipſas Januarias, ſed & partem Decembris ſibi poſcunt. Quum enim menſe Martio anni U. C. MXXI. Chr. CCLXVIII. occiſus ſit, adhuc tamen cum TR. P. XVI. *(a)* comparet; adeoque illam primum accepiſſe aliquo ante IIII. Idus Decembris die anni U. C. MVI. Chr. CCLIII., eamque eodem IIII. Idus Decembris die mox iteraſſe dicendus eſt. Quin ante Januarium hujus anni perveniſſe ad imperium cum Patre Gallienus videri aliquibus poteſt: quippe PROVINCIA DACIA *Imperatori Gallieno Pio Auguſto* nummos *(b)* cudit jam tum ANNO VI., qui ante ipſum Januarium U. C. MVI. Chr. CCLIII. ex poſito Æræ Daciæ principio deſiit. At vero nos, qui duplicem Daciæ Æram, quemadmodum & de Viminacio dictum eſt, admittendam cenſemus, aliter ſentimus. Sunt itaque Daciæ nummi, iique frequentiores, qui a Januario anni U. C. M. Chr. CCXLVII, ut notavimus, numerari debent, inter quos illi Etruſcillæ *(c)* Decii Uxoris cum AN. V. Sunt vero aliquot alii, qui nonniſi a Januario anni U. C. MII. Chr. CCXLVIIII. deduci queunt; ex quibus ille *(d)* Voluſiani cum AN. III; nedum enim hic annus in ipſo & Decio *(e)*, verum etiam in Philippo *(f)* occurrit. Quemadmodum itaque biennio differunt Voluſianus & Philippus, ita duplex Daciæ Epocha admitti debet, altera ab altera biennio differens. Atque hoc modo ANNUS VI., qui a priori Epocha deductus congruere Gallieno non poteſt, numerari debet a poſteriori, ita ut cum ANNO VIII. prioris concurrat, incipiatque Januario anni U. C. MVII. Chr. CCLIIII. At vero *(g)* ANNUS VII. ejuſdem Gallieni optime ipſi congruit, etiamſi deducatur a priori Epocha; ita enim incipiet cum anno U. C. MVI. Chriſti CCLIII; cujus quidem pars major ſpectat ad Gallum & Voluſianum, attamen

(a) Apud Mediob. pag. 379., Bandur. p. 176. & 223. & Hardu. in Hiſtor. Aug. ad an. Chr. 268.

(b) Apud Bandur. in Gallien. p. 199.

Nummi Daciæ explicati, duplexque Aera admiſſa, ſicut & Viminacii.

(c) Apud Frœlich in 4. Tentam. Rei Num. Vet. pag. 135. ed. an. 1737.

(d) Apud Bandur. pag. 88.

(e) Apud Hardu. in Hiſtor. Aug. & Arigon.

(f) Apud Vaill. & Hardu.

(g) Apud Vaill.

attamen aliquam ſibi partem vindicat etiam Valeriani Gallienique imperium: quod dicendum etiam de nummis Viminacii iiſdem Æmiliano, Gallo & Voluſiano, tum etiam Valeriano Gallienoque cuſis (*a*) cum AN*no* XIIII. Valeriani nummum Daciæ cum AN. VIIII. producit Cl. Frœlich (*b*) alium Gallieni cum AN. X.

(a) Apud Vaill. Hardu. & Bandur.
(b) Pag. 138. Quatuor Tentam. in Re Num. Veter. Edit. alter. Vien. an. 1737. & pag. 140.

Rebellavit itaq; Æmilianus menſe circiter Junii U. MVI. Chr. CCLIII., ſi Dexippum ſequimur, aut circa Septemb. initium, ſi Eutropio, & utriq; Victori credimus, qui tres (*c*) aut quatuor (*d*) imperii menſes eidem adſignant. Hinc contrahendis copiis comparandoq; contra Gallum & Voluſianum bello operam dedit; indeq; Italiam verſus movit. Decurrebat annus Viminacii XIIII., ſicuti & VII. Daciæ; quarum quidem Provinciarum imperium arripuerat Æmilianus; adeoque hujuſmodi annos habemus in nummis ejuſdem. Ut vero Gallus de Æmiliano audivit, quibuſcumque poterat, rebus ſe muniebat (*e*), & Valerianum ablegavit, Gallicas & Germanicas legiones adlaturum. Sed, quum magna celeritate ſuos Æmilianus in Italiam adduxiſſet, propeque ſe conſtitiſſent exercitus (*f*), Gallus & Voluſianus Interamnæ ab ſuis cæduntur. Contigit id circa initium Dec., quum paullo poſt *quartam* Tribuniciam Poteſtatem inituri eſſent. Accedente autem magnis cum copiis Valeriano, paullo poſt etiam Æmilianus a ſuis occiditur. Imperator itaq; ſtatim poſt mortem Galli renuntiatus Valerianus, una cum filio Gallieno Trib. Pot. mox IIII. Idus ejuſdem Decembris iteravit, eodemque tempore ſingulo quoq; anno renovavit, ita ut Gallienus menſe Martio anni U. C. MXXI. Chr. CCLXVIII, quo occiſus eſt, Tribuniciam Poteſtatem XVI., cum qua comparet in nummis, ab aliquot menſibus geſſerit.

(c) Eutrop. Lib. IX. c. 6. & Vict. de Cæſ.
(d) Vict. in Epit.

Tempus decernitur Gallo, Aemiliano, atque Valeriano.

(e) Zoſim. Lib. I. c. 28. & Zonar. Lib. XII. Annal. c. 21. & 22.
(f) Zoſim. ibid. & Vict. de Cæſar.

Age vero, Chronologiam hanc ulterius confirmemus. Nullus, credo, ibit inficias, Valerianum & Gallienum die IIII. Idus Decembris anni U. C. MVI. Chr. CCLIII. fuiſſe Imperatores: nummi enim cum Faſtis Conſularibus id exigunt. Quod vero Gallus & Voluſianus, tum etiam Æmilianus eo uſque pervenerint, præter ea, quæ diximus, hæc rurſus probant. Habetur in Theſauro Gallorum Regio teſte Harduino (*g*) nummus Æmiliano ab *Ægeæis* percuſſus anno eorum Θ q Σ *ducenteſimo nonageſimo nono*. Cœpit hæc Epocha, ut notant Harduinus & Noriſius (*h*), autumno anni U. C. DCCVII.

Adhuc confirmatur eadem Chronologia.

(g) In num. Popp. p. 10. Oper. Sel.
(h) Noriſ. Diſſer. IIII. de Epoch. Syr. Maced. c. 1. & Hardu. pag. 9. Oper. Select. & in Chr. V. T. ad an. U. 707.

DCCVII. Id probat Norisius nummis Diadumeniani, *anno Ægensium*, sive *Ægæorum*, aut etiam *Ægeorum*, ut varie legitur, Δ Ξ Σ, *ducentesimo sexagesimo quarto* insignitis. *Cum enim*, inquit, *Diadumenianus Cæsar cum Macrino Augusto patre menses tantum quatuordecim in imperio vixerit, occisus an.* U. DCCCCLXXI. *Christi* CCXVIII., *Epocha annorum* CCLXIV. *in ejusdem Opelii Antonini Diadumeniani scalpto apud Ægas nummo obsignata, ab anno U. Romæ* DCCVII. *ineunda est*. Stabiliendo tamen huic principio satis non essent laudati nummi, nisi alter accederet Macrini e Museo Theupolo (*a*) cum *anno* Γ Ξ Σ, *ducentesimo sexagesimo tertio* Ægæorum. Quum enim Macrinus, ut paullo ante (*b*) & alibi (*c*) notavimus, *die quarta* post occisum VIII. *Aprilis* (*d*) Caracallam U. C. DCCCCLXX. Chr. CCXVII. imperium sumpserit, nec nisi *annum unum*, *menses duos*, *tribus demptis diebus* (*e*) imperaverit, anni Ægæorum CCLXIII. & CCLXIV. ei convenire non possent, nisi essent repetiti ab autumno U. C. DCCVII., aut ab aliquo alio proxime sequentis anni tempore, ita tamen, ut autumno anni U. C. DCCVIII. secundus Ægæorum annus sit inchoatus: qua de re supra (*f*) diximus. Si itaque ab autumno anni U. C. DCCVII. numerentur anni CCXCIX., qui in nummo Æmiliani leguntur, horum ultimus incipiet autumno anni U. C. MV. Chr. CCLII., desinetq; sequenti. Ante autumnum igitur anni U. C. MVI. Chr. CCLIII. imperium arripuerat Æmilianus. Quod autem usque ad Decembrem illud retinuerit, probant alii nummi; sunt (*g*) quippe Ægyptii cum L. B. *anno secundo* Æmiliani, qui annus ex tradito toties calculo inire debuit cum Tribunicia Potestate secunda Æmiliani IIII. Idus Decembris ejusdem anni MVI. Chr. CCLIII. Quod si hunc diem non adtigit Æmilianus, proxime tamen ad eum accessit; nec ante illum resciri in Ægypto mors ejus potuit. Pervenisse tamen Æmilianum ad Kal. Jan. sequentis anni, aut proxime saltem ad eas accessisse, probat nummus Arigonius Æmiliano cusus cum AN. VIII. DA-*ciæ*, qui annus cum Kalendis Januar. an. U. C. MVII. iniit. Nisi potius hujusmodi anni, sicut & illi Viminacii aliud habuerint intra annum Romanum principium; ac forte æstate, vel autumno, aut etiam die X. Decemb. cum Tribunicia Potestate & annis Imperii Romanorum Principum cœperint.

Restat, ut circa initium Dec. Gallum etiam & Volusianum occubuisse, ostendamus. Hoc autem tum ex nummis jam laudatis

(a) Pag. 1004.

(b) Pag. 170.

(c) Pag. 131 Com. & hujus Animad.

(d) Dio Cass. Lib. LXXVIII. pag. 882. D.

(e) Id. eod. Lib. pag. 905. E.

(f) Num. XIV. hujus Animadv. pag. 74. & seqq.

(g) Apud Bandur. Tom. I. num. Imperat. post pag. 544. in Addend. *e schedis Vaillant.*

datis cum Tribunicia eorum Poteſtate IIII., tum ex Auctoribus ſatis ſuperque conſtat. Niſi enim proxime ad IIII. Idus Decembris acceſſiſſent Gallus & Voluſianus, nullo modo haberi poſſet Tribunicia Poteſtas eorum *quarta* in nummis; quippe qui modico tantum, antequam illa renovaretur, tempore cudi diſtrahique potuerunt. Zoſimus autem, quo nullus alius hac in re accuratior, eodem fere tempore Galli Voluſianique, tum etiam Æmiliani interitum, ac Valeriani inaugurationem refert. Gallum, inquit (*a*), cum filio milites necant: quorum quidem in partes Æmiliani tranſitione facta, ſtabilitum illius imperium videbatur. Sed Valeriano (*b*) vires trans Alpes conlectas in Italiam ducente, magnaq; cum hominum multitudine alacriter Æmilianum debellare cogitante, quod hunc ſui potius militari, quam imperatorio more res adgredi cernerent, veluti non idoneum regno de medio tollunt: ac (*c*) Valerianus de communi omnium ſententia ſummum conſequitur imperium. Sane tres ſive quatuor illos menſes, quos Æmiliani imperio adſignant auctores, contrahendo traducendoque ex Pannonia ſive Mœſia in Italiam exercitui inſumere ipſe debuit. Atque ita uno eodemque fere tempore Galli & Æmiliani interitus Valerianiq; inauguratio contigit. In duabus Inſcriptionibus habetur TRIB*unicia* POT*eſtas* III. ſeu TER*tia* Valeriani conjuncta cum ejuſdem CO*nsulatu* II. (*d*). Hinc patet, *Tribuniciam Poteſtatem* cum imperio acceptam ſub finem anni U. C. MVI. mox ab eo iteratam fuiſſe, tertiumque ſumptam die X. Dec. an. MVII., ac tunc poſitas inſcriptiones; nam Kalendis Januarii ſubſequentis Coſ. III. proceſſit Valerianus.

(a) Lib. I. c. 28.
(b) Cap. 29.
(c) Cap. 30.
(d) Tom. I. Inſcript. Murator. p. CCLIII. 5. 6.

Inſinuat heic Clar. Haymius (*e*) *Imperatorem Sulpicium Antoninum Auguſtum*, quem exhibet laureatum & cum Templo nummus *Emiſenorum Coloniæ anno* DLXV. ATTOK. COTAΠ. ANTΩNINOC CE.)(EMICΩN KOΛΩNI. E Ξ Φ: animadvertenſque annum hujus urbis DLXV., deductum cum Æra Seleucidarum ab autumno anni U. C. CCCCXLII., incipere autumno anni U. C. MVI. Chr. CCLIII., & a Zoſimo Antoninum quemdam tyrannum nominari, qui a Gallieno, ubi hic in Italiam advenit, devictus eſt, ab anno U. C. MVI. ad MXII. Antoninum ipſum in Syria regnaſſe concludit. At Viro eruditiſſimo, ſaltem quoad locum, ubi illum regnaſſe tradit, adſentiri non poſſum; nam, ut alia omittam, degebat tunc temporis

(e) Tom. I. Theſ. Brit. in Rom. Imp. pag. 278.

De quodam Antonino tyranno, ejuſque nummo.

in Syria aut vicinis Syriæ & Emisæ regionibus Valerianus, qui vix cepit imperium, ut ei necesse fuerit, teste eodem Zosimo (*a*) in Orientem movere, quo Persis resisteret: ibi vero moratus fere est (*b*), donec a Persis ipsis captus est, non quidem anno U. C. MXII., ut habet Haymius, sed MXIII, ut mox probabimus. Neque vero credi potest passus sub oculis suis tyrannum Valerianus. Hinc subit animum suspicio, Ε Ξ Φ pro ΕΚΦ, hoc est annum DLXV. pro DXXV. haberi, nummumque ad Antoninum Caracallam (*c*), prout etiam fert vultus, pertinere; qua tamen de re, illis, quibus nummum tractare permissum, judicium relinquo, laudato præsertim Auctori, cui nihil detractum suspicione mea velim, maxime quum hic Antoninus *Sulpicii* nomine, Caracallæ insueto, indigitetur.

(a) Lib. I. Hist. cap. 31.
(b) Id. eod. Lib. capp. seqq.
(c) Ut sunt alii apud Noris. Dissert. II. de Epoch. Syr. Mac. cap. II. 3. & Harduin. in num. Popp.

XXXV.

VALERIANUS.



Valerianus (*d*), in Mesopotamia bellum gerens, a Sapore Persarum Rege superatus est; mox etiam captus, apud Parthos ignobili servitute consenuit. De anno, quo captus est, non conveniunt Chronologi. Calvisius (*e*), Pagius (*f*), Basnagius (*g*), Mediobarbus (*h*), & Blanchinius (*i*) id in annum U. C. MXII. Chr. CCLIX. referunt. Panvinius (*k*) vero, Petavius (*l*), Ricciolius (*m*), Tillemontius (*n*), & Bandurius (*o*) in sequentem annum differunt: hisque adjudicanda lis est; nam occurrit (*p*) L. H. *annus octavus* Valeriani, non tantum L. Z. (*q*) *septimus*, aut TR. P. VII. (*r*), ut Pagius cum aliis credidit. Habetur præterea numisma (*s*) Valeriano ab Ægeæis cusum cum ET. ZT. *anno* CCCVII., qui annus ex iis, quæ modo (*t*) diximus, autumno anni U. C. MXIII. Christi CCLX. iniit. Hinc corrigendi etiam Pollio (*u*) & Victor (*x*), qui Valerianum *anno imperii sexto* captum fuisse scribunt. Melius alter Victor, regnasse Gallienum *cum Patre septem annos*, docet. Auctor etiam subscriptionum Legibus additarum nonnisi exeunte anno U. C. MXIII. Chr. CCLX. captum Valerianum sensisse videtur; nam ejus nomen toto anno Legibus subscripsit. Præterea Dionysius Alexandrinus (*y*) loquens de persecutione a Valeriano contra Christianos excitata, hoc Apocalypsis (*z*) dictum

(d) Eutrop. Lib. IX. c. 7.
(e) In Oper. Chr. ad ann. Chr. 259.
(f) In Critic. ad eumd. an. n. 10.
(g) In Ann. Pol. Eccl. ad ann. Chr. 259. n. 3.
(h) Pag. 368.
(i) In Chron. ad Anast. Tom. II. p. CCIX.
(k) Com. in Lib. II. Fast. ad an. U. 1013.
(l) Lib. XI. de Doc. Temp. c. 28. & Lib. XIII.
(m) Lib. IIII. c. 10. n. 11. Chron. Refor.
(n) Not. XI. in Valer.
(o) Not. ad num. Valer. p. 101. & 138.
(p) Apud Bandur. pag. 138.
(q) Ibid. & apud Goltz. p. 112.
(r) Apud Goltz. ibid.
(s) Apud Bandur. pag. 121. & Hard. in Numm. Popp.
(t) Pag. 180.
(u) In Salon. Gallieno c. 3.
(x) De Cæsar.
(y) Apud Euseb. Lib. VII. Hist. Eccles. c. 10.
(z) Cap. XIII. v. 5.

dictum eidem Imp. aptat: *Et data est ei potestas facere menses quadraginta duos*. Capto autem a Persis Valeriano quievisse persecutionem, est in confesso; æstuantem quippe vexationis ignem oppressit Gallienus. Anno U.C. MIX. Chr. CCLVI. nondum turbatam Ecclesiæ pacem, testimonio sunt celebrata Carthagine Concilia, eaque frequentissima, ac lites de Hæreticorum Baptismo constitutæ plurimæ: actumq; legimus (*a*) tertium Cypriani de Hæreticorum Baptismo Concilium *Kalendis Septembris*. Ut vero excitata est persecutio, prima in Africa confessio fuit illa Cypriani; teste Lucii Episcopi & eorum, qui cum ipso versabantur, Confessorum Epistola. (*b*) Cypriani autem confessio secuta est (*c*) *Imperatore Valeriano quartum & Gallieno tertium Coss.*, h. e. anno U. C. MX. Chr. CCLVII. *tertio Kalendarum Septembrium*. Quod si ab hoc circiter tempore quadraginta duos menses, quibus durasse persecutionem testatur Dionysius, numeremus, ad initium anni U. C. MXIIII. Chr. CCLXI. deveniemus; quum paullo ante captus esset a Persis Valerianus. Neque vero nos Pagius (*d*) moratur, aut Basnagius (*e*), qui, ut Valerianum anno Chr. CCLIX. ad mancipii fortunam apud Persas redactum probent, *quadraginta duos menses*, quos persecutioni vindicat Dionysius, ad peculiarem Alexandrinorum vexationem, quæ tamdiu continuata sit, post Valeriani vincula, imperium in Ægypto gerente Macriano, pertinere tradunt: nam, præterquam quod Dionysius de Ecclesiæ persecutione generaliter loquitur, quadraginta duos menses ad Valerianum manifeste refert. *Joanni quoque*, inquit (*f*), *similiter revelatum est. Ait enim: Et datum est illi os loquens magna & impia*. Καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἐξȣσία, καὶ μῆνες τεσσαρακονταδύο· ἀμφότερα δὲ ἐςιν ἐπὶ Οὐαλεριανȣ̃ θαυμάσαι. *Et data est illi potestas, & menses quadraginta duo. Utrumque porro in Valeriano impletum mirari licet*.

(a) Apud Cypr.

(b) Epist. Cypr. LXXIX.

(c) Ejus Act. Proconf.

(d) In Critic. ad an. Chr. 256. n. 18.

(e) In An. Pol. Ecclef. ad ann. Chr. 257. n. 3.

(f) In Epistol. ad Hermammonem apud Euseb. Lib. VII. Hist. Eccles. c. 10.



XXXVI.

XXXVI.
GALLIENUS.

(a) Nu. XXXIV.

De nummis Gallieni cum Tribun. Poteſt.

(b) Apud Goltz. p. 112. & Band. p. 174. & 222.

(c) Apud Bandur. p. 174.



Iximus ſupra (*a*), Gallienum Tribuniciam Poteſtatem anno U. C. MVI. Chr. CCLIII. & primum accepiſſe, & paullo poſt, IIII. nempe Idus Decembris ejuſdem anni iteraſſe. Objici vero poſſunt nummi, qui TR. (*b*) P. IIII. COS. III., tum qui (*c*) TR. P. VII. COS. IIII. præferunt; hujuſmodi enim Tribuniciæ Poteſtates noſtro modo computatæ deſinunt, antequam Conſulatus cum ipſis conjuncti incipiant: nam Tribunicia Poteſtas *quarta* non pertingit niſi uſque ad diem X. Decembris U. C. MIX. Chriſti CCLVI; Conſul autem *tertium* proceſſit Gallienus poſt dies XXI., Kalendis ſcil. Januarii ſequentis. Ita etiam Tribunicia Poteſtas VII. deſiit X. die Decembris U. C. MXII. Chr. CCLVIIII.; Conſulatus autem IIII. iniit Kalendis Januariis anni U. C. MXIIII. Sed evaneſcit omnis difficultas, ſi hujuſmodi Conſulatus deſignati tantum accipiantur. Ita vero rem habuiſſe nummi alii docent: quippe occurrit TR. P. III. COS. III. (*d*), ſeu (*e*) L. Γ. ΥΠΑΤ. ΤΟ Γ., *anno tertio*, *Conſul tertium*; & TR. (*f*) P. XII. COS. V. Tribunicia autem Poteſtas *tertia*, etiamſi aliorum more numeretur, ad Conſulatum *tertium* non pertingit; adeoque deſignatus etiam ab illis explicari debet hujuſmodi Conſulatus. Ita etiam Tribunicia Poteſtas VII. nullo modo ad Conſulatum IIII, niſi deſignatum, pervenit; Tribunicia vero Poteſtas XII. excedit Conſulatum V.; nec, niſi IIII. Idus Decembris renovetur, ſtare cum eo poteſt. Quintum Conſulatum cepit Gallienus anno U. C. MXV. Chr. CCLXII, ſextum anno U. C. MXVII. Chr. CCLXIIII., undecimo Tribuniciæ Poteſtatis anno per alios nondum abſoluto; quare hujuſmodi nummos Faſtis adverſari tradunt (*g*); ita ut Mediobarbus (*h*) Conſulatum Gallieni ſextum in annum U. C. MXVIII. differat. At nec dimovendus ab anno anteriori hujuſmodi Conſulatus, nec Nummi a Faſtis diſſentire cenſendi: quod mox elucebit, ſi Tribunicia Poteſtas Gallieni IIII. Idus Decembris anno U. C. MVI. Chr. CCLIII. iterari incipiat; eademque die ſingulo quoque anno in poſterum renovetur. Rem confirmat TR*ibunicia* P*oteſtas* XVI., quæ in pluribus Gallieni nummis (*i*) habetur:

(d) Apud Goltz. p. 112.
(e) Ibid.
(f) Apud Bandur. pag. 175. & pag. 223. & apud Mediob. p. 376.

(g) Bandur. p. 175. & 223. Tillemont. Not. XI. in Gallien.
(h) Pag. 377.

(i) Apud Mediob. p. 379. & Bandur. pag. 176. & 223. Harduin. in Hiſt. Aug. ad an. Chr. 268.

tur; & in qua, non vero in xv., ut tradit Noriſius (*a*), occiſus eſt. Quum enim paucis diebus ante ix. Kal. Aprilis U. C. mxxi. Chr. cclxviii, qua die Claudium (*b*) Imperatorem factum eſſe nuntiatum eſt Romæ, interfectum fuiſſe Gallienum, conſentiant Petavius, Ricciolius, Calviſius, Mediobarbus, Noriſius, Pagius, Tillemontius, Baſnagius, Bandurius, aliique; nullus tamen eorum, ſextum decimum imperii annum ingreſſum Gallienum, adſerit; nec ſane adſerere poteſt. Reſtat igitur, ut iiii. Idus Decembris Tribuniciam Poteſtatem multiplicaverit. Pagius (*c*), de more nummos Gallieni cum tr. p. xvi. percuſſos fuiſſe in aliqua urbe, ubi mors ejus nondum innotuerit, eſt auctor, eo nixus fundamento, quod menſe circiter Majo anni U. C. mvi. Chr. ccliii. ſuſceperit imperium. At neutrum perſuadetur; quippe nec menſe Majo, ſed circa Decembris initium Gallienus adſcitus eſt imperii conlega; nec proxime acceſſit ad ſextum decimum imperii annum, ſi menſe Martio U. C. mxxi. Chr. cclxviii. occiſus eſt; adeoque ignorari tanto tempore mors ejus non potuit.

(a) Cap. 5. de Vot. Decen.
(b) Poll. in Claud. c. 4.
(c) In Crit. ad an. Chr. 268. n. 3. & 4.

XXXVII.

POSTUMUS.



CApto a Perſis Valeriano, primus omnium Poſtumus, qui forte Barbaris per Galliam præſidebat, imperium ereptum iviſſe dicitur a Victore (*d*). *Caſſium Latienum* nominavimus (*e*) cum aliis Poſtumum; at poſtea occurrit Inſcriptio (*f*), in qua dicitur M. *Caſſianius Latinius* Poſtumus. Saloninum (*g*) filium ſuum eidem (*h*) Gallienus in Gallia poſitum crediderat, quaſi cuſtodi vitæ, & morum & actuum imperialium inſtitutori. Sed, quantum plerique adſerunt, [quod ejus non convenit moribus], poſtea fidem fregit, & occiſo Salonino ſumpſit imperium. *Ut autem verius*, [ſubdit Pollio], *pleriq; tradiderunt, quum Galli vehementiſſime Gallienum odiſſent, puerum autem apud ſe imperare, ferre non poſſent, eum, qui commiſſum regebat imperium, Imperatorem appellarunt, miſſiſque militibus adoleſcentem interfecerunt.* Factum id an. U. C. mxii. Chr. cclviiii. auctor eſt Mediobarbus (*i*): Pagius (*k*) vero, Tillemontius (*l*), & Baſnagius (*m*) ad annum inſequentem referunt; ita tamen, ut Pagius

(d) De Cæſar.
(e) In Com. pag. 188.
(f) Apud Murat. pag. CDLX. 6.
(g) Pollio in Poſtumo.
(h) Non Poſtumo, ſed Silvano creditum ſcribit Zoſimus Lib. I. c. 41.
(i) Pag. 391.
(k) In Crit. ad an. Chr. 260. n. 3. & ſeqq.
(l) Not. II. in Gall.
(m) In Ann. Pol. Eccl. ad an. Chr. 260. n. 7.

gius post mensem Majum imperium suscepisse Postumum doceat, exeunte anno Tillemontius. At Panvinius (*a*), Calvisius (*b*), & Bandurius (*c*) idipsum in annum U. C. MXIIII. Chr. CCLXI. differunt. Pagius (*d*) quoque & Mediobarbus (*e*) in eo ab aliis dissentiunt, quod ipsi quidem inchoato decimo imperii anno sublatum Postumum tradant, reliqui (*f*) vero septennii spatio inclusum velint ejus imperium. Quin variant in hoc etiam veteres. *Per annos* VII. *Postumum imperasse*, auctor est (*g*) Trebellius Pollio. Eutropius (*h*) vero *per annos decem imperasse* tradit; qua in re adstipulatorem habet Orosium (*i*). Basnagius (*k*) quidem post Bucherium (*l*) & Tillemontium (*m*), cur Postumo annos *decem* vindicarit Eutropius & secundum Eutropium Orosius, rationem hanc esse potuisse, docet, quod decennio Gallis præfuit, sed duplici titulo, quem non satis accurate distinxerint; primum Præfecti nomine, quo ad libertatem Valerianus retinuit, quæ administratio triennio perduravit, ad usque annum CCLX, quo rebellavit, extincto filio Gallieni, Salonino Cæsare. At conjecturam hanc explodunt nummi (*n*); utpote qui TR. P. X. præferunt: Tribunicia enim Potestas Præfecturæ non convenit. Hinc Tillemontius (*o*) in suspicionem erroris ac falsitatis hujusmodi nummos adducere conatur; neque enim alio modo vim eorum declinari posse animadvertit. Sed nequaquam id arridet; nummi quippe nullo falsitatis indicio laborant. Quod non diffitetur Bandurius (*p*); quamvis, vel Eutropii vel nummorum sententia cum serie rerum illa ætate gestarum an componi possit, nesciat: nam, quod Postumi cædem Pagius in annum Chr. CCLXIX. differt, in eo Scriptores omnes sibi adversari non vidisse tradit, qui non hunc solum sed Victorinos quoque & Marium Gallieno imperante periisse, planissime, si ei credimus, testantur: quod argumenti genus etiam Basnagius (*q*) urget. At nos Gallieno Postumum superfuisse, ex Zosimo & Zonara deducimus. Quippe Zosimus (*r*) paullo, antequam occisus sit Gallienus, Aurelianum, ducem omnium Gallieni copiarum equestrium, ἐν Μεδιολάνῳ τῇ πόλει τὴν ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν πάροδον Ποςούμου τεταγμένον παραφυλάττειν, *qui ad urbem Mediolanum Postumi transitum in Italiam observare jussus fuerat*, res novas molitum, imperiique summam sibi pollicitum esse scribit. Zonaras vero refert, Gallieno interfecto successisse Claudium; hoc vero

(a) Com. in Lib. II. Fast. ad ann. U. 1014.
(b) In Op. Chr. ad an. Chr. 261.
(c) In Vit. Postumi p. 283.
(d) Ad ann. Chr. 269. n. 4.
(e) Pag. 395.
(f) Basnag. ad an. Chr. 260. n. 7. Panvin. ad ann. U. 1014. Tillemont. Not. II. in Gallien. Bandur. pag. 283. in Vita Postumi.
(g) In Gallieno cap. 4. & in Postumo.
(h) Lib. IX. c. 9.
(i) Lib. VII. c. 22.
(k) In Ann. Pol. Eccl. ad an. Chr. 260. n. 7.
(l) Belg. Lib. VI. c. 5.
(m) Not. II. in Gallien.
(n) Apud Mediob. p. 395. Harduin. ad an. Chr. 270. & Bandur. pag. 294. & 310. Pagium ad an. Chr. 269. n. 4.
(o) Not. II. in Gallien.
(p) In Vit. Postum. pag. 284.
(q) Ad ann. Chr. 260. n. 7.
(r) Lib. I. c. 44.

vero imperante, τοῦ μέντοι Ποστούμου τυραννοῦντος ἔτι (*a*), *Poſtumum adhuc tyrannidem obtinuiſſe*. Hinc Claudius, *bellum Poſtumicum*, inquit (*b*), *mea intereſt*, *barbaricum Reip.*, *cujus in primis habenda eſt ratio*. Gallieno itaque, qui anno U. C. MXXI. Chr. CCLXVIII. interfectus eſt, ſupervixit Poſtumus, Zonara Zoſimoque teſtibus. Hoc autem confirmant nummi; quippe Tribunicia Poteſtas *decima*, qua inſigniti ſunt, non ante Gallieni mortem incipere potuit.

(a) Lib. XII. Annal. cap. 26. pag. 635.

(b) Apud eumd. ibid.

Trib. Pot. X. Poſtumi, titulusq; Imp. X. explicantur.

Quod ſi aliquis poſtulet, ex quo tempore deducenda ſit Poſtumi Tribunicia Poteſtas, quove finienda; reſpondeo, intra annos U. C. MXIIII. & MXXIII. includendam eſſe; nam circa finem anni U. C. MXIII, qui eſt Chr. CCLX, ut probavimus, mancipii fortunam ſubiit Valerianus; nec niſi poſthac rebellaſſe Poſtumum, conſentiunt Scriptores. Trebellius autem Pollio Tyrannorum, inter quos refert (*c*) Poſtumum, exordia *Gallieno* (*d*) *& Voluſiano Coſs.* anni U. C. MXIIII. Chr. CCLXI. conlocat. Rebellavit itaque Poſtumus, maxime ſi, ut Victor (*e*) ſcribit, *primus omnium* fuit, hoc anno, Tribuniciamque Poteſtatem tunc primum accepit, ita tamen ut IV. Idus Decembris ejuſdem anni, ſicque in poſterum renovaverit. Quarto propterea Idus Decembris anni U. C. MXXII. Chr. CCLXIX. Tribuniciam Poteſtatem *decimam* auſpicatus, eamdem non abſolvit, ſed ſive ſub exitum ejus anni, ſive potius initio ſequentis, *quum* (*f*) *ſe graviſſime regeret*, *more illo*, *quo Galli novarum rerum ſemper ſunt cupidi*, *Lolliano agente*, *interemptus eſt*. Tillemontius, qui in Tribunicia Poteſtate VII, h. e. anno U. C. MXX. Chr. CCLXVII. mortuum credit Poſtumum, quum animadvertiſſet, eamdem TR*ibuniciam* POT*eſtatem* VII. cum CO*nſulatu* III. conjungi, & adhuc CO*nſulatum* IIII. Poſtumi occurrere, cœptam ſcribit (*g*) Tribuniciam Poteſtatem VII. ſub exitum anni U. C. MXIX. Chr. CCLXVI, initumque proximis Kalendis Januariis Conſulatum quartum. At vero Conſulatum quintum, quem tria apud Mediobarbum (*h*) exhibent numiſmata, nulla ſe poſſe ratione tueri ſubdit, quemadmodum nec titulum IMP*eratoris* X., qui in uno ex iiſdem numiſmatibus, & altero *Conſulatum* IIII. referente legitur. Bucherius (*i*) quippe nullum cum *Conſulatu quinto* numiſma Poſtumi vidit, quamvis multa ejuſdem numiſmata tractaverit. Nec titulum *Imperatoris* ob victorias in aliis Poſtumi ceterorumque a Caracalla ad Aurelianum Auguſtorum nummis

(c) In Gallieno c. 4. & in XXX. Tyran. c. 3.

(d) In Vit. Gallieni c. 1.

(e) De Cæſar.

(f) Pollio in Vita.

(g) Not. III. in Gallien.

(h) Pag. 395.

(i) De Belg. Lib. VI. c. 9.

Tillemontius ipſe obſervaſſe ſe dicit. At, quod Bucherius ac Tillemontius non vidit, noſtris datum eſt videre temporibus; nam præter deſcriptos a Mediobarbo nummos Poſtumi cum COS. V., plures exhibet modo Cl. Bandurius (*a*), & in his aliquot (*b*) titulo etiam IMP. X. inſignitos: quin & IMP. V. (*c*) Poſtumus dicitur jam tum in co*nsulatu* III. Hinc paſſim in ejus nummis VICTORIA AVG*uſti*, titulusque (*d*) aliquando GERMANICI MAX*imi*; quippe *ſubmotis* (*e*) *omnibus Germanicis gentibus, Romanum in priſtinam ſecuritatem revocavit imperium*: nec ſolum a Germanis *Gallias*, ſed & *ab omnibus* (*f*) *circumfluentibus barbaris validiſſime vindicavit*: quare nil mirum, ſi ob victorias *Imperatoris* titulum toties uſurpavit. Tenenda itaque in Poſtumo & Tribunicia Poteſtas X, & Conſulatus V, & titulus Imperatoris X; atque hæc omnia iis objicienda, qui annos tantum ſeptem regnaſſe tradunt Poſtumum. At de his ſatis: redeamus nunc ad eos, a quibus digreſſi ſumus, quique Romæ regnarunt, Imperatores.

(a) In num. Impp. pag. 290. Tomi I. & pag. 292. 294. 306. 309. 310.
(b) Pag. 292. & 310.
(c) Pag. 288. & apud Harduin. in Hiſt. Aug. ad an. Chr. 265.
(d) Apud Fabrett. pag. 686. & Hard. in Hiſt. Aug.
(e) Pollio in Vit. Poſt.
(f) Id. in Gallieno cap. 4.

XXXIIX.

CLAUDIUS.



OCciſo Gallieno (*g*) Claudius accepit imperium, quod Romæ *nuntiatum* fuiſſe *nono Kalendas Aprilis*, auctor eſt Trebellius (*h*) Pollio. Hinc natalem imperii Claudii diem fuiſſe XII. Kal. Aprilis, elicit Panvinius (*i*); quem tamen errare & a Pollione diſſidere ſcribit Ricciolius (*k*), non animadvertens, Pollionem de nuntio imperii a Claudio ſuſcepti Romam adlato, Panvinium vero de die, quo apud Mediolanum renuntiatus eſt Imperator, loqui. Quapropter ipſe etiam Ricciolius (*l*) vel die XXIIII. Martii, vel paullo ante, imperium iniiſſe ſcribit Claudium. Conveniunt itaque Viri docti, Claudium a Senatu Imperatorem Auguſtumq; dictum IX. *Kal. Aprilis* anno U. C. MXXI. Chr. CCLXIIX., quum paucis ante diebus acclamatus a militibus fuiſſet. Diſconveniunt tamen in adſignando imperii tempore, variantibus etiam antiquis. Regnaſſe Claudium anno uno, auctor eſt Syncellus (*m*). Menſes IX. addunt Euſebius (*n*) & Nicephorus (*o*). Eutropius (*p*) *intra biennium* mortuum exhibet. Alibi (*q*) Euſebius, & Chronicon Alexandrinum (*r*) cum

(g) Pollio in Gallieno c. 15.
(h) In Claud. c. 4.
(i) Com. in Lib. II. Faſt. ad ann. U. 1021.
(k) Lib. IIII. c. 10. n. 12. Chron. Ref.
(l) Ibid.
(m) In Chron.
(n) In Chron.
(o) In Chron.
(p) Lib. IX. c. 11.
(q) In Hiſt. Eccl. Lib. VII. c. 28.
(r) Suo loco.

cum juniore Victore biennium imperii adſignant. Accedit Porphyrius, Claudio coævus, qui ſcribit (*a*), Plotinum *egiſſe annos ſex & ſexaginta*, δευτέρυ ἔτους πληρυμένυ, *quum compleretur alter annus* Claudii. *Secundum* Claudii Imp. *annum jam peractum* interpretantur Noriſius (*b*), Ricciolius (*c*), Baſnagius (*d*), & alii. Demum narrat Pollio (*e*), quod, quum in Apennino de ſe conſuleret Claudius, reſponſum hujuſmodi accepit: *Tertia dum Latio regnantem viderit æſtas*. Nos non curamus oraculum; at vero *tertiam* in imperio egiſſe Claudium *æſtatem*, perſuaſum Pollioni inde animadvertimus. Inter recentiores autem Panvinius (*f*), imperii biennio nondum completo, deceſſiſſe ſcribit Claudium; ita quoque Petavius (*g*). Calviſius (*h*) etiam, die XXI. Martii anno U. C. MXXI. Chr. CCLXVIII. iniiſſe imperium, peſte vero abſumptum die V. Februarii anno U. C. MXXIII. Chr. CCLXX. ſtatuit. Ricciolius (*i*) autem obiiſſe tradit poſt diem XXIIII. Martii ejuſdem anni. Sed obſervavit Noriſius (*k*), in Codice Juſtinianeo legem haberi (*l*), *ſecundam* ſc. *de diverſ. Reſcript.*, in cujus titulo notatur: *Imp. Claudius Aug. Priſco*; & ſignatur: *Dat.* VII. *Kal. Novembris Antiochiano & Orphito Coſs.* Quare regnaſſe Claudium annos duos, menſeſque VII. inde deduxit: idque facile perſuaſit Pagio (*m*), atque Baſnagio (*n*), maxime quum in vetuſto apud Gruterum (*o*) ſaxo inſcribatur TRIB. POT. III. COS. II.; & nummus æreus medii moduli in Regia Gallorum Gaza adſervetur (*p*), in quo legitur: ATT. K. ΚΛΑΥΔΙΟΣ CEB. id eſt, *Imperator Cæſar Claudius Auguſtus*; cernitur caput Claudii laureatum: in poſtica L. Γ. id eſt, *anno tertio*. Novem alios æreos nummos cum L. Γ. *anno tertio* deſcribit Bandurius (*q*), ac circa menſem Novembrem anni Chr. CCLXX. anno imperii tertio Claudium morte præventum fuiſſe (*r*) tradit. At refert etiam nummum cum L. Δ. *anno quarto*: nec tamen aliquid de eo dicit. Alius nummus Claudii cum L. Δ. *anno* ejuſdem *quarto* eſt in Muſeo Arigonio (*s*). Nos vero animadvertimus, hæc numiſmata ex aliorum computo, citius Martio aut Aprili U. C. MXXIIII. Chr. CCLXXI. cudi non potuiſſe; ſed tunc non erat in vivis Claudius, quum a pluribus menſibus obiiſſet. Alia itaq; ineunda computandi hujuſmodi annos ratio: nec ulla commodior occurrit, niſi, quæ a nobis propoſita eſt, quæque die IIII. Idus Decembris, quemadmodum Tribuniciam Poteſtatem, ita

(a) In Vita Plotini.
(b) De Vot. Dec. c. 6.
(c) De Epoch. Rom. c. 10. n. 12. Chr. Ref.
(d) In Ann. Pol. Eccl. ad an. Chr. 270. n. 2.
(e) In Cl. c. 10.
(f) Com. in Lib. II. Faſt. ad an. U. 1021.
(g) Lib. XI. de Doctr. Temp. c. 28.
(h) In Op. Chron. ad ann. Chr. 268. & 270.
(i) Lib. IIII. c. 10. num. 12. Chr. Ref.
(k) De Vot. Dec. c. 6.
(l) Lib. I. Tit. 23. L. 2.
(m) In Crit. ad an. Chr. 270. n. 3.
(n) In Ann. Pol. Eccl. ad an. Chr. 268. n. 6.
(o) Pag. CCLXXVI. n. 2.
(p) Vid. Pagium in Crit. ad ann. Chr. 270. n. 3.
(q) In num. Impp. pag. 337. 338. & 353.
(r) Pag. 330. in Vit. Claud.
(s) Tab. XXIX. num. Alexandr.

eoſdem annos, quocumque tempore ante cœperint, auſpicatur & renovat. Claudius itaque, qui menſe Martio U. C. MXXI. Chr. CCLXVIII. imperium iniit cum Tribunicia Poteſtate, hanc cum annis imperii IIII. Idus Decembris ejuſdem anni iteravit, renovavitque eadem die ſequentis anni. Quartam vero ſi non iniit, ad eam proxime ſaltem acceſſit, ita ut nummi cum L. Δ. *anno quarto*, qui anni correſpondent, ut toties diximus, Tribuniciæ Poteſtati, parari in proximum diem IV. Idus Decembris anni U. C. MXXIII. Chr. CCLXX., aut etiam poſt eam diem in Ægypto, antequam ejuſdem mortis perveniret nuntium, cudi potuerint. Dici etiam, ac forte verius, poteſt die x. Dec. hujus anni adhuc in vivis fuiſſe Claudium, ac jam deſignaſſe ſucceſſorem, & Conlegam adſumpſiſſe Aurelianum; qua de re mox.

XXXIX.

AURELIANUS.

UT primum Claudii mors innotuit, a Senatu Imperatorem electum eſſe Quintillum, a militibus vero Aurelianum (*a*) communis hiſtoricorum fert opinio. At non defuerunt, qui (*b*) dicerent a Claudio apud Sirmium ægrotante *Imperatorem renuntiatum fuiſſe Aurelianum*, καὶ αὐτίκα βασιλέα ἀνεῖπεν αὐτόν: quo pacto circa initium Dec. ſimul uterque imperaſſet; quod nummis congruit. Porro Quintillus, ἑπτακαίδεκα μόνας ἡμέρας ὀνειρώξας (*c*), *per* XVII. *dumtaxat dies quaſi ſomniato imperio*, exceſſit e vita, teſtibus Zonara, atq; Pollione (*d*). *Die vigeſimo imperii ſui periiſſe*, Vopiſcus (*e*) eſt auctor. Hinc error credi poteſt apud Zoſimum (*f*), ubi legitur ὀλίγους τε βιώσαντος μῆνας, *paucos menſes vixiſſe* in imperio Quintillum, dieſq; h. e. ἡμέρας pro *menſibus* reponendos eſſe. Aureliani itaque initium morti Claudii ſeu etiam Quintilli ſubtexunt noſtrorum temporum Scriptores, eaque parte anni U. C. MXXIII. Chr. CCLXX. conlocant, qua illos deſiiſſe credunt. Quare Panvinius (*g*) imperii Aureliani natalem conſtituit diem x. Kalendas Martias. Calviſius (*h*) mortuum tradit Claudium die v. Februarii, dieque poſt XVII. Quintillum; hinc Aurelianum ſucceſſiſſe ſcribit. Ricciolius (*i*) poſt diem XXIIII. Martii ſubelectum ab exercitu

(a) Vopiſcus in Aurel. c. 17.

(b) Zonar. Ann. Lib. XII. c. 26. p. 636.

(c) Id. Zonaras ibidem.

(d) In Claud. c. 12.

(e) In Aurel. c. 37.

(f) Lib. I. c. 52.

(g) Com. in Lib. II. Faſt. ad an. U. 1023.

(h) In Op. Chr. ad an. Chr. 270.

(i) Lib. IIII. de Lat. Ep. &c. c. 10. n. 13. Chr. Ref.

Aurelia-

Aurelianum, confirmatumque poſtea a Senatu docet. Qui (*a*) vero obitum Claudii menſe Octobri, vel circa Novembrem ſtatuunt, illuc referunt etiam Aureliani initium: at Petavius (*b*) ab ineunte anno ſuperiori U. C. MXXII. Chriſti CCLXVIIII. regni Aureliani primordia deducit. Neque vero minus variant in adſignando ſtatuendoque mortis ejuſdem tempore. Nam ipſe Petavius (*c*) Aureliano ſex annos imperii, minus paucis diebus imputat, eumque ineunte anno U.C. MXXVIII. Chr. CCLXXV. mortuum tradit. Panvinius (*d*) annos fere quinque regnum obtinuiſſe, occiſum vero VII. Kal. Februarii ejuſdem anni, docet. Calviſius (*e*) annos imperii ſex, minus paucis diebus, Aureliano tribuit, occiſumque die XXIX. Januarii ſtatuit. Ricciolius (*f*) vero, quamvis annos quinque & menſes ſex imperii Aureliano adſignet, adhuc tamen Januario menſe interfectum tradit; atque ſex reliquos menſes ad interregnum poſt mortem Aureliani refert. Noriſius (*g*) Idacium laudat, ubi (*h*) ſcribit: *Aureliano* III. & *Marcellino Coſs. occiſus eſt Aurelianus Imperator Cænophrurio*, & *levatus eſt Tacitus Romæ*. Annum U. C. MXXVIII. Chriſti CCLXXV. notant hi Conſules. Porro nuntium mortis Aureliani *tertio Nonas Februarias* Romam adlatum ſcribit Vopiſcus (*i*). Quum vero prope Heracleam Thraciæ interemptus fuerit, menſe Januario illum interiiſſe ſubdit Noriſius, adeoque vixiſſe in imperio annos quatuor ac menſes circiter tres. Inde octo menſium interregnum fuiſſe, exercitibus novi Principis deſignationem arbitrio Senatus Populique Romani deferentibus, ac viciſſim Senatu eam poteſtatem militi faciente; denique a Senatu ſubrogatum fuiſſe Tacitum VII. Kal. Octobris ex Vopiſco docet. Pagius (*k*), imperaſſe Aurelianum annos quatuor ac menſes circiter quatuor, tradit; legendumque ait apud Vopiſcum (*l*), ubi litteræ ab exercitu poſt ejus mortem ad Senatum ſcriptæ recitantur, *die tertio Nonas Aprilis*, loco *die tertio Nonas Februarias*; atque hoc pacto Aureliani cædem circa diem viceſimum menſis Martii patratam fuiſſe ſubdit. Conſtare quippe tradit, Tacitum Imperatorem renuntiatum VII. *Kal. Octobris* ex Vopiſco (*m*), poſtquam interregnum, quod poſt Aureliani interitum contigit, ſex tantum menſes integros aut ſeptem utrimq; incompletos duravit. Quod ſi Aurelianus exeunte menſe Januario trucidatus fuiſſet, non per menſes ſex aut per menſes ſeptem, ſed per menſes

octo

(a) Noriſ., Pag., Tillem., Baſnagius, ac Bandur. cit. loc.
(b) Lib. XI. de Doctr. Temp. c. 28.
(c) Ibid.
(d) Cit. loco.
(e) In Opere Chr. ad ann. Chr. 275.
(f) Chr. Ref. Lib. IIII. c. 10. n. 13.
(g) De Vot. Dec. c. 6.
(h) In Chron.
(i) In Aurel. c. 41.
(k) In Crit. ad an. Chr. 275. n. 2. 3. 4.
(l) In Aurel. c. 41.
(m) In Tacit. c. 3. & 7.

octo eosque integros imperium sine Imperatore fuisset; quum tamen Vopiscus *(a)* Victoresque sex tantum aut septem mensibus interregnum hoc definiant. Pagium sequuntur Basnagius *(b)* ac Bandurius *(c)*; nec dissentit Tillemontius *(d)*, quippe qui apud Vopiscum aut *tertio Nonas Aprilis*, aut *tertio Nonas Martias* legendum putat. Quum autem *Tribunicia Potestas* VII. Aureliani occurrat in nummo apud Occonem, nihilominus Historicorum concordiam, qui sex annos haud integros Aureliano imputant, pluris esse apud se, scribit Petavius *(e)*, quam inscriptionis illius fidem, quæ sive cusoris alucinatione, sive exceptoris ipsius mendosa videri potest. Mediobarbus *(f)* TR. P. V. pro VII. legit; notatque Occonem sic descripsisse: P. M. TR. P. VII. COS. III. P. P.; sed aut in descriptione Occoni transmissa erratum subdit, aut a Typographo minus diligenter adnotatum; quia certissime ex ipso Mediobarbo VI. TR*ibuniciam* P*otestatem* non adtigit Aurelianus, unde tanto minus VII. Id hausit a Norisio, qui ad eum scripserat, *(g)* eumdem nummum cum TR. P. VII. procul dubio confictum apparere ex Inscriptione Sponii, in qua Probus exhibetur Imperator anno CCLXXVII: neq;ta men circa hoc se aliquid aliud habere subdit Norisius præter id, quod citato cap. 6. de Vot.x. tradidit. Heic autem ejusdem quidem nummi meminit, sibique objicit Tribuniciam in eo Potestatem *septimam*; at nihil ad eam respondet. Quod animadvertens Basnagius *(h)*, nullam potius ejusdem Tribuniciæ Potestatis VII. mentionem injicere, satius duxit. Pagius *(i)* vero eamdem epigraphen nummis Gallieni convenire, & errore Monetariorum nummo Aureliani insculptam esse tradit. Begerus in Thesauro numismatum Serenissimi Electoris Palatini alium Aureliani nummum produxit in postica inscriptum P. M. TR. VII. COS. II. Sed hunc priori, ab Occone relato, adversari subdit Pagius, quum Consulatum tantum secundum exhibeat; & hanc aversam partem ex nummo Gordiani junioris, in cujus numismatis *septima* Tribunicia Potestas cum Consulatu *secundo* jungitur, Monetarii errore mutuatam convinci docet. Bandurius *(k)* describit nummum Aureliani ex Museo Regio Etruriæ inscriptum: P. M. TR. P. VI. COS. II.; hinc duos subdit, alterum Thesauri Brandenburgici cum epigraphe P. M. TR. P. VII. COS. II., alterum Occonis, ut supra, inscriptum P. M. TR. P. VII. COS. III. Mediobarbum autem, ubi in hoc TR. P. V. pro TR. P. VII. legendum

(a) In Aurel. c. 40. & in Tacit. c. 2. Vict. de Cæs. & alter. Vict.
(b) In Ann. Pol. Eccl. ad an. Chr. 270. n. 6. & 275. n. 5.
(c) In Vit. Aurel. ad num. Impp. p. 364.
(d) Not. XII. in Aurel.
(e) Lib. XI. de Doctr. Temp. c. 28.
(f) Pag. 407.
(g) Epistol. ad Mediobarb. num. XXIV. Tom. V. Oper. Noris. Edit. Mant. an. 1741. pag. 72.
(h) In Ann. Pol. Eccl.
(i) In Crit. ad an. Chr. 275. n. 2.
(k) Pag. 366.

gendum existimavit, hac in re minus honorifice de Occonis industria sensisse scribit: ac verius ei videtur in Occonis nummo & in Brandenburgico TR. P. IIII., in Regio Etruriæ TR. P. III. scriptum fuisse: ita enim, inquit, omnia recte constabunt, suusq; eruditis Antiquariis, a quibus horumce rarissimorum nummorum descriptionem accepimus, honos servabitur; quum facillimus sit in VI. & III., VII. & IIII. dignoscendis oculorum lapsus. Demum Tillemontius (*a*) Tribuniciam Potestatem VI. ac VII. Aureliani cusorum sive exceptorum errori tribuendam docet; & in nummo apud Goltzium (*b*) L. ς. pro L. Γ., hoc est, *annum sextum* pro *tertio* positum existimat.

(a) Not. III. in Aurel.

(b) Pag. 119.

Verum tres alios nummos profert Bandurius (*c*) similiter inscriptos L. ς., *anno sexto*; inde etiam quatuor Severinæ (*d*) Aureliani uxoris cum eodem anno, tum etiam unum (*e*) L. Z. *anno septimo* insignitum. Ego quoque vidi contrectavique in Museo Arigonio (*f*) unum Aureliani cum L. ς. anno sexto, ac tres alios Severinæ nummos inscriptos ETOYC Z, *anno septimo* Aureliani; adeo ut de hoc anno, deque Tribunicia Potestate ejusdem *septima* dubitari jure non possit. Neque vero laudati Viri Cl. nummos tantum, sed & Historicos contrarios habent: conveniunt enim hi in adsignando sexennio, haud integro tamen Aureliani imperio. Eusebius (*g*), Chronicon Alex., & Cedrenus (*h*) ἔτη ς', *annos sex* tribuunt; at vero alibi se explicat Eusebius (*i*), annosque quinque cum dimidio adsignat. *Imperavit*, inquit Vopiscus (*k*), *annis sex, minus paucis diebus*. Eutropius (*l*), Victor (*m*), Cassiodorus (*n*), Orosius (*o*), & Jornandes (*p*), regnasse Aurelianum *annos quinque, menses sex*, consentiunt. Zonaras (*q*) quoque sublatum ait, ἓξ ἐνιαυτοὺς ἠνυκότα παρὰ τῇ βασιλείᾳ, μηνῶν ὀλίγων ἐνδέοντας, *quum imperasset annos sex, paucis demptis mensibus*. Quinquennium itaque excessit Aurelianus. Quod si ab ineunte Novembri, seu potius circa initium Dec., ut nostra fert opinio, anni U. C. MXXIII. Christi CCLXX. quinquennium istud incipiatur, cadet in Decembrem an. U. C. MXXVIII. Chr. CCLXXV; ita ut citius hoc tempore conlocari Aureliani mors nequeat. Atque hoc modo Tribunicia quoque Potestas ejusdem *septima*, annusque in nummis Ægyptiis *septimus* congruet. Si enim Tribunicia Potestas ab Aureliano primum accepta circa Decembris U. C. MXXIII. initium, mox die IIII. Idus ejusdem mensis iteretur, eademque die subsecutis annis

(c) Pag. 387.

(d) Pag. 393.

(e) Ibid.

(f) Venetiis, & exhibentur Tab. XXIX. & XXX. Num. Alexandr. ejusd. Mus.

(g) In Hist. Eccl. Lib. VII. c. 30.

(h) In comp. Hist.

(i) In Chron.

(k) In Vit. c. 37.

(l) Lib. IX. c. 15.

(m) In Epitom.

(n) In Chron.

(o) Lib. VII. c. 23.

(p) Libro I. de Regn. succ.

(q) Lib. XII. Ann. c. 27. p. 637.

multiplicetur, die IV. Idus Decembris anni U. C. MXXVIII. incipiet Tribunicia Poteſtas *ſeptima*, annuſque imperii apud Ægyptios *ſeptimus*.

(a) Vopiſc. in Vit. Tacit. c. 3.

(b) In Tacit. c. 2.

Semeſtre interregni apud Vopiſcum.

(c) De Cæſar.

(d) In Epitom.

Quod ſi quis objiciat Taciti *die* (*a*) VII. *Kal. Octobris* hujus anni electionem, & ante ipſam interregni ſemeſtre, Vopiſcum, qui hæc tradit, nos minime morari ſciat. Auctor quidem ipſe eſt (*b*), interfecto Aureliano cœptum quæri, quis fieri deberet ex omnibus Princeps; exercitumque, qui creare Imperatorem raptim ſolebat, ad Senatum litteras miſiſſe, ut ex ordine ſuo Principem legerent; at vero Senatum, quum ſciret lectos a ſe principes militibus non placere, rem ad hos retuliſſe; dumq; id ſæpius fit, *ſextum peractum eſſe menſem*; poſtremoque Tacitum a Senatu *die ſeptimo Kal. Octobris* creatum Imperatorem. Qua in re Vopiſcum Victor uterque ſecutus eſt. Alter (*c*) enim, *menſe circiter poſt Aureliani interitum ſexto* Tacitum a Senatu factum Imperatorem, alter (*d*) *ſeptem menſibus interregni ſpeciem eveniſſe* tradit. At nullus alius ex tot tantiſque, quos habemus, hiſtoricis rem hujuſmodi prodit, ejuſve meminit, neutiquam ſane, ſi contigiſſet, prætermittendæ. Nec vero a ceteris tantum hiſtoricis & a nummis, ſed pæne a ſe ipſo diſſentit Vopiſcus. In primis enim tradit (*e*), imperaſſe Aurelianum *annis ſex, minus paucis diebus*: quod imperii tempus interregnum haud ullum admittit; ſicuti nec admittunt anni quinque cum ſex menſibus, quos Aureliano Victor junior adſignat. Secundo nuntium mortis Aureliani Romam jam perlatum ſignificat (*f*) *die tertio Nonas Februarias*; quum apud Cænophrurium (*g*), Manſionem, quæ erat inter Heracleam & Byzantium, interemptus eſſet. Menſe itaque Januario occiſus eſt. Sed tunc parato magno exercitu, *Perſis bellum indixiſſe* Aurelianum, & ex Illyrico contra eos proficiſcentem nobis idem repræſentat Vopiſcus (*h*): quod Januario menſi non videtur congruere. Tertio recuſaſſe novi Imperatoris electionem tum milites tum Senatum, perſuadere conatur; at nemo facile credet, qui hoſpes non ſit in hiſtoria eorum temporum. Quarto electum demum a Senatu Tacitum (*i*) *die* VII. *Kalendas Octobris*, ſexto interregni peracto menſe tradit; *ita* (*k*) *ut per ſex menſes Imperatorem Romanus orbis non habuerit*: quum tamen a Januario ad VII. Kal. Octobris integri octo menſes fluxerint. Præterea auctor eſt ipſe Vopiſcus (*l*), Tacitum jam Imperatorem *Fratri ſuo Floriano*

(e) In Aurel. c. 37.

(f) Cap. 41.

(g) Cap. 35.

(h) Ibid.

(i) In Tacit. c. 3.

(k) In Aurel. cap. 40.

(l) In Tacit. c. 9.

riano Consulatum petiisse a Senatu, *& non impetrasse, idcirco quod jam Senatus omnia nundina suffectorum Consulum clauserat*. At Imperatoris Fratri Consulatus potius ordinarius debebatur; neq; de hac re decrevisse Senatum, sed integram reservasse Imperatori verosimillimum est. Missas quoque tradit Vopiscus (*a*) litteras a Senatu ad provincias, socios, nationesque omnes, quibus significabatur, *in antiquum statum rediisse Remp., ac Senatum Principes legere, immo ipsum Senatum Principem factum, leges a Senatu petendas, Reges barbaros Senatui supplicaturos, pacem ac bella Senatu auctore tractanda*. Quæ sane militum, creandis Imperatoribus adsuetorum, animos plurimum irritassent. Nemo itaque Vopiscum nobis contra nummos aliosque historicos, immo contra se ipsum objiciat: maneatque Aurelianum ad diem IIII. Idus Decembris anni U. C. MXXVIII. Chr. CCLXXV. pervenisse, aut proxime saltem accessisse; ita ut, qui ab eo distabant Romani atque Ægyptii, incomperta adhuc ejus morte, nummos cuderint cum ejus Tribunicia Potestate *septima* annoque imperii *septimo*.

(a) Cap. 12.

Quin ex historicis in mensem Majum sequentis anni produci potest, ac forte debet Aureliani imperium; sex enim supra quinquennium menses ad minus ei tribuunt. Nec contra facit Consulatus a Tacito initus Kalendis Januariis hujus anni; quippe non constat, illum propter imperium initum fuisse; potuitque Tacito adhuc privato demandari. Utut fuerit, Viros Chronologos, qui nostrum numerandi Tribuniciam Potestatem modum non admittunt, semper urgent nummi Tribunicia Potestate *septima* Aureliani, annoque imperii ejusdem *septimo* notati.

XL.

TACITUS.



Uum *sexto* (*b*) *mense*, seu *ducentesima* (*c*) *regni luce* mortuus sit Tacitus, id mense Aprili U. C. MXXIX. Chr. CCLXXVI. contigisse tradunt post Panvinium (*d*), Petavium (*e*), Calvisium (*f*), & Ricciolium (*g*), Norisius (*h*), Pagius (*i*), Tillemontius (*k*), Basnagius (*l*), atque Bandurius (*m*); quippe qui Taciti imperium a die XXV. Septembris anni superioris summo consensu auspicantur. At nos, qui a mense Majo U. C. MXXIX. ejus imperium deduci posse

(b) Vopisc. in Tacit. c. 13.
(c) Vict. de Cæs.
(d) Com. in Lib. II. Fast. ad an. U. 1029.
(e) Libro XI. de Doct. Temp. c. 29.
(f) In Oper. Chr. ad an. Chr. 276.
(g) Lib. IIII. c. 10. n. 15. Chron. Ref.
(h) De Vot. Dec. c. 6.
(i) In Crit. ad an. Chr. 276. n. 6.
(k) Not. I. in Prob.
(l) In Ann. Pol. Ec. ad an. Ch. 276. n. 2.
(m) In Vit. p. 414. To. I. num. Imp.

posse, ac forte etiam debere diximus, alium quoque terminum adsignamus; semestre scilicet imperium Taciti inter Majum & Decembrem hujus anni includentes. Sive igitur *intra*
(a) Lib. IX. c. 16. *sextum mensem*, ut vult Eutropius (*a*), sive *sexto mense*, ut tra-
(b) In Vit. c. 13. dit Vopiscus (*b*), sive etiam *ducentesima regni luce*, ut habet
(c) De Cæsar. Victor (*c*), mortuus sit Tacitus, ineunte Decembri imperium sumere Probus ac Florianus potuerunt, qui non procul
(d) Alter Victor. Tyana seu Tarso (*d*), ubi Tacitus periit, distabant. Hispani vero longius dissiti, quum nonnisi tardius nuntium mortis receperint, columnas illas milliarias, quæ inter Olisipo-
(e) Gruter. pag. CCLXXXVII. n. 1. & 2. nem atq; Emeritam (*e*) visuntur cum nota TRIB*uniciæ* POTESTATIS II, quam inire IV. Idus Decembris debebat Tacitus, scalpere potuerunt. Hoc autem dici potest etiam de die IV. Idus Decembris anni superioris, si tunc imperium sumpsit Tacitus; ut nempe paullo ante acceptam Tribuniciam Potestatem superveniente eodem die iteraverit; indeque *Tribuniciæ Potestatis* II. ab Hispanis inscriptus fuerit. Omnia itaq; constant juxta nostrum computandi Tribuniciam Potestatem modum, quum e contra juxta aliorum sententiam congruere Tribunicia Potestas *secunda* nullo modo possit Tacito.

XLI.

FLORIANUS.



(f) Vopisc. in Vit. Probi c. 10. ABsumpto Tacito (*f*), ac Floriano imperium arripiente, omnes orientales exercitus Probum Imperatorem fecerunt. At *vix* (*g*) *duobus mensibus* imperium tenuit Florianus, & occisus est Tarsi a militibus, qui Probum audierant imperare. Tunc ad Senatum scripsit Pro-
(g) Id. in Flor. c. 1. Vict. de Cæsar.
(h) Vopisc. in Probo c. 11. bus; factumq; *Senatus* (*h*) *Consultum die tertio nonas Februarias*, quo imperium ei confirmatum est, Vopiscus refert. Sed mendum inesse heic in Vopisco, legendumq; *die tertio nonas*
(i) In Crit. ad an. Chr. 276. n. 8. *Jul.* vel *Augustas*, Pagio (*i*), Tillemontio (*k*), atq; Basnagio
(k) Not. II. in Prob. (*l*) persuasit Petavius (*m*). Quum enim inter diem XXV.
(l) In Ann. Pol. Eccl. ad an. Chr. 276. n. 5. Septembris anni U. C. MXXVIII. Christi CCLXXV. & mensem Aprilem sequentis anni imperasse credatur Tacitus, duo aut
(m) Lib. XI. de Doctr. Temp. c. 29. tres, quibus Florianus imperavit, menses ad Julium aut Augustum pertingunt. Hinc Pagius animadvertit, scribere Zo-
(n) Lib. I. c. 73. simum (*n*), Probo ac Floriano ad bellum instructis, κατὰ τὴν

Ταρσόν

Ταρσὸν ἐν τῷ θέρει γινομένου καύματος, *per æſtatem magno quodam æſtu Tarſi exorto*, qui erant in caſtris Floriani, milites diro morbo periiſſe; nec multo poſt Florianum ipſum a ſuis interfectum eſſe: quod Julio menſi congruit. At tanti non eſt Zoſimus, cui contradici non poſſit. Nec mendum ineſſe in Vopiſco, certum eſt; quin dici merito poteſt, ab ineunte Decembri ad Februarium duos illos menſes fluxiſſe, quos imperaſſe Florianum legimus.

XLII.

PROBUS.



Otius itaque orbis Romani imperium Probo & militum & Senatus judicio delatum eſt. Sed *anno imperii ſui quinto* a militibus interemptum fuiſſe, Vopiſcus (*a*) eſt auctor. *Paullo cis ſextum annum* imperaſſe, ſeu non integris ſex annis, Victor (*b*) & Zonaras (*c*) tradunt. *Annos* tamen *ſex* alter Victor, Euſebius (*d*), & Chronicon Paſchale (*e*) tribuunt; menſeſque tres aut quatuor ſupra ſex annos Euſebius (*f*) iterum, Oroſius (*g*), Eutropius (*h*), & Syncellus (*i*) adſignant. Julianus (*k*) demum Imperator, regnaſſe Probum οὐδὲ ὅλοις ἐνιαυτοῖς ἑπτά, *non integris ſeptem annis* ſcribit. Hinc noſtrorum temporum ſcriptores, quod magis placuit, quodve ſuæ Chronologiæ magis congruere animadverterunt, id ex laudatis modo hiſtoricis elegerunt: indeque factum eſt, ut menſe Novembri anni U. C. mxxxv. Chr. cclxxxii. interfectum Probum Calviſius (*l*) poſt Panvinium (*m*) tradat; menſe Octobri Petavius (*n*); Auguſto autem aut etiam Julio Ricciolius (*o*), Pagius (*p*), Bandurius (*q*), atque Baſnagius (*r*). Tillemontius (*s*) vero menſe circiter Julio aut Auguſto, ſiquidem annos ſex & menſes tres aut quatuor, quibus imperavit Probus, a Taciti morte computentur, extinctum docet; aut menſe Novembri, ſi nempe ejuſdem imperium ab eo tempore, quo illud ei a Senatu confirmatum eſt, deducatur (*t*). Nos quoque nobis ipſis aliiſque ſatisfacere, & quidem facile poſſumus. Sex quippe annos imperii Probo adſignare poſſumus, eoſque ab ineunte Decembri U. C. mxxix. Chriſti cclxxvi. ad exeuntem Novembrem anni U. C. mxxxv. Chr. cclxxxii. producere. Quod ſi quis eorum auctoritatem, qui menſes

(a) In Vit. c. 21.
(b) De Cæſar.
(c) Lib. XII. Annal. c. 29. pag. 638.
(d) In Hiſt. Lib. VII. c. 30.
(e) Ad an. 2. Olymp. CCLXIV.
(f) In Chron.
(g) Lib. VII. c. 24.
(h) Lib. IX. c. 17.
(i) In Chron.
(k) In Cæſar.
(l) In Op. Chron.
(m) Com. in Lib. II. Faſt. ad an. U. 1034., qui tamen eſt 1035.
(n) Libro XI. de Doc. Temp. c. 29.
(o) In Chron. Ref. Lib. IIII. c. 10. n. 16.
(p) In Crit. ad an. Chr. 283. n. 2.
(q) In Vit. Prob. & in Not. p. 488.
(r) In Ann. Pol. Eccl. ad an. Chr. 276. n. 3. & 282. 1.
(s) Not. IX. in Prob.
(t) Anno Chriſti 278. initium Probi illigat Scaliger de Emend. Temp. Lib. V. in Probo.

menſes tres aut quatuor ſupra ſex annos Probo tribuunt, ſive etiam Juliani auctoritatem urgeat, qui proxime ad *ſeptennium* acceſſiſſe Probum tradit; Taciti inaugurationem in Decembrem anni U. C. MXXVIII. retrahere poſſumus, qua de re ſupra (*a*), imperiumque Probi ab ineunte Junio anni ſequentis incipere, ac per annos ſex cum dimidio ad Novembrem exeuntem U.C. MXXXV. perducere. Cum ceteris autem in hoc convenimus, quod initium Decembris hujus anni Probus non exceſſerit. Hinc Tribuniciam Poteſtatem annoſque imperii, quos in nummis Ægyptiis videre eſt, ita ante diem IIII. Idus Decembris U. C. MXXIX. auſpicatum eſſe Probum credimus, ut eadem die hujus anni iteraverit, multiplicaveritque ſequentibus. Quare dicitur (*b*) TRIB. POTESTATIS VI. COS. IIII; poſtquam ſcilicet & die IV. Idus Decembris anni U.C. MXXXIII. Chr. CCLXXX. Tribuniciam Poteſtatem *ſextam*, & proximis Kalendis Januariis Conſulatum *quartum* iniit Probus. Quum vero die IV. Idus Decembris hujus anni Tribuniciam Poteſtatem *ſeptimam*, annumque imperii *ſeptimum* ex Ægyptiorum computo auſpicatus ſit, in horum nummis (*c*) cum L. Z. *anno ſeptimo* videtur apud Bandurium, & in Muſeo Arigonio (*d*).

(a) In Tacit.

(b) Apud Noriſ. de Vot. Dec. c. 6. ex Ruperto in obſerv. ad Synopſim Beſoldian. p. 388.

(c) Apud Bandur. pag. 488.

(d) Tab. XXX. Num. Alex.

XLIII.

CARUS, CARINUS, ET NUMERIANUS.



POſt Probum *Carus* (*e*) eſt factus Auguſtus, Narbone natus in Gallia: qui confeſtim Carinum & Numerianum filios Cæſares fecit; *cum quibus regnavit duobus annis*, juxta Eutropium, Euſebium (*f*), Caſſiodorum (*g*), & Victorem (*h*). In circumſcribendo tamen horum etiam imperio diſcordant laudati Viri Clar. aliique harum rerum periti, a quibus producendis abſtinemus, ut propius citiuſque ad finem hujus Animadverſionis, quæ forſan ultra, quam par eſt, jam proceſſit, accedamus. Nos itaque vergente ad finem anno U. C. MXXXV. Chr. CCLXXXII. occiſum Probum, ſuffectumque ei Carum dicimus. Hic ſequenti anno *Sarmatas* (*i*) *ita inter bella patiendo contudit, ut pauciſſimis diebus Pannonias ſecuritate donaverit, occiſis Sarmatarum* XVI. *millibus, captis diverſi ſexus* XX. *millibus*. Romam inde Carum petiiſſe ſuſpicamur, quod, ubi in vulgatis Vopiſci (*k*) legitur: *memora-*

(e) Eutrop. Lib. IX. c. 18.

(f) In Chron.

(g) In Chron.

(h) In Epitom.

(i) Vopiſc. in Caro c. 9.

(k) In Carino c. 19.

memorabile maxime & Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quod Ludos Romanos novis ornatos spectaculis dederunt, in Palatino codice habetur etiam nomen *Cari* hoc modo : *memorabile maxime* CARI, *& Carini, & Numeriani hoc habuit imperium* &c.; ita ut exhibiti imperante *Caro* cum filiis dicantur hi ludi. Quam lectionem Vopiſcus ipſe confirmat; quum paullo poſt ſcribit (*a*) : *Diocletiani dictum fertur, quum ei quidam largitionalis ſuus editionem Cari laudaret, dicens multum placuiſſe principes illos cauſſa ludorum theatralium, ludorumque Circenſium, ergo, inquit, bene riſus eſt imperio ſuo Carus*. Exhibitum tunc temporis & *ludum Sarmaticum*, teſtatur Vopiſcus (*b*); quod a captivis *Sarmatis* Romam a Caro perductis actum credi poteſt. Quin & de illis triumphatum vero propius eſt; quippe nummos habemus (*c*) Numeriani cum quadrigis triumphalibus, in quibus duo Imperatores, & epigraphe TRIVMPHVS QVADORVM, qui & Sarmatæ dicuntur. Duo autem illi Imperatores Carus & Numerianus eſſe videntur: etenim *Carinum* (*d*) *ad Gallias tuendas* Carus *deſtinarat*. Nec ſane alius locus eſt huic triumpho hiſque nummis; qui tamen etiam poſterius cudi potuerunt Numeriano in memoriam quondam acti cum patre triumphi, ut in aliis Imperatoribus factum videmus. Hoc autem innuimus, ne cui ſcrupulum moveat partis anticæ eorum nummorum epigraphe, qua dicitur IMP. C. NVMERIANVS P. F. AVG. COS., quæque crucem fixit Bandurio (*e*), quum ſpectet ad annum Chr. CCLXXXIIII. Hoc itaq; anno *ingenti* (*f*) *adparatu contra Perſas profectus* cum Numeriano Carus, *nullo ſibi occurrente Meſopotamiam cepit, & Cteſiphontem uſque pervenit; occupatiſque Perſis domeſtica ſeditione, Imperatoris Perſici nomen meruit. Verum, quum avidus gloriæ, longius progreſſus eſſet, ut alii dicunt, morbo, ut plures, fulmine interemptus eſt*; & inter Divos relatus : adeoque nummi dicati occurrunt (*g*) DIVO CARO PERS., & DIVO CARO PARTHICO. Ad æſtatem ejuſdem anni perveniſſe Carum res in bello contra Perſas geſtæ, tum etiam tonitrua ac fulmina, quibus exanimatus eſt, non dubia ſunt indicia.

Numerianus autem aliquod tempus ſuperſtes fuit Caro, ſimulque cum Carino fratre rebus publicis præfuit. Quod ſi ludi Romani, de quibus modo, poſt Cari mortem, ut volunt Petavius (*h*), Blanchinius (*i*), atq; Bandurius (*k*), editi ſunt Carino ac Numeriano imperantibus, Septembrem exceſſiſſe Numeria-

(a) In Carino c. 20.
(b) Cap. 19.
(c) Apud Bandur. pag. 516. & 525.
(d) Vopiſc. in Caro c. 7.
(e) In Not. ad nu. Numer. p. 516.
(f) Id. Vopiſc. in Caro c. 8.
(g) Apud Bandur. pag. 504.
(h) Lib. XI. de Doctr. Temp. c. 30.
(i) In Chron. ad Anaſt. Bibl. Tom. II. pag. CCXIV. ad an. U.C. 1036. 1037.
(k) In Not. ad nu. Numeriani pag. 517.

Numerianus dicendus eſt. Etenim eo menſe (*a*) a die IIII. ad XII., rurſumq; in Circo a die XV. ad XIX. Ludi ipſi Romani celebrabantur, & eos jam editos verſibus poſtea complexus eſt Calpurnius, Numeriani morte nondum audita. Habentur Numeriani numiſmata Alexandrina (*b*) cum L. Γ. *anno tertio* ejuſdem; qui annus, ſi more noſtro computetur, initium habuit die IV. Idus Decembris anni U. C. MXXXVI. Chriſti CCLXXXIII; ſi vero aliorum more numeretur, cum menſe Decembri anni ſequentis cœpit; quo tempore in vivis non erat Numerianus, jamque Diocletianus imperabat, electus die XV. *Kal. Octobris*, ſeu die XX. Novembris; qua de re alibi (*c*).

(a) Vid. Kalendar. Roman. apud Goltz. pag. 201. Theſ. Rei antiq.

(b) Apud Bandur. pag. 523. Tom. II. & Tab. XXXI. Num. Alex. Muſ. Arigon.

(c) De Vot. X.

XLIV.

DIOCLETIANUS ET MAXIMIANUS.



Sſet heic agendum de imperio Diocletiani & Maximiani; ſed tamen ſuperſedemus, tum quia Tribunicia Poteſtas & anni imperii in eorum nummis vacare incipiunt, nec eſt, quod nos hac in parte moretur; tum etiam, quia alius erit locus, ubi nempe de Votis X. ſumus tractaturi, commodior de ipſis agendi; quo etiam differimus, quæ heic oſtendenda, in *Commentariis* (*d*) indicavimus.

(d) Ad num. 3. Tabul. LXXV. pag. 200. litt. d.

XLV.

GALERIUS MAXIMIANUS.



Ellis civilibus externiſque quum Romanum premeretur imperium, Diocletianus & Maximianus *Julium Conſtantium* (*e*), *Galerium Maximianum, cui cognomen Armentario erat, creatos Cæſares, in adfinitatem vocant*. Factum id Kalendis Martii anno U. C. MXLIV. Chriſti CCXCI, Coſs. nempe *Tiberiano* & *Dione*, ſcriptum in Idacii Faſtis legimus. Chronici vero Alexandrini Auctor *Diocletiano Aug.* V. & *Maximiano Aug.* IV. *Coſs.*, anno ſc. U. C. MXLVI. Chr. CCXCIII. ita ſcribit: τέτῳ τῷ ἔτει Μαξιμιανὸς Ἰόβιος Ἐπιφανέςατος Καῖσαρ εἰς τὴν ἀρχὴν εἰσεποιήθη καὶ Κωνςάντιος ἐν Νικομηδείᾳ, πρὸ ιβʹ Καλανδῶν Ἰενίων. *Hoc anno Maximianus Jovius Nobiliſſimus Cæſar, in principatum adſcitus eſt, ut & Conſtantius, Nicomediæ ex a. diem* XII. *Kal.*

(e) Vict. de Cæſ.

Kal. Junias. Diſcordare hunc auctorem ab Idacio, ab eruditis creditum eſt: quorum proinde alii in ejuſdem Idacii, alii in Auctoris Chronici, tum etiam in alias ſententias abire obſervantur. Idacio præter Calviſium, Valeſium, & Capellum, quorum meminit Baſnagius (*a*), Emin. quoque (*b*) Noriſius adhæret. Baronius vero (*c*), Pagius (*d*), & ipſe Baſnagius (*e*) ab Idacio recedunt; quin nec Auctorem Chronici ſequuntur: nam anno U. C. MXLV. Chr. CCXCII. Maximianum & Conſtantium inauguratos Cæſares docent. Pagius tamen credidit, Idacium conſentire cum auctore Chronici: hinc *errarunt*, inquit, *Idacius in Faſtis & Auctor Chronici Alexandrini, qui hanc nuncupationem anno præcedenti* U. nempe C. MXLIIII. Chriſti CCXCI. *factam ſcripſere*. Tillemontius (*f*) quoque ab Idacio recedit, & in annum ſequentem, h. e., U. C. MXLV. Chriſti CCXCII. creationem Cæſarum refert. Libentius tamen differret in poſteriorem adhuc annum, U. C. MXLVI. Chriſti CCXCIII, ſiquidem difficultati, quæ oritur ex *Tribunicia Poteſtate* XX. edicto Galerii Maximiani præfixa, ſatisfacere poſſet. Bucherius (*g*) porro, & Baluzius (*h*), ut notat ipſe Tillemontius (*i*), Auctorem Chronici ſequuntur. Atque hujuſmodi fere ſunt Clariſſimorum Virorum ſententiæ.

(a) In Annal. Pol. Eccl. ad an. Dom. 292. n. II.
(b) Differ. II. de Num. Licin. c. 1.
(c) In Annal. ad an. Chr. 292. 3.
(d) In Crit ad an. Chr. 292. n. II.
(e) Loco citato.
(f) Not. XI. in Dioclet.
(g) De Belg. Lib. VII. c. 6.
(h) Tom. II. pag. 400. 401.
(i) Ibid.

Auctoris opinio.

Mea vero fert opinio Idacium & Auctorem Chronici non quidem concordare, ſed nec etiam diſcordare. Idacius itaque tempus notat, quo Chlorus & Galerius facti ſunt Cæſares; Auctor vero Chronici illud notat, quo poſtea adſciti ſunt in principatum. Obiit porro Galerius menſe Majo, *ipſo octies & Maximino iterum Coſs*. anno U. C. MLXIIII. Chr. CCCXI, teſte coætaneo, ac pæne oculato Lactantio (*k*), quum *jam deficiens* (*l*) edictum emiſiſſet in favorem Chriſtianorum, ipſumq; edictum propoſitum fuiſſet Nicomediæ *pridie* (*m*) *Kalendas Majas*. Serdicæ in Dacia ægrotaſſe Galerium, ibiq; interiiſſe, auctor eſt Anonymus Valeſianus. Obſervat Vir Clar. Pagius (*n*), eam diſtantiam, Serdicam inter & Nicomediam, ubi propoſitum eſt edictum, interjacuiſſe, ut intra unicum menſem ipſum edictum Serdica Nicomediam tranſmitti potuerit, immo & tranſmiſſum ſit, quum de re graviſſima, de perſecutione nempe inhibenda, ageretur. Ineunte itaque Aprili U. C. MLXIV. Chr. CCCXI. emiſſum ſit edictum.

(k) De Mortib. Perſec. cap. 35.
(l) Id. eod. Lib. Cap. 33.
(m) Cap. 35.
(n) In Crit. ad an. Chr. 311. n. XVI.

Exhibet autem hoc edictum *Tribuniciam Poteſtatem* XX.

ipsius Galerii; sed inesse mendum, ac legi potius debere *Tribuniciam Potestatem* XIX., nos credere diximus (*a*). Numerus enim XX. nec congruit tempori, quo Galerius factus est Cæsar ex Idacio, nec ei, quo adscitus est in principatum ex Chronico Alexandrino. Priori tempori nullo modo convenit Tribunicia Potestas XX. aut XIX.; sed XIX. bene convenit posteriori tempori, si nempe ipsa Tribunicia Potestas IV. Idus Decemb. renovetur; ita enim IV. Idus Decemb. anni U. C. MLXIII. Christi CCCX. Tribunicia Potestas XIX. cœpisset, ac durasset tempore Edicti. In ipso Edicti titulo alia menda inesse notavimus (*b*), quippe dicitur Galerius Αὐτοκράτωρ ἐννεακαιδέκατον, *Imperator* XIX., quum dici potius debuisset *Imperator* XX; nam ibi referuntur tituli victoriarum XIX, quibus addi debet de more (*c*) prænomen Imperatoris; quippe & illud venit in numerum. Numerus proinde, qui conveniebat victoriis, adsignatus videtur Tribuniciæ Potestati; & e contra numerus, qui conveniebat Tribuniciæ Potestati, adsignatus est victoriis. Alia præterea sunt in eodem titulo, quæ alii restituere conantur. „ Exstat, [inquit Norisius (*d*)], in „ Bibliotheca Serenissimi Magni Ducis Etruriæ antiquus „ Eusebii Cæsariensis Codex in pluteo LXX., in quo pag. 144. „ recitatur titulus edicti anno CCCXI. ab Imperatoribus Galerio, „ Constantino, ac Licinio publicati. In editis Eusebii voluminibus Licinius omittitur, quem tamen Clariss. Valesius „ post Nicephorum Lib. VII. cap. 23. ex aliis etiam Mss. suo „ tandem loco restituit. In titulo Edicti Galerius inscribitur „ *Tribuniciæ Potestatis* XX. *Consul* VIII., Constantinus *Tribuniciæ Potestatis* V.; ita enim ex Nicephoro lacuna implenda „ est. Postea in laudato Codice legitur: Καὶ Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ „ Οὐαλέριος Λικίννιος κ. λ. *Et Imperator Cæsar Valerius Licinnius* „ *Pius*, *Felix*, *Invictus*, *Augustus*, *Pontifex Max.*, *Tribuniciæ* „ *Potestatis* IIII, *Imperator* III, *Consul*, *Pater Patriæ*, *Proconsul*". Ita Eminentiss. Norisius, quem sequuntur Pagius (*e*), Basnagius (*f*), atque Tillemontius (*g*). Præterea alicubi loco *Maximiani* legitur Μαξιμῖνος, *Maximinus*, & loco *Constantini* Κωνστάντιος, *Constantius* (*h*).

(a) Animadv. I. de Imp. nu. XXIII. pag. 29.

(b) Ibid.

(c) Vid. Animad. de Imperat. num. XVI. & XVIII.

(d) Cap. I. Differ. II. de Num. Licinii.

(e) In Crit. ad an. Chr. 311. n. V.

(f) In Ann. Pol. Eccl. ad an. Dom. 311. n. III.

(g) In Hist. Impp. ad ann. Chr. 311. Art. XIX.

(h) In edit. Colon. Allobr. an. 1612. Lib. VIII. c. 28.



XLVI.

XLVI.

CONSTANTINUS M.



Es poſtulat, ut Tribuniciam quoque Poteſtatem Conſtantini, ac Licinii, quæ in titulo ejuſdem Edicti exſtat, aut additur, examinemus. Et, ut a Conſtantino incipiamus, dicitur *ille* a Lactantio (*a*) *incredibili celeritate uſus perveniſſe ad Patrem jam deficientem, qui ei, militibus commendato, imperium per manus tradidit; atque ita in lecto ſuo requiem vitæ, ſicut optabat, accepit*. Die XXV. Julii anno U. C. MLIX. Chr. CCCVI., Coſs. nempe ipſo *Conſtantio* VI. (*b*) *& Maximiano* VI. *diem functus Conſtantius, & poſtea levatus eſt Conſtantinus* VIII. *Kal. Auguſti*. Galerius tamen Maximianus *illud excogitavit* (*c*), *ut Severum, qui erat ætate maturior, Auguſtum nuncuparet, Conſtantinum vero non Imperatorem, ſicut erat factus, ſed Cæſarem cum Maximino appellari juberet, ut eum de ſecundo loco rejiceret in quartum*: quod & fecit. Hinc nummi Conſtantini (*d*) cum titulo *Cæſaris*, illi vero Severi (*e*) cum titulo *Auguſti* viſuntur. Anno ſequenti U. C. MLX. Chr. CCCVII. Maximianus Herculius, qui purpuram iterum acceperat, Conſtantinum partibus ſuis conciliavit (*f*) ſuæ minoris filiæ, ſc. Fauſtæ nuptiis; ac tunc *Conſtantino per Socerum* (*g*) *nomen Imperatoris adcrevit*, cum Tribunicia, ut credimus, Poteſt. Hæc itaque die X. Dec. ejuſdem ac ſequentium annorum renovata, *quinta* decurrebat, quo tempore emiſſum eſt Edictum. Habet *Gruterus* (*h*) inſcriptionem, quæ (*i*) ejuſdem fere exempli in duplici lapide Parmæ ac Patavii legitur, ipſi *Conſtantino* dicata TRIBVN*iciæ* POTESTAT*is* XXIII. COS. VII. Dictus eſt *Conſul ſeptimum* uſque ad Kalendas Januarias anni U. C. MLXXXII. Chr. CCCXXIX, quibus proceſſit *Conſul* VIII. Quare *Tribunicia Poteſtas* XXIII. copulari cum *conſulatu* VII. non potuit; niſi die X. Dec. renovata quotannis ſit; aliter enim cum conſulatu VIII. copulari debuiſſet.

De Tribunicia Pot. Conſtantini Magni.

(a) De Mortib. Perſec. c. 24.

(b) Idac. in Faſt.

(c) Lactantius de Mortib. Perſec. c. 25.

(d) Mediob. p. 459 Hardu. in Num. Sæc. Conſt. pag. 455. Op. Sel.

(e) Mediob. pag. 449. Harduin. in Num. Sæc. Conſt. pag. 457. Op. Sel.

(f) Lactant. de mort. Perſ. cap. 27.

(g) Paneg. utriq; dict. cap. 2.

(h) Pag. CLIX.

(i) Noriſ. Diſſer. II. de Num. Lic. c. 3. Murat. in Theſ. Inſcription. pag. CCLIX. 5.



XLVII.
LICINIUS.



ÆEc, quæ de Tribunicia Poteſtate Conſtantini M. dicta ſunt, ab iis confirmantur, quæ de Tribunicia Poteſtate Licinii dicenda ſunt. Idacius (*a*) annum, menſem, ac diem inaugurationis imperatoriæ Licinii nobis exhibet: nam Conſulibus anni U. C. MLXI. Chr. CCCVIII. Maximiano nempe Herculio *decies &* Galerio *Maximiano* VII. *tertio Idus Novembris* Carnunti *levatum* fuiſſe *Licinium* docet. Quin tamen Idacius ac cum eo Valeſius erraverit, nullus dubitat Baſnagius (*b*). Titulus enim Galeriani de extinguenda perſecutione reſcripti promulgatus eſt, inquit, eo tempore, quo Galerius Tribuniciam Poteſtatem XX., Conſtantinus V. agebat. Ex Poteſtatum igitur Tribuniciarum numero, qui annos imperiales æquabat, intelligi ſubdit, primum Licinii annum cum ſecundo Conſtantini fuiſſe conjunctum. Atqui, ait, anno CCCVI. *levatus eſt Conſtantinus* VIII. *Kal. Auguſti*; itaque XI. Novembris anno CCCVII. Carnunti Licinius Imperator factus eſt. Præterea Galerii reſcriptum anno CCCXI. latum fuit, qui Licinii *quartus* dicitur. Quod ſi quartus Liciniani imperii annus in Chriſti CCCXI. incidit, primus ſane Licinii a CCCVII. ducere initium ab ipſo Baſnagio docetur. Præivere eidem Eminentiſs. Noriſius (*c*), ac Clariſs. Pagius (*d*), atque Baluzius (*e*), quos ſecutus eſt inter alios Eruditiſs. Tillemontius (*f*). Quæ itaque ad *quintam* Conſtantini Tribuniciam Poteſtatem ſpectant, paullo ante tractavimus: quæ ſi conſtant, inde etiam manifeſtum fiet, quod, ſicuti Conſtantino Tribunicia Poteſtas nonniſi anno U.C. MLX. Chr. CCCVII., ita Licinio nonniſi anno ſequenti eadem Tribunicia Poteſtas ſit communicata. Si vero Tribunicia utriuſque Poteſtas in Galeriano de extinguenda perſecutione reſcripto excedere tempus videtur, quo reſcriptum ipſum eſt emiſſum, excedit illa quidem, ſi annuatim a die, quo primum communicata eſt, multiplicetur, prout fit a laudatis Cl. Viris; at non excedit ſi primo anno die X. Dec. juxta noſtram numerandi Tribuniciam Poteſtatem opinionem iteretur, eademque die quotannis multiplicetur: ita enim fiet, ut die X. Decembris anni U.C.

(a) In Faſtis.

(b) In An. Pol. Ec. ad an. Dom. 307. n. VII.

(c) Differ. II. de Num. Licin. c. I.

(d) In Crit. ad an. Chr. 307. n. V.

(e) Not. in Lactant.

(f) Not. XIX. in Conſtant. M.

mlxiii. Chr. cccx., ideſt quatuor circiter ante menſes, quam Reſcriptum emitteretur, Conſtantinus Tribuniciam Poteſtatem v. & Licinius iiii. inierint.

XLVIII.

VALENTINIANUS, VALENS, ET GRATIANUS.



Ummi Tribunicia Poteſtate inſigniti heic nos deficiunt; nam, etſi aliquis adhuc occurrat, id ita raro fit, ut parum inde luminis rebus chronologicis accedat. Continuatur potius eadem Tribunicia Poteſtas in inſcriptionibus, non ita tamen, ut hiſtoria diſponi & ordinari inde poſſit. At, qui mos fuerit in numeranda ipſa Tribunicia Poteſtate ſubſecutis temporibus, certiores reddere nos poteſt ea, quam exhibuimus, quum de Pontificatu Maximo agebamus (*a*), Valentiniani atque Valentis inſcriptio (*b*). In ea enim dicitur uterque Auguſtus TRIB*uniciæ* POT*eſtatis* VII. CONS*ul* II. Quum Jovianus Imperator τῇ ἑαυτȣ̃ ὑπατείᾳ ϗ Βαρωνιανȣ̃ τȣ̃ ὑιȣ̃ αὐτȣ̃, τῇ ἑπτακαιδεκάτῃ τȣ̃ Φεβρουαρίȣ μηνὸς (*c*), *ſui ipſius & Varoniani filii ſui Conſulatu*, Urbis nempe conditæ mcxvii., Chriſti ccclxiv., *die* xvii. *menſis Februarii* e vita migraſſet, teſte Socrate; milites ex Galatia decedentes, ἑβδομαῖοι, *ſeptimo poſt die* Nicæam Bithyniæ urbem veniunt, omneſque una voce τῇ πέμπτῃ ϗ εἰκάδι τȣ̃ αὐτȣ̃ Φεβρȣαρίȣ μηνὸς ἐν τῇ αὐτȣ̃ ὑπατείᾳ, *die* xxv. *ipſius Februarii menſis, illo ipſo Conſulatu* Valentinianum declarant Imperatorem. Factum id v. *Kalendas Martias* habet Idacius in Faſtis; ac tunc *principali habitu circumdatus & corona, Auguſtuſque nuncupatus* dicitur a Marcellino (*d*). Quum veniſſet Conſtantinopolim (*e*) Valentinianus, v. *Kal. Aprilis productum Valentem* fratrem in ſuburbanum, univerſorum ſententiis concinentibus, [nec enim audebat quiſquam refragari], *Auguſtum pronunciavit, decoreque imperatorii cultus ornatum, & tempora diademate redimitum, in eodem vehiculo ſecum reduxit, participem legitimum poteſtatis*. Socrates (*f*) ſcribit, Valentinianum μετὰ τριάκοντα ἡμέρας τῆς αὐτȣ̃ ἀνακηρύξεως, *triginta diebus poſt ſuam creationem*, Fratrem Valentem ſocium ſibi adjunxiſſe imperii. Auctor vero Chronici Alexandrini idipſum, πρὸ δ' Καλανδῶν Ἀπριλλίων, *in diem* iv. *Kalendas Apriles* refert.

(a) Num. VII. pag. 67.

(b) Ex Grut. pag. CLX. n. 4.

(c) Socrat. Lib. IV. Hiſt. Eccl. c. 1. Eutr. Lib. X. c. 18. XIIII. ſive ut alii legunt, XIII. Kal. Martias.

(d) Lib. XXVI. cap. 1.

(e) Id. eod. Lib. cap. 4.

(f) Lib. IV. Hiſt. Eccl. cap. 1.

refert. At hæc minima differentia, quæque nos minime tangit: quippe nobis in præsens sufficit, de mense & anno, quibus Valentinianus ac Valens ad imperium acciti sunt, inter eos convenire, ita ut constet, mense Februario Valentinianum, mense autem Martio Valentem, utrumque vero anno U. C. MCXVII. Chr. CCCLXIV. factos fuisse Imperatores. Convenit pariter inter eosdem aliosque Scriptores, anno sequenti, U. nempe C. MCXVIII. Chr. CCCLXV. Consules prima vice eosdem Imperatores processisse, iterum vero Kalendis Januariis U.C. MCXXI. Christi CCCLXVIII.; ac tertium Kalendis Januariis anni U. C. MCXXIII. Chr. CCCLXX. Quum itaque in ea, quam citavimus, Inscriptione CONS*ul* II. Augustus uterque dicatur, positam illam esse constat ante Kalendas Januarias anni U. C. MCXXIII. Chr. CCCLXX., quibus Consules III. processere. Quomodo igitur TRIB*uniciam* POT*estatem* VII. tunc temporis computassent Imperatores, si eamdem eo die, quo primum illam acceperant, singulo quoque anno renovassent? Ita enim evenisset, ut Valentinianus quidem nonnisi mense Februario, ac Valens nonnisi mense Martio U. C. MCXXIII. Christi CCCLXX. auspicati essent Tribuniciam Potestatem VII. At, si die x. Decembris anni U. C. MCXVII. Chr. CCCLXIV, quo illam primum acceperunt, renovasse Tribuniciam Potestatem, eamdemque ipso die x. Dec. singulo quoque anno deinceps multiplicasse dicantur, die x. Dec. anni U. C. MCXXII. Chr. CCCLXIX. Tribuniciam Potestatem VII. iniissent: ac subsecutis diebus usque ad Kalendas Januarias conlocari potuit laudata Inscriptio, quum adhuc essent COS. II.

Ut tamen verum fatear, difficultatem parit *Tribunicia Potestas* III. Gratiani, quæ in eadem Inscriptione legitur. *Quarta* enim juxta nostram opinionem esse deberet: nam *die* IX. *Kal. Septembris* anno U. C. MXX. Chr. CCCLXVII. Augustum a Valentiniano Patre renuntiatum diximus (*a*) Gratianum ex Idacio (*b*), Auctore Chronici Alexandrini, & Socrate (*c*). Ammianus tamen Marcellinus, qui tum vivebat, atque scribebat, ubi de Gratiani inauguratione disseruit (*d*), statim hæc subdit: *His ex sententia Rectoris & militum ordinatis, vix dies intercessere pauci, quum Mamertinum Præfectum Prætorio ab Urbe regressum, quo quædam perrexerat correcturus, Avitianus ex Vicario peculatus detulerat reum: cui ideo Vulcatius successit Rufinus.* Advertendum porro est, legem exstare (*e*), quæ est

(a) In Comm. ad num. 1. Tab. LXXXVIII. p 229. & Animadver. de Pont. Max. n. IX. pag. 76.
(b) In Fast.
(c) Lib. IV. cap. 10.
(d) Lib. XXVII. cap. 6.
(e) Cod. Theod. Tit. I. L. 11.

eſt xi. *de Numerariis*, ipſi Rufino jam Præfecto Prætorii inſcriptam, quæ data legitur Pariſiis die xii. Decembris *Valentiniano & Valente Coſs.* Alia quoque lex eſt (*a*), nempe xii. *de Suſceptoribus*, quæ data ad eumdem Rufinum conſpicitur die x. Novembris *Gratiano N. B. P. & Dagalaipho Coſs.*, anno U. C. mcxix. Chr. ccclxvi. Porro notatur, Valentinianum, a quo datæ ſunt hujuſmodi leges, non fuiſſe Pariſiis poſt hunc annum, quo (*b*), ſicuti & antecedente hiemem in eadem urbe peregit. Antecedente autem, ſc. U. C. mcxviii. Chriſti ccclxv. Conſules fuere, prout lex prima præfert, Valentinianus fraterque Valens. Unde conligitur, jam tum ab hoc anno Rufinum ſuffectum, aut ſaltem deſtinatum fuiſſe Mamertino ſucceſſorem, eique uti Præfecto Prætorii, ſaltem deſignato leges hujuſmodi inſcriptas fuiſſe. Quod confirmare videntur aliæ leges (*c*), quæ datæ ſunt menſe Septembri ejuſdem anni U. C. mcxviii. Chriſti ccclxv., utpote quæ directæ leguntur ad ipſum Rufinum Præfectum Prætorio. Quod ſi mendum non ineſt, ut tamen ineſſe judicat Gothofredus, Mamertinus egit Præfectum Prætorio per totum ſaltem Octobrem anni U. C. mcxviii. Chr. ccclxv; nam ad ipſum data legitur lex (*d*) die xxxi. menſis ejuſdem. Kalendis Januariis anni ſequentis Dagalaiphus *cum Gratiano etiam tum privato* (*e*) *ſuſcepit inſignia Conſulatus*. Initio itaque hujus anni regredi potuit ab Urbe Mamertinus: dilatam tamen fuiſſe in finem anni ſequentis U.C. mcxx. Chr. ccclxvii. ejuſdem de peculatu accuſationem veroſimile non videtur. Quapropter anno ipſo U.C. mcxix., quo Conſul erat, Gatianum renuntiatum fuiſſe Auguſtum, dici juxta Marcellinum poteſt. Neque etiam deſunt monumenta, quibus tueri quis poſſit Hiſtoricum. Nam aliam (*f*) deſcripſimus ex Grutero (*g*) Inſcriptionem, in qua Gratianus dicitur TRIB*unicia* POT*eſtate* VI. CO*nsul* PRIMVM: qui quidem *Tribuniciæ Poteſtatis* numerus explicari nullo modo poteſt; niſi ab anno U. C. mcxix, Chr. ccclxvi. Tribunicia ejuſdem Poteſtas ducatur, & ulterius juxta noſtrum numerandi ipſam Tribuniciam Poteſtatem modum die x. Dec. eodem anno iteretur. Nam anno U. C. mcxxiv. Chr. ccclxxi. Conſul *iterum* proceſſit Gratianus, adeoque ante ipſas Kalendas Januarias poni debuit Inſcriptio, quæ Conſulatum tantummodo *primum* exhibet. Declaratus itaque fuerit Auguſtus Gratianus anno U. C. mcxix. Chr. ccclxvi., Tribuniciam Poteſtatem

(a) Tit. VI. L. 12.

(b) Ammian. Marcell. Lib. XXVI. c. 5. & XXVII. paullo poſt princ.

(c) Vid. Gothofr. & Tillemont. an. Chr. 365. art. XIII Valent. & Not. XXII. in Valent.

(d) Vid. eoſd.

(e) Amm. Marcel. Lib. XXVII. cap. 2.

(f) In Animadv. de Pont. Max. n. VII. pag. 68.

(g) Pag. MLXXXII. n. 13.

testatem die x. Dec. ejusdem anni iterasset, eademque die subsecutis annis multiplicasset: hinc die x. Decemb. anno U. C. MCXXIII. Chr. CCCLXX. Tribuniciam Potestatem VI. adhuc Consul *primum*, h. e. antequam Consul *iterum* procederet, iniisset. Hoc autem pacto *Tribunicia Potestas tertia*, quæ in Inscriptione (a) Valentiniano, Valenti, ipsique Gratiano dedicata est, mendosa esset, ac Tribunicia Potestas *quinta* restitui deberet, ut cum Tribunicia Potestate Patris ac Patrui concordare posset. Quæ quum ita sint, tamquam mendosæ traduci nequeunt eæ legum subscriptiones, quæ jam tum mensibus Aprili & Majo anni U. C. MCXX. Chr. CCCLXVII. Gratianum ipsum exhibent Augustum simul cum Patre Valentiniano, Patruoque Valente.

(a) Apud Grut. pag. CLX. n. 4.

Verum de Augustea Gratiani inauguratione in proxime sequenti *De Votis Decennalibus* Animadversione rursus erit agendi locus. Quare de hac re, tum de *Tribunicia* universim *Potestate* heic agere desistimus. In ea enim Animadversione, quæ huic desunt, suppleri poterunt; tum etiam ea addentur, quæ ceteris Animadversionibus ipsisque Commentariis inlustrandis conferre posse, credemus.



ANIMADVERSIO II.

DE VOTIS

DECENNALIBUS.



I. QUum Deorum beneficio privatas publicasq; res ſtare perſuaſum haberent Romani, cultu ac precibus eos ſibi propitios reddere communi Gentium more conabantur. Erectis itaq; dicatiſq; eorum nominibus aris ac templis, habitaq; rerum ſacrarum diligenti cura, ſacrificia celebrabant, & vota nuncupabant atque ſolvebant: indeque precum ſacrorumq; publicorum mentio apud Scriptores. Quemamodum vero libera Republ. pro iis præſertim, qui eam adminiſtrabant, vota concipiebantur; ita, poſtquam ad unum devenit ſumma potentia, Imperatoreſq; Auguſtos habere cœpit ipſa Reſpublica, preces pro his fundi, gratiæque Diis agi conſueverunt. Vota vero *decennalia* ex hoc tempore atque hoc pacto inducta ſunt. Cæſar itaq; Auguſtus, ut jam notavimus (*a*), *ſeptimum Conſulatum* (*b*) gerens, in Senatum venit, atq; de ejurando imperio orationem (*c*) recitavit. „ Sed, ut principatum ſolus obtineret, compulſus eſt. Quo „ (*d*) tamen longius Romanos a ſuſpicione regiæ poteſtatis „ ſibi propoſitæ abduceret, imperium in ſuas provincias ἐς δέκα „ ἔτη *decennale* ſuſcepit, intra quod tempus eas ſe redacturum „ in ordinem promittebat, hoc quoque jactantia quadam ju„ venili addito, quo breviori ſpatio eas pacare poſſet, eo citius „ ſe has itidem redditurum. At re ipſa (*e*) Cæſar unus in om„ nibus rebus plenum erat imperium habiturus, quum pe„ cunias & milites in ſua haberet poteſtate. *Ei itaque, quum primum decennium exiviſſet, aliud atq; aliud quinquennium, poſtea decennium, & eo finito aliud iterum decretum eſt, & quinquies quidem, ita ut continuatis decenniis per totam vitam imperii ſummam obtinuerit.* (*f*) Καὶ διὰ τȣ̃το, ϰ̀ οἱ μετὰ ταῦτα Αὐτοκράτορες, καίτοι μηκέτ' ἐς τακτὸν χρόνον, ἀλλ' ἐς πάντα καθάπαξ τὸν βίον ἀποδεικνύμενοι, ὅμως διὰ τῶν δέκα ἀεὶ ἐτῶν ἑώρτασαν, ὡς ϰ̀ τὴν ἡγεμονείαν αὖθις τότε ἀνανεȣ́μενοι· ϰ̀ τȣ̃το ϰ̀ νῦν γίγνεται. *Quam ob cauſſam poſteriores quoq; Imperatores, etſi non ad certum tempus, ſed per omne vitæ ſpatium iis imperium deferatur, tamen ſingulis decenniis feſtum pro ejus*

Decennalium origo.

(a) Animadv. IV. de Auguſto n. I.
(b) An. U.C. 727.
(c) Dio Caſſ. Lib. LIII. p. 503. B.C.
(d) Id. pag. 504. B.
(e) Id. pag. 506. E.
(f) Pag. 507. A.

renovatione agunt; *quod hodie etiam ſit*; inquit Dio Caſſius, qui Alexandri Severi tempore ſcribebat (*a*).

(a) Videat. Liber LXXX. in fine.

Decennalia porro hujuſmodi feſta quam ſplendidiſſime agebantur; quippe quæ ſolemnioribus ſacrificiis ludiſq; pompa & exquiſito genere voluptatum inſignibus celebrabantur. Gratiæ in primis pro exacto decennio referebantur Diis; inde preces in ſubſequens decennium fundebantur.

De tempore, quo Quinquennalia, aut Decennalia celebrabantur.

II. Decennalium, ſicuti & Quinquennalium mentio apud Hiſtoricos non raro occurrit, eorumque memoriam conſignatam in nummis videmus: at vero in iis explicandis adſignandoque ipſis tempore inter doctos nondum convenit. Tradidit jam tum Cl. Onuphrius (*b*), hæc ſolemnia die primo undecimi anni imperii, ſeu expleto quinquennio vel decennio, fuiſſe celebrata; idque ei perſuaſit Erudit. Sirmondus (*c*), ubi apud Sidonium legit de Majoriano Imperatore:

Multos purpura veſtiat per annos,
Sic luſtro imperii perennis acto,
Quinquennalia faſcibus dicentur.

Hinc videre eſt, inquit Sirmondus, *Quinquennalia*, *Decennalia*, & cetera id genus non ineunte, ſed peracto ultimi anni circulo celebrari conſueviſſe; quod docere ab eo dicitur etiam locus Marcellini Lib. xv., de quo infra. Ejuſdem ſententiæ fuit etiam Cl. Scaliger (*d*), eamque adoptans Emin. Noriſius (*e*) magna luce inluſtrare, magnoque rationum pondere confirmare conatus eſt. Valeſius vero Vir & ipſe Cl. ſenſit (*f*), *Imperatores Romanos Quinquennalia, Decennalia, ac Vicennalia ſua celebraſſe die primo quinti, decimi, aut viceſimi anni Principatus ſui: quippe* tradit *hæc vocabula nihil aliud ſignificare, quam Natalem imperii, qui quinto quoque anno, ac decimo recurrente maxima pompa ac feſtivitate celebrabatur*. Vaillantius quoque Vir alter Eruditiſs. credidit (*g*), Imperatores, *quoties decimum Imperii annum adtingerent*, Decennalia celebraſſe. Hinc doctiſs. Pagius (*h*) obſcura adhuc hujuſmodi feſta arbitratus, penitiores eorumdem receſſus perſcrutari neceſſarium duxit. Excogitavit autem aliquos Canones, quibus tuto in hac materia hucuſque, ut ait (*i*), parum cognita, & nonniſi jejune ac exiliter tractata, dirigi poſſimus. Hujuſmodi itaque illi ſunt. PRIMUS CANON. *Quinquennalia, Decennalia, & id genus feſta modo anno quinto ineunte, modo anno quinto exeunte; vel anno decimo incipiente, vel eodem completo indiſcriminatim celebrabantur.*

CANON

(b) Lib. I. Faſt. pag. 175.

(c) Not. in Sidon. Carm. XIV. Tom. I. pag. 1247. Oper. Sirmond. Edit. Pariſ. an. 1696.

(d) Lib. V. de Emend. Temp.

(e) Diſſ. de Vot. Decen. cap. 1. & ſeqq.

(f) Annot. in Orat. Euſeb. de Laud. Imp. Conſt. in ejus Tricen. habitam.

(g) Ad Select. Num. De Camps in Commod. Num VIII. p. 49.

(h) Diſſ. Hyp. Part. II. cap. 2. num. I.

(i) Ibid. Num. V.

CANON SECUNDUS (*a*). *Quinquennalia & id genus festa non solum ab Augustis, sed etiam a Collegis imperii, ac a Cæsaribus, non tamen a Nobilissimis Pueris celebrata.* TERTIUS CANON (*b*). *Quinquennalia, Decennaliave legitimo tempore facta esse intelliguntur, si utroque termino incluso, quinque vel sex anni, decem vel undecim, inchoati nempe, numerentur. Extra tempus vero ordinarium facta colliguntur, si ab ultimis Quinquennalibus, utroque etiam termino incluso, vel quatuor vel septem anni, in Decennalibus vero novem tantum aut duodecim colligantur.* QUARTUS CANON (*c*). *Quinquennalia a Cæsaribus vel Augustis die imperii Natali anni quinti vel sexti ineuntis, vel etiam die Natali Collegarum in eodem anno quinto ineunte vel completo, de more celebrata, sed aliquando in similem alterius mensis diem translata, adeo ut exempli causa, qui quinto Kalendas Novembris Imperium obtinuerat, si ea die ac mense ea solemnia repræsentare non posset, nonnisi quinto Kalendas alterius mensis ejusdem anni eadem celebraret.* QUINTUS CANON (*d*). *Ipso Imperii initio Quinquennalium vota ad imperium feliciter auspicandum semper nuncupabantur, sed non semper anno quinto vel sexto imperii ineunte solvebantur; Votaque Decennalia suscipiebantur, sed aliquando differebantur, aut anticipabantur, uno tamen dumtaxat anno.* CANON SEXTUS (*e*). *Hæc solemnia ante Imperatorem Commodum sæpe cum trabea Consulari, post illum vero de more cum ea acta: non ita tamen cum eadem conjuncta, quin aliquando Quinquennalia vel Decennalia Consulatus aut præcesserit aut subsequutus fuerit.* CANON SEPTIMUS (*f*). *Quinquennalia & id genus festa, nova quasi Imperii auspicia, novaque quædam illius Epocha fuere.* CANON OCTAVUS ET ULTIMUS (*g*). *Antiqui Decennalium cæterisque id genus nominibus tria intelligebant.* Primo, ac proprie festivitatem ludorum, qui ob quintum, decimum, &c. annum agebantur, ac etiam votorum Quinquennalium, Decennalium, ac reliquorum hujusmodi solutionem. II. (*h*) hæc nomina πενταετήρις, δεκαετήρις, τριακονταετήρις, seu *Quinquennalia, Decennalia, Tricennalia* sumuntur pro quinto, decimo, & tricesimo Imperii anno. Tertio (*i*) Quinquennalia & id genus nomina non tantum complementum & terminum quinque, decem, quindecim &c. priorum annorum, sive hi inchoati tantum, sive omnino elapsi, sive sextus, immo septimus inchoati essent, significant; sed etiam initium novi circuli, aut novæ Periodi quinque, decem, vel quindecim annorum sequentium, ideoque

(a) Num. VI.
(b) Num. VII.
(c) Num. VIII.
(d) Num. XIII.
(e) Num. XVI.
(f) Num. XVII.
(g) Num. XXI.
(h) Num. XXII.
(i) Num. XXIII.

non tantum diversa, sed etiam contraria eodem verbo Veteres intellexere. Hæc Pagius, quæ & probare in Dissertatione Hypatica, & stabilire in Critica Historico-Chronologica in Annales Card. Baronii conatur. Inter eos autem, qui post Pagium hac de re scripserunt, Bonarota Vir Cl., mihique, dum viveret, amicissimus, adhuc cum Norisio sentit (*a*), exacto nempe imperii decennio, saltem usque ad Severum edita Decennalia fuisse; sequioribus tamen temporibus ineunte Decennio celebrata. Harduinus quoque Vir Eruditiss. hanc, quæ in nummis Antonini Pii legitur, Epigraphen VOTA SOL. DEC. II. interpretatur (*b*) *Vota soluta Decennalia secunda*, sive pro secundo Decennio feliciter exacto. Ad nummum etiam Caracallæ inscriptum in parte postica VOTA SOL. DEC. *Vota soluta Decennalia*, pro decennio primo ait (*c*) Tribuniciæ Potestatis feliciter exacto. Liebe vero Vir Cl. credit probatum dedisse Pagium (*d*) *Decennalia, & id genus festa modo exeunte decennio, modo ineunte novo celebrata ab Romanis Imperatoribus fuisse*. Illud præterea Pagio largitur (*e*), solemnia hæc cum ipso Natali die Imperii sui perpetuo haud conjunxisse Imperatores, sed aliquando in similem alterius mensis diem transtulisse. Nec tantum Decennalia, verum etiam Quinquennalia, eaque ne dum Augustorum sed etiam Cæsarum jam tum ab Augusti tempore deducit, quod etiam reliqui (*f*) omnes, quos ante laudavimus, Viri Eruditissimi fecerunt.

Pace tamen ipsorum, *Quinquennalia* ac quædam alia, quæ de *Decennalibus* traduntur, mihi nondum persuasa, quin contra nulla fuisse *Quinquennalia* usque ad Postumum, *Decennalia* vero exacto juxta Tribuniciam Potestatem Decennio passim celebrata fuisse, credo, idque probare conabor: ante tamen, quæ in aliis displicent, Lectorum oculis judicioque subjicienda existimo. Qua in re satis erit, Norisium & Pagium producere, utpote qui ceterorum ducunt agmina.

Expenditur Norisii de Quinquennalibus Imperatorum opinio.

III. Romani itaque Orbis imperio ad Augustum & successores Principes devoluto, Vota non tantum *Decennalia*, sed etiam *Quinquennalia* pro Imperatorum incolumitate concipi cœpisse scribit Vir dignitate ac scientia Eminentissimus (*g*) Norisius, quem plures Viri Eruditiss. sequuntur, & inter eos amicus noster, non sine laude nominandus Rodulphinus Venutus (*h*). Id vero hinc probare nititur (*i*), quod, quum exacto priori decennio in quinquennium rursus imperium regendum

(a) Osservazioni istorich. sopra alcuni Medaglioni Tav. VII. Num. 6. pag. 112.

(b) In. Hist. Aug. ad an. Chr. 159. p. 775. Oper. Sel.

(c) Ibid. ad an. Chr. 207. p. 805.

(d) Cap. VII. de N. Impp. argent. Thes. Frid. XIII. p. 259.

(e) Ibid. p. 260.

(f) Petavius quoq; Quinquenn. jam tum ab Augusto deducit Lib. XI. Doct. Temp. c. 40. referente Jacobo de la Baune in Not. ad cap. 1. Geneth. Maximiani.

(g) Diss. de Vot. Decen. Cap. 1. paullo post init.

(h) Not. in Num. 3. Tab. XXXIX. Num. Vatic. p. 80.

(i) Eod. cap.

gendum

gendum fuſcepiſſet Auguſtus, altero ejuſdem quinquennii anno ex Dione Lib. LIV. *L. Domitio & P. Scipione Coſs.* U. C. DCCXXXVIII. *Agrippa ludos quinquennales propter ejuſdem Principatum dedit.* Hinc Cæſarum quinquennalia exordium ſumpſiſſe, indeque ludos *quinquennales* juxta initi imperii diem quinquennio exacto ab Imperatoribus editos autumat Vir Cl. At non recte, ſi quid ego judico; nam Dio intelligendus eſt de ludis Auguſto propter Actiacam victoriam decretis, qui nec *Quinquenniis*, nec *Decenniis* imperii ejuſdem correſpondent. Anno U. C. DCCXXVI. Cæſar (*a*) Conſul VI. ludos, ſibi propter Actiacam victoriam decretos primum exhibuit una cum Agrippa Conlega. Hi vero ludi *quinto quoque anno, quo temporis ſpatio peragebantur, curæ commiſſi ſunt quatuor Sacerdotum Conlegiis per ordinem, Pontificibus nimirum, Auguribus, Septemviris, & Quindecemviris*: uti Dio ipſe teſtatur his verbis: (*b*) Καὶ αὕτη (πανήγυρις) μὲν διὰ πέντε ἀεὶ ἐτῶν, μέχρι οὗ ἐγίγνετο, ταῖς τέσσαρσιν ἱερωσύναις ἐκ περιτροπῆς μέλουσα· λέγω δὲ τούς τε Ποντίφικας, καὶ τοὺς οἰωνιστὰς, τούς τε ἑπτὰ καὶ τοὺς πεντεκαίδεκα ἄνδρας καλουμένους. Ineunte itaque altero quinquennio, h. e. anno U. C. DCCXXX. Augurum curæ hi ludi incubuere, Septemvirorum anno U. C. DCCXXXIV.; anno autem DCCXXXVIII. ad XV-Viros ſpectarunt; *ac tunc quinquennium Imperii*, ſeu *Principatus Auguſti celebratum eſt, faciente ſumptus Agrippa; nam is quoq; a* Conlegio *Quindecemvirorum, quibus per ordinem horum ludorum curatio incumbebat, cooptatus & inauguratus fuerat*, teſte eodem Dione: (*c*) Κἀν τούτῳ καὶ τὴν πενταετηρίδα τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ διεώρτασαν, τοῦ Ἀγρίππου (ἐν γὰρ τοῖς πεντεκαίδεκα ἀνδράσιν, οἷς ἐκ τῆς περιτροπῆς ἡ διοίκησις αὐτῆς ἐπέβαλλεν, ἱέρωτο διὰ τῶν συνιερέων), ἀναλώσαντος. Nec vero quemquam moretur vox ἀρχῆς, *imperii* nempe, ſeu *Principatus*, qua utitur Dio; hæc enim *Decennalium* aut *Quinquennalium* originem minime reſpicit. Narrata itaque (*d*), quam apud Actium de Antonio & Cleopatra Cæſar retulit, victoria, τοιαύτη τις ἡ ναυμαχία αὐτῶν τῇ δευτέρᾳ τοῦ Σεπτεμβρίου ἐγένετο, *pugnam hanc navalem factam eſſe die ſecunda Septembris* an. U. C. DCCXXIII. adnotat Dio (*e*); idque a ſe non fruſtra commemoratum ait, dies adnotare alioquin non ſolito, ſed quod ab ea die primum Cæſar ſolus rerum potitus ſit, *imperiique ejus recenſio præciſe ab ea ſumatur.* ὥστε καὶ τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν τῆς μοναρχίας αὐτοῦ ἐτῶν ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἀκριβοῦσθαι. Eadem die Cæſarem Apollini, qui apud Actium colebatur, triremem, quadriremem, atque alia navium ge-

(a) Dio Lib. LIII. p. 496. D.

(b) Ibid.

(c) Lib. LIIII. p. 534. C. D.

(d) Lib. L. a pag. 438.

(e) Lib. LI. in princ. p. 442.

nera usque ad deciremem ex captis navibus consecrasse, templum majus exstruxisse, ludos musicos ac gymnicos, & *certamen Equestre cum sacro quinquennali*, ἱπποδρομίας τε πενταετηρικὸν ἱερὸν constituisse subdit. Decretos vero etiam Romæ hujusmodi ludos commemorat, eosque, ubi Apollinis in palatio templum ac bibliothecas perfecit Augustus atque dedicavit *(a)*, ab ipso VI. & Agrippa II. Coss. anno U. C. DCCXXVI. primum exhibitos fuisse tradit. Inde an. U. C. DCCXXVIII. eorumdem, qui quarta jam vice edebantur, meminit, & ad imperium Augusti post partam apud Actium victoriam refert. At vero imperium, a quo *Decennalia* Imperatorum exordium habuere, delatum Augusto tradit anno U. C. DCCXXVII, repetitumq; anno U. C. DCCXXXVI. in quinquennium, quum in exitu esset decennium *(b)*, scribit. Ludi itaque anno DCCXXXVIII. exhibiti ad hoc quinquennium nequaquam pertinent, adeoq; Norisio minime favent. Subdit Vir doctiss., Neronem evoluto primo imperii quinquennio, ac altero inchoato, ludos quinquennales celebrasse. Scribit hæc Tacitus Lib. XIV. Annal. *Nerone* IV. *Cornelio Cosso Coss. (c) Quinquennale ludicrum Romæ institutum est ad morem Græci certaminis*. Idem vero Lib. XVI. Silio Nerva & Attico Vestino *(d)* Coss. ait: *Ac forte quinquennale ludicrum secundo lustro celebrabatur*. Sed hi ludi quinquennales, ut animadvertit etiam Norisius, perpetui a Nerone conditi sunt; unde eos exhibuisse & Gordianum testatur Victor *(e)*, eoq;, inquiens, *anno lustri certamine, quod Nero Romam invexerat, aucto firmatoque, in Persas profectus est*. Ludi vero *quinquennales* juxta initi imperii diem, quinquennio exacto, eodem Norisio auctore, ab Imperatoribus edi consueverunt. Præterea quinquennale ludicrum, de quo Tacitus, institutum legimus a Nerone, adeoque diversum ab eo, quod ab Augusto cœpit, esse debet. Nerone itaque seposito ad Diadumenianum transit Norisius, ejusq; quinquennia imperii memorari credit illis Macrini ad milites apud Lampridium *(f)* verbis: *Habete igitur commilitones pro imperio aureos ternos, pro Antonini nomine*, Diadumeniano filio imposito, *aureos quinos & solitas promotiones, sed geminatas: Dii faciant, ut hæc sæpius fiant. Dabimus autem per cuncta quinquennia id, quod hodie deputavimus*. Ad quem locum Casaubonus etiam notat, morem fuisse, ut *quinquennia* imperii sui celebrarent Imperatores, & *decennia*, ac *Vicennia*. Sed non satis *Quinquennia*, de quibus agimus, ibidem

(a) Lib. LIII. in princ. pag. 496. C. D.

(b) Lib. LIIII. p. 529. B.

(c) An. U.C. 813. Chr. 60.

(d) An. U.C. 818. Chr. 65.

(e) De Cæsarib. in Gord.

(f) In Diadumen. cap. 2.

ibidem exprimuntur. Promittit quidem Macrinus *pro imperio* Filii aureos ternos, pro *Antonini* nomine aureos quinos & ſolitas promotiones, ſed geminatas, & quidem daturum ſe hæc militibus *per cuncta Quinquennia;* at vero nullam *Quinquennalium* feſtorum, de quibus quærimus, mentionem ingerit; adeoque hæc ibidem notari incertum eſt; &, quum probatione locus ipſe indigeat, minus recte ad probandam opinionem ſuam eo utitur Noriſius. Citat poſtremo Vir doctiſs. nummum Poſtumi, quem Inluſtriſs. Spanhemius Diſs. VII. de Uſu & Præſtan. Numiſm. pag. 646. exhibet cum Epigraphe QVINQVENNALES POSTVM. AVG.; fatetur vero nulla Imperatorum numiſmata ante hoc Poſtumianum *Quinquennalia* imperii exhibere; quæ tamen a Conſtantini imperio in nummis Cæſarum frequentiſſime occurrunt. At, ſi nulla Imperatorum numiſmata ante illud Poſtumi *Quinquennalia* exhibent, quin neq; apud Scriptores ulla habetur *Quinquennalium* mentio, non eſt, cur *Quinquennalia* ipſa per id tempus inducere tentet cum aliis Noriſius.

IIII. Pagius etiam *Quinquennalia* admittit, ac perſuadere aliis conatur; quum tamen animadvertiſſet, ludos illos ab Agrippa in honorem Auguſti anno U. C. DCCXXXVIII. exhibitos, ſtabiliendis Imperatorum *Quinquennalibus* minime inſervire (*a*), ipſe aliam *Quinquennalium* ac Decennalium originem ſtatuit. In (*b*) ipſis itaque imperii auſpiciis vota pro Imperatoris ſalute in *Decennium* ſuſcipi, annoque imperii quinto ſolvi, aliaque nuncupari in ſequens *Quinquennium* ſentit. Hoc autem nos doceri tradit (*c*) ſerie Conſulum Cæſareorum. Imperatores enim ac Cæſares annis, quibus hæc ſolemnia edere decreverant, Conſules procedere, poſt Commodum quidem fere ſemper, ante eum vero non raro conſueviſſe adſerit. Quare, quum in Faſtis iidem Imperatores aut Cæſares, modo anno Imperii quinto, modo anno Imperii ſexto Conſules legantur, manifeſtum eſſe ſubdit, ea ſolemnia eodem anno quinto vel ineunte, vel finiente peracta fuiſſe. Fatetur autem hoc probationis genus hactenus ignoratum. Faſtorum tamen diſpoſitione oſtendi validiſſimum, autumat. Ipſo itaque imperii initio *Quinquennalium* Vota ad imperium feliciter auſpicandum ſemper nuncupabantur juxta Pagium, ſed non ſemper anno quinto vel ſexto Imperii ineunte ſolvebantur.

Pagii de Quinquennalibus opinio expenditur.

(a) Diſſ. Hyp. Part. II. c. 2. Num. III.

(b) Num. IV.

(c) Num. V.

His tamen & aliis tanti Viri, immo & Noriſii ac reliquorum

rum omnium, qui cum ipſis Imperatorum *Quinquennalia* admittunt, nondum, ut innui, ego ſum perſuaſus, ante Poſtumum hæc feſta celebrari ſolita; quippe nulla, quæ me impellat, ratio apparet, nullumque exſtat Scriptorum hac de re teſtimonium. Pagius vero non ſatis ſibi conſtat; quippe in Diſſertatione Hypatica, non aliam fuiſſe *Quinquenaliorum*, quam *Decennaliorum* originem ſcribit (*a*), eaque feſta iis annis, quibus Imperium Auguſto prorogatum, acta fuiſſe inſinuat; quod animadvertere ſibi viſus eſt, reliquos Imperatores in *Quinquennalibus* & id genus feſtis eadem, quæ Auguſtus, proportione ſervata, præſtitiſſe; hiſque annis templa ædificata vel dedicata, nova oppida exſtructa, Filios in imperii conſortium vocatos, edicta in favorem religionis, vel boni publici emiſſa, aliaque id genus præſtita; quæ omnia, quum ad hæc ſolemnia relationem habere nullus hactenus obſervaſſet, obſcura remanſiſſe ſubdit, quaſi cæremonias nullius utilitatis, licet ex iis Hiſtoria atque Chronologia ſumma emolumenta hauriat. In Critica vero Hiſtorico-Chronologica (*b*) in Annales C. Baronii ad annum Chriſti XIIII., Tiberiique poſt mortem Auguſti primum, ubi hæc, quæ Dio Libro LVII. de Tiberio habet, recitavit, *Decem annis Imperii ejus exactis, ad reſumendum id, nihil decreto opus habuit: neque enim in Decennia interciſum, quod Auguſtus fecerat, id gerere ſtatuerat*, Tiberium primum ex Imperatoribus fuiſſe docet, qui *Quinquennalia*, *Decennalia*, & id genus feſta in morem induxit. Liquere inde ſcribit (*c*), Imperatores tot *Qinquennalia* & id genus feſta repræſentaſſe, quot modis in imperium vocati fuiſſent. Quare Commodum exempli cauſſa, quia primum a Patre Cæſar eſt dictus, poſtea imperio Proconſulari donatus, tum in Auguſtei imperii conſortium adlectus, ac denique, quia poſt Patris obitum ſolus imperavit, quatuor *Quinquennalia* aliaque id genus ſolemnia edidiſſe tradit. Tribuniciam quoq; Poteſtatem (*d*) inter *Quiquennalium* cauſſas primum recenſuit; at vero poſt Neronem de ea ſilet. Criticam porro ſuam Hiſtorico-Chronologicam hujuſmodi ſolemniis implet, non tamen ſatis validis rationibus; nullum quippe adhibet teſtem, nullumq; citat Auctorem præter Themiſtium, cui tamen non bene ipſum fidere infra conſtabit. Poſt Familiam Juliam in Nerone extinctam Cæſares omnes Vota *Quinquennalia* nuncupaſſe certum ait (*e*); antea vero, quum nomen illud potius Familiæ, quam

(a) Part. II. c. 2. Num. III.

(b) Num. VII.

(c) In Crit. ad an. Chr. 184. Num. II.

(d) Ad an. Chr. 14. Num. VII.

(e) Ibid.

quam imperii esset, Cæsares *Quinquennalia* non exhibuisse, nisi vel Tribunicia Potestate, aut imperio Proconsulari, aut utroque exornati essent. In annum autem Christi xvi. incidere scribit *Quinquennalia* imperii Proconsularis Tiberii ab anno Christi xi. deducta. Quæ ut probet, ad ea provocat, quæ Tacitus Lib. ii. Annal. sub hujus anni (*a*) Coss. Sisenna Statilio Tauro & L. Libone ita scribit: *Fine anni arcus propter ædem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa, ductu Germanici, auspiciis Tiberii, & ædes Fortis Fortunæ Tiberim juxta ---, Sacrarium genti Juliæ, effigiesque Divo Augusto apud Bovillas, dicantur*. Annis enim hujusmodi festis addictis arcus erigi, & Templa dicari consuevisse tradit Vir Cl. Biennio (*b*) post, quum Cæsarei ejus imperii *Quindecennalia* a xiii. Christi anno, quo ei Tribunicia Potestas prorogata, deducere vellet, ad ea solemnia pertinere ait, quæ Tacitus eodem Lib. ii. Annal. Tiberio iii. & Germanico ii. Coss. scribit; hoc est, *Cappadoces in formam Provinciæ redacti Q. Veranium Legatum accepere, & quædam ex regiis tributis diminuta, quo mitius Romanum Imperium speraretur. Commagenis Q. Servæus præponitur, tum primum ad jus Prætoris translatis*. Hæc horum solemnium indicia vocat: annis enim his festis addictis, Regna in Provinciam redacta, populos tributis levatos, & novitates inductas autumat. Anno mox sequenti, Christi xviiii. (*c*) *Quinquennalia* Imperii Augustei Tiberii memorat, & adducto e Gaza Gallorum regia nummo inscripto TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVG. P. M. TR. P. XXI. S. C., in aversa parte CIVITATIBVS ASIAE RESTITVTIS, postquam animadvertit Tribuniciam Pot. xxi. v. Kalendas Julii hujus anni a Tiberio capessitam, annis *Quinquennalibus* & id genus festis dicatis Urbes, aut constructas, aut de novo reædificatas multis exemplis liquere subdit. Anno Christi xxv. (*d*) Imperii Proconsularis Tiberii *Quindecennalia* ponit, multaque haberi indicia scribit apud Tacitum Lib iv. Annal., ubi narrat missos ab Hispania ulteriori Legatos, ut *Senatus* Tiberio Matrique ejus delubrum exstrueret, aliosque a Lacedæmoniis & Messeniis de jure Templi Dianæ Limenetidis, & a Segestanis de æde Veneris restauranda. Quas legationes pro Religione annis Decennalibus destinatis fieri solitas docet. Anno Christi xxvi. (*e*) ad quinta *Quinquennalia* imperii Cæsarei Tiberii refert certamen xi. Asiæ Urbium de honore statuendi Tiberio Templum decertantium, additque

(a) U.C. 769.

(b) An. U.C. 771. Chr. 18. n. II.

(c) U.C. 772. N. II.

(d) U.C. 778.

(e) U.C. 779.

ex Tacito Lib. IIII. Annal. in Campaniam digressum esse Tiberium *specie dedicandi Templi apud Capuam Jovi, apud Nolam Augusto*. Præterea observat, *Herodem* ex Eusebio in Chronico juxta editionem Pontaci & Scaligeri, *Tiberiadem condidisse & Liviadem*, in honorem sc. Tiberii & Liviæ Augustæ. Imperii Proconsularis Tiberii quinta *Quinquennalia* in annum
(a) U.C. 788. Christi XXXV. (*a*) incidere scribit: nam Mediobarbus tres Tiberii nummos producit Tribunicia Pot. XXXVII, quæ hoc anno per ipsum cœpit, insignitos, in quorum altero quadriga triumphalis, in altero globus cum temone, in tertio Templum pulcherrimum cernuntur: quæ hujus festivitatis indicia fidenter pronuntiat. Atque ita ludit Vir insignis, nova sæpe indicia novasque conjecturas *Quinquennalium* promens, aut memoratas repetens. Annis etiam, quibus Imperatores *Quinquennalia* & id genus solemnia dabant, colonias de more insti-
(b) Ad an. Chr. 60. & 64. tutas scribit (*b*); ipsasque ac Urbes conditas, aut dedicatas,
(c) An. Chr. 95. novis nominibus appellatas; persecutiones (*c*) adversus Chri-
(d) An. Chr. 21. stianos excitatas vel auctas; Templum (*d*) aliquod aut ædi-
(e) An. 103. ficium constructum, refectum, aut dedicatum; actos (*e*) trium-
(f) An. 108. phos, novos (*f*) titulos Imperatoribus datos, Victoriarum antea relatarum renovatam memoriam; Congiarium populo distributum, largitiones factas, exhibita munera; sumptum ab Imperatoribus Consulatum, aut, si ipsi non sumerent, in Viros Consulares vel propinquos conlatum; Filios Cæsares ab Augustis nuncupatos, Tribunicia Pot. exornatos, Imperio Proconsulari auctos, vel in consortium imperii adsumptos; Uxores ab Imperatoribus eorumve filiis ductas. Præterea plura alia ad *Quinquennalia* trahit, eorumque indicia facit: unde
(g) Ad an. Chr. 186. N. IIII. & scribit (*g*) nova instituta Romanum Orbem de more vidisse annis Decennalibus & id genus festis addictis. Scriptores quoque opera sua in *Quinquennalibus* publicasse, Orationes Imperatoribus dictas, animalia non antea visa Populo exhibita docet. Quare, quum hujusmodi rebus Historia Romana abundet, sæpius habet Pagius, unde *Quinquennalia* sua hujusmodi indiciis muniat. Quod si annis, quibus celebranda fuissent hæc festa, indicia nulla habet, in proxime antecedentibus aut subsequentibus annis eadem quærit, ac tum *Quinquennalia*, quo simul procedant, anticipat, aut postponit. Sæpe etiam ex Consulatibus *Quinquennalia* arguit, quamvis ex *Quinquennalibus* Consulatus arguere instituerit. Adhuc tamen

præterire

præterire aliquot *Quinquennalia* absque ullo indicio cogitur. Longior vero essem, si singula persequi vellem, quæ Vir acutissimi ingenii adducit, ut hæc festa probet.

Neque vero Pagio favet Themistius, ubi de Consulatu Saturnini ad annum Christi CCCLXXXIII. loquens ait: *Quum superioris memoriæ Imperatores omnes hoc sibi devitandum in primis putare consuevissent, ut ne Quinquennali aut Decennali vertente curriculo eum Magistratum, a quo annus inscribitur, cuiquam concederent; hanc tamen ille* [Theodosius] *prærogativam isti* [Saturnino] *detulit, & Consulatum dedit, neutiquam cum aliis numerandum, sed tanto pluris æstimandum, quanto præsentia Quinquennalia annis prioribus antecellunt. Sic, quod nemini antea tributum fuit, in Imperatorio lustro primas in Rep. privatus tenet.* &c. Aut enim Oratorum more accipiendus est Themistius, ita ut, quod a proxime superioribus Imperatoribus usurpatum fuerat, perpetuum dixerit; aut, si stricte intelligendus est, alucinatum pronuntiare, non veremur Oratorem; alienum nempe esse a vero alibi probamus (*a*), quod heic adserit Themistius, nulli umquam privato concessum fuisse ab Imperatoribus *Quinquennali* aut *Decennali* vertente curriculo Consulatum sumere. De Imperatoribus orientis post divisum inter filios Constantini M. imperium Themistium Pagius (*b*) explicat.

Pagio non favet Themistius.

(a) Num. XII. de Cos.

(b) In Crit. ad an. Ch. 383. n. III.

V. Dio itaque, etsi unius atque alterius Quinquennii alicubi (*c*) meminerit, in quæ elapso primo *Decennio* imperium quasi a Senatu Populoque Romano rursus delatum suscepit Augustus, ita tamen *Quinquennium* utrumque componit, ut nonnisi pro uno eodemque *Decennio* habeat. Neque enim standum est Xylandri, etsi eam admittat Leunclavius, Dionis ipsius interpretationi, ubi legitur (*d*): *Augusto, quum primum decennium exivisset, aliud quinquennium, atq; eo circumacto rursum aliud quinquennium --- decretum est*. Nam ita habet Dio: τῆς γοῦν δεκαετίας ἐξελθούσης, ἄλλα ἔτη πέντε, εἶτα πέντε - ἐψηφίσθη: quæ verba ita pressius veroque propius reddi debent: *Exacto itaque decennio, aliud ac deinde aliud*, [seu *aliud atque aliud*] *quinquennium decretum est*. Qua phrasi non quidem illud exprimitur, quod Xylandri interpretatio præfert, nempe post *decennium* imperii decretum esse Augusto aliud quinquennium, *atque eo circumacto rursum aliud quinquennium:* sed solum dicitur, post decennium *aliud ac dein aliud quinquennium* decreta Augusto fuisse. Non est itaque sensus, quod *circumacto* demum

Quinquennalia ex Dione Cassio probari nequeunt.

(c) Lib. LIII. p. 506. E.

(d) Ibidem.

mum primo *quinquennio* decretum ſit alterum *quinquennium*; ſed quod unum & alterum *quinquennium* exacto jam decennio decretum ſit. Quare tempus quidem indicat hiſtoricus, quo primum *quinquennium* imperii delatum eſt, at vero heic tacet, quando delatum eſt alterum *quinquennium*. Non tamen alibi tacet, quin aperte docet, ſecundum *quinquennium* paullo poſt primum delatum Auguſto fuiſſe. Ad annum igitur U. C. DCCXXXVI. ſcribit, (*a*) ipſum Auguſtum πρῶτον, *primum in aliud quinquennium, ſuum ſibi principatum prorogaſſe, quum jam decennium eſſet in exitu; id enim agebat Publio ac Cn. Lentulo Coſs.; deinde Agrippæ cum alia fere eadem, quæ ſibi, tum Tribuniciam Poteſtatem itidem ad quinquennium dediſſe: tot enim ipſis annos tunc ſufficere dicebat:* ὕστερον γὰρ οὐ πολλῷ καὶ τὰ πολλὰ τῆς αὐτοκράτορος ἡγεμονείας ἔλαβεν, ὥστε αὐτὰ δέκα αὖθις γενέσθαι: *attamen non multo poſt alios adhuc imperatoriæ potentiæ annos accepiſſe, ut aliud ex eis decennium fieret*. Quibus verbis aperte Dio tradit, Auguſtum ante ſuſcepiſſe ſecundum imperii *quinquennium*, quam finiretur primum; quin paullo, poſtquam primum ſuſceperat, accepiſſe ſecundum, atque ita utrumque accepiſſe, ut *Decennium* fieret. Vitavit itaq; *quinquennium* potius, quam induxit Auguſtus; quippe qui, ubi illud admiſit, mox velut facti pœnitens, de eodem producendo cogitaſſe videtur, paulloque poſt re ipſa ad *decennium* produxit; nec amplius ullum aliud *quinquennium* principatus, ſed *decennia* tantum admiſit. Exacto ſane priori illo *quinquennio* continuavit principatum Auguſtus, nec niſi ἐπειδὴ τὰ δέκα ἔτη τὰ δεύτερα ἐξεληλύθει (*b*), *exacto altero decennio* principatum depoſuit, rurſumque ſuſcepit anno U. C. DCCXLVI, & quidem in aliud *decennium*. Hinc ipſe Dio auctor eſt (*c*), Auguſtum *continuatis decenniis per totam vitam imperii ſummam obtinuiſſe*: ὥστε τῇ τῶν δεκετηρίων διαδοχῇ διὰ βίου αὐτὸν μοναρχῆσαι. Nullo itaque modo Auctor *Quinquennalium* Auguſtus; quin potius ipſorum vitandorum Succeſſoribus exemplar exſtitit. Maximam porro vim, maximumque pondus in ea, quæ de *Quinquennalibus* Imperatorum inſtituitur, quæſtione exemplum ipſum Auguſti habere debet; inde enim procedunt, quæ ſucceſſores ſibi imitanda propoſuerunt. Quare, ſi *quinquennia* vitavit Auguſtus, vitaſſe & ejuſdem ſucceſſores *quinquennia* credi dicique poſſunt. Aliquando tamen inducta ipſa *quinquennia* non negamus; at factum id ſequiori tempore, quo & alios diverſoſque a prioribus mores

(a) Lib. LIV. p. 529. B. C.

(b) Dio Lib. LV. pag. 551. E.

(c) Lib. LIII. p. 507. A.

res admittebant, qui Remp. adminiſtrabant, Principes. Ceterum uſque ad Severi Alexandri tempora, fidem nobis facit ipſe Dio, nonniſi *decennia* in uſu fuiſſe.

De *Quinquenniis* igitur mentionem heic nullam ingerit ipſe Dio, ubi ceteroquin de illis tacendum non fuiſſet, tum poſtea perpetuum ſilentium de iis ſervat; quin ita ea præterit, ut ſimul excludere videatur. Nam de exacto primo Tiberii, qui Auguſtum excepit, *Quinquennio* alteroque ſuſcepto non ſolum nihil habet, ſed & *Decennium* primum memorans, nullam *Quinquennii* ab eodem Imperatore rationem habitam ſatis indicat, quum hæc ſcribit (*a*). Διελθόντων δὲ τῶν δέκα ἐτῶν τῆς (a) Lib. LVII. p. 619. A.
ἀρχῆς αὐτοῦ, ψηφίσματος μὲν ἐς τὴν ἀνάληψιν αὐτῆς οὐδενὸς ἐδεήθη· οὐδὲ γὰρ ἐδεῖτο κατατέμνων αὐτήν, ὥσπερ ὁ Αὔγουστος ἄρχειν· ἡ μέντοι πανήγυρις ἡ δεκαετηρὶς ἐποιήθη. *Decem annis imperii ejus exactis ad reſumendum id, nihil decreto opus habuit: neque enim interciſum, quod Auguſtus fecerat, id gerere opus habebat: ludi tamen Decennales facti.* Neque etiam *Quindecennalium* Tiberii is meminit, ſed ſolum *Vicennalia* refert, & quidem hoc modo (*b*): Εἰκοστοῦ ἔτους τῆς (b) Lib. LVIII. pag. 636. C.
ἀρχῆς ἐπιστάντος, αὐτὸς μέν, καίτοι περί τε τὸ Ἀλβανὸν καὶ περὶ τὸ Τούσκουλον διατρίβων, οὐκ ἐσῆλθεν ἐς τὴν πόλιν, οἱ δ᾽ Ὕπατοι Λούκιός τε Οὐϊτέλλιος καὶ Φάβιος Πρίσκος τὴν δεκαετηρίδα ὠνόμαζον, ὡς καὶ τὴν ἡγεμονείαν αὖθις αὐτῷ κατὰ τὸν Αὔγουστον διδόντες. *Viceſimo anno imperii, quum frequens in Albano & Tuſculi eſſet, in Urbem non venit; ſed Coſs. L. Vitellius & Fabius Priſcus Decennium nuncupavere, tamquam ei, ut Auguſto uſitatum, tunc imperium prorogarent.* Ubi *decennium*, nempe ſecundum celebratum dicit ipſo viceſimo imperii anno, quum in *Decennium* tertium Tiberius, more Auguſti, ſuſcepiſſet imperium. Nullam itaq; *Quinquennalium Quindecennaliumve* rationem habuit Tiberius aut Dio. Quorum hic *Decennalium* quoque Severi (*c*) meminit, nulla *Quinquennalium* ejuſdem aliorumve Imperatorum facta umquam mentione. Cum Dione concordant nummi, utpote qui uſque ad Poſtumum nonniſi *Decennales* habent. Occurrunt primum in Antonino Pio (*d*) VOTA SVSCEPTA X, & PRIMI DECENNALES; hinc VOTA SVSCEPTA XX. (*e*), tum VOTA SOL. DECENN. II, ac VOTA SVSCEPTA DEC. III: quæ tamen non ſolvit, nam ante mortuus eſt. Marcus vero Aurelius, qui ei ſucceſſit, VOTA SVSC*epit* DECEN*nalia*, eademque VOTA SOL*vit* DECEN*nalia*; inde VOTA SVSCEP*it* DECENN. II. (*f*). Commodus etiam VOTA DECENN*alia* SVSC*epit* (*g*), & SOL*vit* (*h*), ſuſcepitq; XX. Ita quoque

(c) In princ. Lib. LXXVI. p. 859.
(d) Apud Mediob. p. 199.
(e) Ibid. p. 204. 205.
(f) Apud Mediob. p. 222.
(g) P. 248. 249.
(h) P. 252.

(a) Pag. 275. (b) Pag. 289. (c) Pag. 324. (d) Pag. 375. 376.

que (*a*) Severus, Caracalla (*b*), Alexander (*c*), & Gallienus (*d*), & quod animadversione dignissimum est, ii ipsi, qui ad decimum imperii annum minime pervenerunt, nonnisi *Vota Decennalia* suscepisse ex nummis dignoscuntur. Pertinax, qui dies LXVI. (*e*) tantum imperavit, cum VOTIS DECENNALIBVS (*f*) comparet, sicuti etiam (*g*) Maximinus, qui ad quinquennium imperii minime pervenit. Nummi quoque Balbini & Pupieni VOTIS DECENNALIBVS (*h*) insigniuntur, quum tamen nonnisi paucos menses (*i*) imperarint; ita etiam numismata Decii (*k*), Hostiliani (*l*), Galli & Volusiani (*m*), qui biennium circiter in imperio vixerunt. Paucos quoque menses imperitavit Æmilianus, & tamen cum VOTIS DECENNALIBVS (*n*) occurrit in nummis. Nullibi vero usque ad Postumum *Quinquennales* leguntur. Trahit quidem huc Pagius quosdam nummos ex. gr. Commodi cum Tr. P. VIII. & VOT. DECENN. SVSC. (*o*). At hæc Vota sunt, quæ principio imperii suscipiebantur, & continuabantur in nummis, donec exacto decennio solverentur.

(e) Dio Caff. Lib. LXXIII. in fine p. 839. A. (f) Apud Medi-ob. p. 261. (g) Pag. 328. (h) Pag. 334. 335. (i) Vid. n. XXX. & seq. de Tr. Pot. (k) Pag. 352. (l) Pag. 357 (m) Pag. 359. 360. (n) Pag. 364. (o) In Crit. ad an. Chr. 183 N. II.

Quinquennales circa tempus Postumi inducti.

VI. Occurrunt itaque primum in Postumo *Quinquennales*, referente Spanhemio (*p*) nummum ipsius inscriptum POSTVMVS PIVS AVG*ustus*, in parte aversa QVINQVENNALES POSTVMI AVG. Exinde legimus Mamertinum Maximiani Augusti *Quinquennalibus* præparasse sermonem, quem, quum recitare non potuisset, reservavit, ut *Quinquennio rursus exacto Decennalibus* ejus diceret, *quoniam quidem*, inquit (*q*), *lustris omnibus prædicandis communis oratio est*. Nazarius quoque dicturum se ait (*r*) Constatini M. augustissimas laudes *in cœtu gaudiorum exultantium & lætitiæ gestientis, quam cumulatiorem solito beatissimorum Cæsarum* Licinii Junioris, Crispi, ac Constantini Filiorum *Quinquennia prima fecerunt*. Ea vero addit, quæ rei, de qua agimus, lucem adferunt non parvam, adeoque referenda sunt. *Quintumdecimum annum*, inquit (*s*), *Maximus Princeps salutaris imperii degit, sed auguramur jam Vicennalia, & venturi fidem superiorum felicitate sancimus. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habent, sed in destinatis Decenniis jam Vota properantia & spes volucres constiterunt: horum dehinc compotes propagabimus optabilis boni seriem. - Verum quid agimus, Vicenis aut jam Tricenis annis circumscribendo, quæ æterna sentimus? Ampliora sunt merita Principum, quam optata Votorum. Eat quin immo in immensum felicis*

(p) Diff. XI. de Præst. &c. pag. 323. (q) Genethliac. Maxim. Cap. 1. (r) In princip. Panegyr. (s) Cap. 2.

cursus

curſus imperii, nec humanorum terminos curent, qui ſemper divina meditantur. Hinc in nummis *Quinquennalia* cum *Decennalibus*, *Quindecennalia* cum *Vicennalibus*, ceteraque hujuſmodi junguntur. Videre etiam eſt *Quinquennalia* cum multis *Decennalibus*. Ipſorum Criſpi Conſtantiniq; Cæſarum nummi (*a*) VOT. V. id eſt, *Vota Quinquennalia* præferunt, hinc VOT. X. XV. & XX.; immo alter Criſpi VOT. X. & XV. (*b*) ſimul habet. In illis vero Conſtantis ejuſdem Conſtantini M. Filii occurrunt VOT. V. MVLT. X. (*c*), ac (*d*) VOT. X. MVLT. XV. XX.; quæ etiam ita exprimuntur (*e*) SIC. X. SIC. XX.: inde (*f*) VOT. XX. MVL. XXX.; quæ pariter habentur in nummis Conſtantii Fratris; ubi ita quoque inſcribuntur (*g*) SIC. XX. SIC. XXX. Præterea occurrunt (*h*) VOT. XXX. MVLT. XXXX. Atque hæc in ſequentibus Imperatoribus atque Cæſaribus paſſim videre eſt. Porphyrius in Panegyrico Conſtantino M. *Vicennalium* occaſione dicto, inſcriptoq; AVG. XX. CAE. X., ſcil. *Conſtantini Auguſti Vicennalia*, *Cæſaris Decennalia*, Criſpi *Decennia* canit vovetque *ſecunda*; Conſtantini vero *Vicennia* celebrat, ac *Tricennia* precatur. Arcadius anno imperii quinto, Valentiniano III. & Eutropio Coſs., h. e. anno Chriſti CCCLXXXVII. *Quinquennalia propria cum Theodoſio Auguſto Patre ſuo editionibus ludiſque celebraſſe dicitur* XVII. *Kal. Feb.*, apud Idacium (*i*) & Marcellinum Comitem (*k*). Theodoſius quoque Junior *Quinquennalia* anno Chriſti CCCCXXXIX. *octava*, & CCCCXXXXIIII. (*l*) *nona Quinquennalia dedit*. Forte & huc reſpexit Symmachus, quum in Epiſtola ad Valentinianum Juniorem ſcripta (*m*), Gratianum, ait, *quum tertium luſtrum ævi Imperialis exigeret*, *parciore munificentia honoratum* fuiſſe.

(a) Apud Mediob. p. 472. 475. & alios nummorum collectores.
(b) Pag. 473.
(c) Pag. 480.
(d) Pag. 481.
(e) Ibid.
(f) Ibid.
(g) Pag. 491.
(h) Pag. 493.
(i) In Faſt.
(k) In Chron.
(l) Marcellin. in Chron.
(m) Ep. 26. Lib. X.

De tempore, quo Quinquennalia & Decennalia Vota ſolvi conſueverunt.

VII. Promenda nunc eſt noſtra opinio. Hæc autem lucem accipit ab iis, quæ modo de *Tribunicia Poteſtate* tradidimus, viciſſim tamen etiam illis robur addit. Si enim hæc ipſa, quam de *Votis Quinquennalibus* atque *Decennalibus* exhibituri ſumus, conſtiterit opinio, litem omnino dirimet, quæ de *Tribunicia Poteſtate* reſtat. Probandum heic itaque ſumimus, Romanum Orbem Imperatoreſque ipſos *Quinquennia* atque *Decennia* prima imperii quoad annum primum incompleta numeraſſe, reliqua completa. Quod ſi perfecerimus, idipſum, quod de *Tribunicia Poteſtate* inſinuavimus, perſuaſum iri confidimus. Nedum enim exemplo res veroſimilis reddetur; verum etiam ſtabilietur: καὶ δὴ αὐτῆς καὶ ἡ ἐξαρίθμησις τῶν ἐτῶν τῆς

ἀρχῆς αὐτῶν -- προβαίνει: *nam juxta Tribuniciam Poteſtatem enumeratio annorum Principatus ipſorum* Imperatorum *procedebat*, teſte toties laudato Dione Caſſio (*a*). Itaque diximus, *Tribuniciam Poteſtatem* primam haud integram, h. e. haud annuam Imperatores, ſeu qui eadem ornati erant, geſſiſſe, reliquas integras & annuas uſque ad ultimam, quæ ſæpius ac paſſim incompleta propter obitum remanebat. Pari modo nunc adſerimus, annum primum primi *Quinquennii* ſeu *Decennii* incompletum fuiſſe; ſecunda vero ac reliqua *Quinquennia* atque *Decennia* completa, ſeu ex integris annis conſtitiſſe. Quod & factum eſt, quoties aliquis primum *Tribuniciam Poteſtatem*, poſtea imperium accepit. Tunc enim, quum *Tribunicia Poteſtas* prima, utpote quæ ante præteriit, in nullum *Quinquennii* aut *Decennii* annum incurrerit, obſervatur etiam, *Quinquennia* & *Decennia*, quamvis prima illa ſint, omnino completa exſtitiſſe. Hoc autem oſtendit, a *Tribunicia Poteſtate*, prout teſtatur Dio, pependiſſe annos imperii. Lectorem porro monemus, *Votorum* omnium ſive *Quinquennalium* ſive *Decennalium* ſolutionem diei ac menſi alicui illigare nos non audere; quum id monumenta aut non ſatis probent, aut minime permittant.

(a) Lib. LIII. p. 508. D.

Auguſti Decennalia.

VIII. Et, ut ibi incipiamus, unde prodierunt *Decennia*, anno U. C. DCCXXVII. ἕβδομον ὑπατεύων (*b*), *ſeptimum Conſulatum gerens* Auguſtus, ἐς δέκα ἔτη τὴν ἀρχὴν τῶν δοθέντων οἱ ὑπέςη (*c*), *imperium in ſuas provincias in decennium ſuſcepit*. Decennium hoc ſolis *novem* annis conſtitiſſe, nec ullam veri ſpeciem habet, nec Dio, qui hæc ſcribit, aut ullus alius Scriptor id tradit. Dio ipſe teſtatur (*d*), τῆς γοῦν δεκαετίας ἐξελθούσης, Auguſto, *quum hoc Decennium exiſſet*, aliud atque aliud Quinquennium imperii decretum fuiſſe. Si integris *decem* annis *primum* hoc *Decennium* conſtitiſſet, ejus finis in annum U. C. DCCXXXVII. inciſſet. Attamen fidem facit Dio (*e*), Auguſtum *in aliud Quinquennium, ſuum ſibi principatum prorogaſſe*; ἐπειδήπερ ὁ δεκέτης χρόνος ἐξήκων ἦν, (ταῦτα γὰρ Πουπλίου τε καὶ Γναίου Λεντούλου ὑπατευόντων ἐγένετο), *quum Decennium eſſet in exitu, Publio ac Cnæo Lentulo Coſs.* anno U. C. DCCXXXVI. Aliquem igitur annum incompletum habuit hoc Decennium. Reliqua autem *Decennia* completa peregit Auguſtus. Etenim anno U. C. DCCXLVI., ἐν ᾧ Ἀσίνιός τε Γάλλος καὶ Γάϊος Μάρκιος ὑπάτευσαν, *quo Coſs. fuere Aſinius Gallus & Cajus Marcius* (*f*), -- *quum principatum depoſuiſſet* Auguſtus,

(b) Dio Caſ. Lib. LIII. in princ. p. 497. D.
(c) Id. eod. Lib. pag. 504. B.
(d) Eod. Lib. p. 506. E.
(e) Lib. LIV. p. 529. B.
(f) Id. Dio Lib. LV. pag. 551. B. E.

Auguftus, ἐπειδὴ τὰ δέκα ἔτη τὰ δεύτερα ἐξεληλύθει, *quippe jam exierat fecundum decennium, rurfus fufcepit invitus*; hoc enim præfeferebat. Demum Λουκίου δὲ δὴ Μουνατίου καὶ Γαΐου Σιλίου ἐς τοὺς ὑπατεύοντας ἐσγραφέντων, τήν τε προστασίαν τῶν κοινῶν τὴν δεκέτιν, τὴν πέμπτην ἄκων δὴ ὁ Αὔγουστος ἔλαβε, καὶ τῷ Τιβερίῳ τὴν ἐξουσίαν τὴν δημαρχικὴν αὖθις ἔδωκε (*a*): *L. Munatio C. Silio Cofs.* anni U. C. DCCLXVI., *Auguftus quintum in Decennium gubernationem Reipublicæ, invitus fcilicet, accepit: Tiberio Tribuniciam Poteftatem prorogavit*. Omnia igitur *Decennia* præter *primum* completa peregit Auguftus. Notandum vero eft, in *primum* ejus *Decennium* incidiffe quoque principium *Tribuniciæ Poteftatis*; hæc enim decreta eft ei anno U. C. DCCXXXI.

(a) Id. Lib. LVI. pag. 588. B.

Tiberii Decennalia.

IX. *Obiit* Auguftus (*b*) *duobus Sextis, Pompejo & Appulejo Cofs.* anno U. C. DCCLXVII. XIV. *Kal. Septembris*, eique fucceffit Tiberius: qui, quum antehac *Tribunicia Poteftate* ornatus fuiffet, quidquid incompleti in ea effe poterat, jam præterierat, adeoque completum & *primum* imperii *Decennium* peregit. Ejufdem meminit Dio, fed tempus tacet: ex tempore tamen, quod *Vicennio* adfignat, *Decennium* anno U. C. DCCLXXVII. celebratum arguere licet. Græca Hiftorici tam de *Decennio* quam de *Vicennio* verba jam adtulimus; quapropter interpretatione heic contenti erimus. *Decem*, inquit (*c*), *annis imperii ejus exactis, ad refumendum id nihil decreto opus habuit: neque enim intercifum, quod Auguftus fecerat, id gerere ftatuerat. Ludi tamen Decennales facti*. De *Vicennio* autem hic eft ejus fenfus (*d*): *Vicefimo anno imperii, quum frequens in Albano & Tufculi effet* Tiberius, *in Urbem non venit: fed Cofs. L. Vitellius & Fabius Prifcus Decennalia nuncupavere, tamquam ei, ut Augufto ufitatum, tunc imperium prorogarent*. L. Vitellius & Fabius Prifcus fuere Cofs. anno Urbis C. DCCLXXXVII. Chr. XXXIV.; ac tunc completus eft annus vicefimus Principatus Tiberii poft mortem Augufti.

(b) Sueton. in Vit. cap. 100.

(c) Lib. LVII. p. 619. A.

(d) Lib. LVIII. pag. 636. C.

X. Claudius, Nero, ac Domitianus *Decennium* imperii exceffer unt; & Vota *Decennalia* celebraffe non eft dubium: attamen nec Dio, nec ullus antiquorum Scriptorum meminerunt harum folemnitatum; quamvis Panvinius (*e*) & Calvifius (*f*) adferant, fcribere Dionem, Fefta *Decennalia* ab his Imperatoribus celebrata fuiffe. Vota hujufmodi Trajano imperante foluta in Bithynia indicat in fuis ad ipfum Trajanum ex ea Provincia Epiftolis Plinius (*g*), qui ibidem Imperatoris

(e) Ad ann. U. 804.

(f) In Op. Chron.

(g) Lib. X. Epp. 17. 35. 36. 52. 53. 91. 92. 103. 104. 105. & 106. Edit. Aldi 1518.

peratoris agebat Legatum: at in primis, qua Epiſtola id indicet, non conveniunt harum rerum periti; tempus præterea non notatur, quo ea ſolemnia cum Provincialibus ediderit Plinius, id vero perquirere longa ac dubia res eſſet: quare in incertis detinere Lectorem non placet. Hadrianus *tertio (a) Iduum Auguſti natalem imperii inſtituit celebrandum*, quando exceſſus ei Trajani nuntiatus eſt anno U. C. DCCCLXX. Chr. CXVII. Peractæ tamen hujus celebrationis nullum in nummis & aliis monumentis nullumque apud hiſtoricos veſtigium occurrit.

(a) Spartian. in Vit. cap. 4.

Decennalia atque Vicennalia Antonini Pii.

XI. Antoninus Pius ab Hadriano *adoptatus eſt (b)* V. *Kalendas Martias die* anno U. C. DCCCXCI. *(c)*; *factuſque eſt Patri & in imperio Proconſulari & in Tribunicia Poteſtate collega*: Hadrianoque apud Bajas die X. Julii ejuſdem anni mortuo ſucceſſit in imperio. Habentur in ejus numiſmatis cum TR*ibunicia* PO*teſtate* XI. VOTA SVSCEPTA X., ſive VOTA SVSCEP. DECENN. *(d)*, AC PRIMI DECENNALES *(e)*. *Tribunicia Poteſtas* Antonini, ſiquidem V. *Kal. Martias die* ſingulo quoque anno multiplicetur, hac ipſa die anno U. C. DCCCCI. *(f)* numerari XI. cœpiſſet; & annus X. imperii, ſeu primum *Decennium* undequaque completum finem habuiſſet die X. Julii eodem anno; ac tunc ſoluta Vota Decennalia Prima, ſuſceptaque ſecunda dici poſſent. Quod ſi *Tribunicia Poteſtas* Pii die X. Dec. anni U. C. DCCCXCI. iterata eſt, eademque die quotannis multiplicata, die X. Dec. anni U. C. DCCCC. cœpiſſet *undecima*: quod de annis quoque imperii, quoties cum *Tribunicia Poteſtate* proceſſerint, dici poteſt. Utrique vero putandi *Tribuniciam Poteſtatem* annoſque imperii modo conveniunt hæc *Vota Decennalia* prima, quemadmodum etiam VOTA SVSC*epta* DEC*ennalia* III., quæ conjuncta habentur in nummis *(g)* cum TR*ibunicia* PO*teſtate* XXI. Hinc in TR. P. XXII. continuantur *(h)* VOTA SOLVTA DECENN. II., & VOTA SVSCEPTA DECEN. III.; prout continuari ſolebant in nummis pariter & inſcriptionibus Conſulatus titulique Imperatorii ob partas victorias, quouſque augerentur.

(b) Capitol. in Anton. cap. 4.
(c) Chr. 138.
(d) Apud Mediobarb. pag. 199.
(e) Apud eumd. ibid. & Hard. in Hiſt. Aug. ad an. Chr. 148. & in Gaza Medicea.
(f) Chr. 148.
(g) In Muſ. Arigon. num. Æ. 2. formæ.
(h) In Nummis apud Mediob. p. 205. Hard. in H. A. ad an. Chr. 159.

M. Aurelii Decennalia.

XII. Marcus Aurelius ſecutus eſt in imperio Antoninum Pium Nonis Martii anno U. C. DCCCCXIV. *(i)*, quo tempore *Tribuniciam Poteſtatem* XV. Marcus ipſe agebat. VOTA porro SOLVTA DECENNALIA occurrunt in ejus nummis *(k)* TR*ibunicia* PO*teſtate* XXV. inſignitis. Sic etiam in eadem TR. P. XXV. leguntur

(i) Chr. 161. Vid. Com. in Num. 3. Tab. XIX. & n. XXIV. de Tr. P.
(k) Apud Mediob. p. 222. Hard. in H. A. ad an. Chr. 171.

leguntur (*a*) PRIMI DECENNALES, & VOTA SVSCEPTA DECEN. II. Quare manifeſtum fit, non alia *Vota* ante id tempus *ſolviſſe* Marcum; etſi multo ante imperium *Tribunicia Poteſtate* (*b*), *atque imperio extra Urbem Proconſulari* donatus fuerit. Quod contra Noriſium ac Pagium facit, qui Cæſares *Vota Decennalia* ob acceptam *Tribuniciam Poteſtatem* & Proconſulare imperium celebraſſe tradunt. Completum porro fuit hoc Marci Decennium; nam ea *Tribunicia Poteſtas*, quæ ſolet eſſe incompleta, jam præceſſerat. Secundum vero *Decennium* non complevit; ſed in TR*ibunicia* P*oteſtate* XXXIIII. vita imperioque functus eſt. *Decennales* itaque *Primos* tantummodo, eoſque imperii tantum celebravit Marcus nummis teſtibus; quapropter minime ſunt admittenda tot illa tantaque Quinquennalia & Decennalia, quibus Marci imperium onerat Pagius; nam præter Quindecennalia Imperii Auguſtei, ſeptima Quinquennalia imperii Cæſarei, tum etiam ſeptima Quinquennalia imperii Proconſularis cum ſuis Decennalibus obtrudit.

XIII. Commodus *Imperator* (*c*) *appellatus* eſt V. *Kalendas Exſuperatorias*, id eſt, Novembris ſive Decembris (*d*), *Pollione iterum & Apro Coſs.* anni U. C. DCCCCXXIX. (*e*). In ejus autem nummis habentur VOTA DECENN. SVSC. TR. P. VI. (*f*), TR. P. VIII., VIIII., ac X. (*g*); quæ *Vota* ſpectant omnia ad primum imperii Decennium: VO*ta* vero DE*cennalia* conjuncta cum TR*ibunicia* P*oteſtate* XI. (*h*) ſignificare poſſunt *Vota* ſoluta pro exacto Decennio; quæ VOT*a* SOL*uta* DEC*ennalia* continuantur in TR*ibunicia* P*oteſtate* XII. (*i*). Demum VOT*a* XX. cum TR*ibunicia* P*oteſtate* XV. (*k*) ſunt Vota Vicennalia ſeu Decennalia ſecunda ſuſcepta; quæ tamen ſolvere Commodus non potuit, morte præventus.

XIV. Pertinace ac Juliano poſt Commodum intra breve tempus interemptis, admotus eſt ad imperium L. Septimius Severus anno U.C. DCCCCXLVI. (*l*), primum quidem a militibus appellatus Imperator, confirmatus deinde a Senatu initio Junii ejuſdem anni. Ὁ δὲ Σεβῆρος ἐπὶ τῆς δεκετηρίδος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ κ. λ. (*m*) *Severus autem propter Decennium Principatus ſui tam univerſæ plebi, quæ annonam accipiebat e publico, quam militibus Prætorianis tot aureos, quot annos imperaverat, dedit.* Ἐποιήθησαν δὲ καὶ οἱ γάμοι τοῦ τε Ἀντωνίνου τοῦ υἱοῦ τοῦ Σεβήρου καὶ τῆς Πλαυτίλλης τῆς τοῦ Πλαυτιανοῦ θυγατρός. *Celebratæ ſunt etiam nuptiæ Antonini*

(a) Apud eoſd.

(b) Capitol. in M. cap. 6.

Commodi Decennalia.

(c) Lamprid. in Vit. cap. 12.

(d) Vid. Num. XXV. pag. 122. 123. de Trib. Pot.

(e) Chr. 176.

(f) Apud Mediob. p. 246. Noriſ. cap. 3. de Vot. X. Hard. in H. A. ad an. Chr. 181.

(g) Apud Mediob. Hardu. in H. A. & Pagium in Crit. ad an. Chr. 183. n. II.

(h) Apud Hard. in Hiſt. Aug. ad an. Chr. 186. & Mediob. pag. 251.

(i) Apud Mediob. pag. 252. Noriſ. cap. 3. de Vot. X.

(k) Apud Noriſ. ibid. & Hard. in H. A. ad an. Chr. 190.

Sept. Severi Decennalia.

(l) Chr. 193. Vid. Numer. XXVI. de Trib. Pot. & Com. in Num. 2. Tab. XXXIII.

(m) Dio Caſſ. in princ. Lib. LXXVI.

Filii Severi & Plautillæ Plautiani filiæ. ---. *Tum edita quoque ſunt varia ſpectacula* ἐπί τε τῇ ἀνακομιδῇ τȣ̃ Σεβήρȣ, ϗ ἐπὶ τῇ δεκετηρίδι αὐτȣ̃, ϗ ἐπὶ ταῖς νίκαις, *propter reditum Severi, & ejus Decennalia atque victorias*, teſte Dione Caſſio, qui Romæ erat, hiſque ipſis interfuit (*a*). Qui & notat (*b*), τὴν τε θυγατέρα αὐτȣ̃ τῷ υἱεῖ ἐμνήςευσε, *Filiam ipſius Plautiani Filio ſuo in matrimonium dediſſe* Severum, *multis Virginibus honeſtis poſthabitis*: Ὕπατόν τε ἀπέδειξε: ipſumque Plautianum *deſignaſſe Conſulem*. Proceſſit *Conſul* Plautianus cum Geta Severi Imper. Fratre Kalendis Januariis anni U. C. DCCCCLVI. (*c*); quare imperii Severi *Decennium* cum nuptiis filii celebratum eſt anno ſuperiore. Hinc conſtat, incompletum fuiſſe hujuſmodi *Decennium*; quippe quod undequaque completum non fuiſſet niſi anno ipſo DCCCCLVI. Anno itaque anteriore, quo Kalendis Januariis Severus & Antoninus *in Syria* (*d*) *Conſulatum inierunt*, Romam reverſi ſunt, & *Decennium* nuptiaſque celebrarunt. Deſcribit Harduinus (*e*) nummum Severi argenteum apud P. Chamillart, & eſt etiam in Gaza Saxo-Gotthana (*f*), exhibente illum Cl. Liebe, cum epigraphe in parte poſtica VOT. SVSC. DEC. P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. Noriſius (*g*) autem alium nummum antea ex Occone exſcripſerat, cum iiſdem VOT. SVSC. DEC. & TR. P. XI. Aberratum quidem in numero *Tribuniciæ Poteſtatis* apud Occonem ſuſpicatur Liebe. Verum eumdem *Tribuniciæ Poteſtatis* numerum in Antonino quoque Pio & in Commodo paullo ante notavimus; ſeque invicem hujuſmodi nummi tuentur. *Undecima* itaque *Tribunicia Poteſtas* Severi juxta opinionem noſtram numerata initium habuit die X. Dec. anno U. C. DCCCCLV. (*h*); ac tum SVSC*epta* adhuc DEC*ennalia* diſcimus; mox vero *ſoluta* inde intelligimus, quod cum nuptiis Caracallæ ac Plautillæ ante proximas Kalendas Januarias ſint celebrata. PRIMI DECENNALES continuantur in nummis Severi ſubſecutis annis, atque ita occurrunt cum titulo IMP. XII. (*i*), quem propter victorias Britannicas demum ſuſcepit Severus.

(a) Ibid.
(b) Lib. LXXV. pag. 857. D.
(c) Chr. 203.
(d) Spartian. in Sev. cap. 16.
(e) In H. A. ad an. Chr. 203.
(f) In Theſ. Frid ſeu Saxo-Gotth. cap. VII. 13. pag. 803. & ſeq.
(g) Cap. 4. de Vot. X.
(h) Chr. 202.
(i) Apud Hard. in Hiſt. Aug. ad an. Chr. 203.

Caracallæ Decennalia.

XV. Quemadmodum in Severo, Commodo, & Pio *Vota ſoluta Decennalia* vidimus in eorum *Tribunicia Poteſtate* XI., ita factum in Antonino Caracalla novimus ex hac ejuſdem nummorum epigraphe (*k*) VOTA SOL. DEC. PONTIF. TR. P. XI. COS. III. Auctor eſt Emin. Noriſius (*l*), Antoninum primum fuiſſe Romanorum Principum, qui ſtatum *Vicennalium*

(k) Apud Vaill., Mediob., Hard. & al.
(l) Cap. 4. de Vot. X.

lium tempus antevertit. Proferuntur ab Occone ejuſdem numiſmata in poſtica parte hanc epigraphen exhibentia TR. P. XX. COS. IIII. P. P. VICT. PART., ubi cernitur Victoria in clypeo inſcribens VOT. XX. *Anno* CCXVII, inquit Purpuratus, *Tribuniciam Poteſtatem* XX. *auſpicabatur, quo tempore Vicennalia imperii egit, quæ ineunte anno* XXI. *veteri more, celebrari debuerant.* Harduinus quoque (*a*) *Vota Vicennalia, ipſo anno Tribuniciæ Poteſtatis ſoluta* explicat: ſic etiam Pagius (*b*), Mediobarbus (*c*) & alii. Nos *Vicennalia* ſuſcepta, minime vero ſoluta interpretamur. Ipſe Noriſius, qui laudatorum Virorum agmen ducit, nobis etiam hac in re præivit. Is paullo poſt ſuperiora notat, in Alexandri nummis Occonem pagina 415. unum proferre in averſa parte ſignatum VOTIS DECENNALIBVS. *Ubi nuncupata*, inquit (*d*), *initio imperii Vota exprimuntur*. Quod ut perſuadeat, hæc ſubdit. „ Extant in Gaza „ Sereniſſimi Magni Ducis Coſmi III. Numiſmata Pupieni, „ Balbini, Maximini, Æmiliani, Voluſiani, Decii, item in „ Cimeliis Sereniſſimi Card. Leopoldi, nummi Pertinacis, „ Hoſtiliani, & Galli Treboniani, in quibus omnibus legi- „ mus: VOTIS DECENNALIBVS. Cum nullus eorundem Im- „ peratorum quartum imperii annum attigerit, imo quidam „ paucos tantum menſes Principes vixerint, *colligimus lauda-* „ *tam epigraphen deſignare vota, quæ in ipſis imperii auſpiciis ii-* „ *dem in Decennium ſuſcepere.*

(a) In H. Aug. ad an. Chr. 216.
(b) In Crit. ad an. Chr. 217. n. II.
(c) Pag. 295.
(d) Eod. cap. 4.

Alexandri Decennalia.

XVI. Noriſius, ut hæc docuit, mox addit, Alexandrum de more anno decimo exacto, nempe noſtræ Epochæ CCXXXII. Lupo & Maximo Coſs. *Vota Decennalia* ſolviſſe, & *Vicennalia* nuncupaſſe. Subdit, hæc *Vota* exprimi in nummo Gazæ Mediceæ, in quo Alexandri effigies viſitur cum inſcriptione in poſtica: VICTORIA AVGVSTI: & in clypeo VOT. X. a Victoria ſcribuntur. At ego ſatis non intelligo, quomodo hæc epigraphe de *Votis Decennalibus* exactis & ſolutis ſumi debeat; illa vero, quæ eſt in Nummo Occonis, de *Votis Decennalibus* initio imperii nuncupatis, accipi oporteat. Itaque obſervo, VOT*a* X. copulari cum TR. P. VIII. (*e*), VIIII. (*f*), & X. (*g*) in nummis ejuſdem Alexandri; atque omnia de *Votis* X. ſuſceptis interpretor, eo prorſus modo, quo explicare omnes cogimur illam aliam epigraphen (*h*) VOTIS VICENNALIBVS; hæc enim *Vota* certe non ſolvit Alexander; quippe qui multo ante viceſimum imperii annum mortuus eſt.

(e) Erizz. pag. 478.
(f) Vaill. Tom. I. p. 139. Mediob. pag. 324. ex Muſ. Theup. & Polar.
(g) Mediob. ibid.
(h) Id. ibid.

XVII.

XVII. Auctor est Trebellius Pollio (*a*), Gallienum *Decennia celebrasse novo genere ludorum, nova specie pomparum, exquisito genere voluptatum*. In adsignando tamen his solemnibus tempore discordant Chronologi: inter quos Pagius (*b*) & Basnagius (*c*) anno U. C. MXV. (*d*), Norisius (*e*) vero & Tillemontius (*f*) anno sequenti ea deputant. Nec vero litem inter ipsos dirimere posse videtur nummus Patr. Chamillart ab Harduino descriptus (*g*), in cujus parte antica habetur caput laureatum Gallieni cum epigraphe ΑΤΤ. Κ. Π. ΛΙΚ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ ΕΤ. ϹΕΒ., *Imperator Cæsar Publius Licinius Gallienus Pius Augustus*; & in parte postica est corona laurea, intra quam ΔΕΚΑΕΤΗΡΙϹ ΚΤΡΙΟΤ. *Decennalia Domini*, infra L. I. *Anno decimo*. Nam hic annus, juxta laudatorum Virorum sententiam computatus, si incœptus intelligatur, cadit in annum U. C. MXV. (*h*), si completus, cadit in annum MXVI.; & utrique anno majori vel minori ex parte correspondere potest, prout citius vel tardius inaugurationem Gallieni imperatoriam statuere, cuique libet. Quapropter tempus celebrati *Decennii* uni potius quam alteri anno deputari ex hoc nummo posse non videtur. Nos tamen, qui annos imperii, sicut de Tribunicia quoq; Potestate opinamur, quoad principium incompletos putamus, finem ejusdem anni *decimi*, Gallieni *Decennio* adsignare debemus; qui finis cadit in annum U. C. MXV. exeuntem. Nec sane ante id tempus statui posse videtur hæc solemnitas; nam, etiamsi *Gallieno & Faustino Coss.* hujus anni, quibus eam addicere Trebellius Pollio (*i*) videtur, peracta dicatur, tot ac tanta eodem referente historico (*k*) præcesserunt, ut nonnisi sub exitum anni locum habere possit.

Græcos hujus generis nummos, annis Imperatorum insignitos, in Ægypto seu Alexandriæ cusos diximus (*l*); hinc nasci potest dubium, quomodo laudatus nummus cudi in Ægypto potuerit, quum ibi regnaret Æmilianus, quo tempore *Decennalia* celebravit Gallienus. *Hac pompa*, Decennali sc., inquit Trebellius (*m*), *homo ineptus eludere se credidit Populum Romanum. Sed, ut sunt Romanorum facetiæ, alius Postumio favebat, alius Regilliano, alius Aureolo, alius Æmiliano, alius Saturnino; nam & ipse jam imperare dicebatur*. In Vita vero Æmiliani (*n*) narrat, *quare coactus ipse Æmilianus sumpsit imperium in Ægypto*. Accedit, quod ante Æmilianum Macrianus in Oriente *factus est* (*o*) *cum Macriano & Quieto duobus filiis*,

Gallieni Decennalia.

(a) In duob. Gallien. cap. 7.
(b) In Crit. ad an. Chr. 262. n. I.
(c) In Ann. Pol. Eccl. ad an. Dom. 262. n. IV.
(d) Chr. 262.
(e) De Vot. X. cap. 5.
(f) In Gallien. Art. XII. & Not. IX.
(g) In H. A. ad an. Chr. 262.
(h) Chr. 262.
(i) Cap. 5. cum seqq.
(k) Ibid.
(l) Num. XIV. de Trib. Pot. pag. 68.
(m) Cap. 9.
(n) Num. XXI. seu cap. 22. Trig. Tyr.
(o) Id. ibid. n. XI. seu cap. 12.

filiis Imperator. Et quidem ipſius Macriani habentur ſimiles nummi cum L. A. *anno primo* (*a*), quin & cum L. B. *anno ſecundo* (*b*), tum etiam Quieti cum L. A. *anno primo* (*c*), ac etiam Macriani junioris (*d*). At in primis, quoties hujuſmodi nummi Ægypto quidem, ſed non omnes uni Alexandriæ adſignentur, credi poteſt, aliquas Urbes fidem ſervaſſe Gallieno, eique nummos dicaſſe. Quod ſi Alexandrinos eſſe omnes hoſce nummos quis velit, notandum eſt eoſdem anno Gallieni *octavo* inſignitos minime, quod ego ſciam, occurrere; quod tempus imperio Macriani congruit. Si vero ſint nummi etiam cum eodem anno *octavo*, fieri potuit, ut hunc annum tum Gallienus adtigerit, tum Macrianus majori ex parte peregerit, & ſic utrique congruat; e contra annum ſequentem adtigerit Macrianus, majori vero ex parte Gallienus in imperio peregerit. Atque hoc modo, qui veroſimillimus eſt, habere poſſumus tam nummos Gallieni cum anno *octavo* & *nono*, quam Macriani & filiorum cum anno *primo* & *ſecundo*; ac rurſus Gallieni cum L. I. *anno decimo*, quamvis tum in Ægypto imperium obtinuerit Æmilianus; qui non multum regnaſſe dignoſcitur, tum quod ejus nummi, quantum mihi conſtat, annum ſolummodo primum exhibent, tum quod habentur illi Gallieni cum *anno* XI. & ſequentibus.

(a) Muſ. Theup. pag. 1188.
(b) Apud Goltz.
(c) Muſ. Theup. ibid.
(d) Apud Hard. in H. A. ad an. Chr. 276. p. 866. Oper. Sel.

Conflari tamen aliud dubium inde poteſt, utrum ſcilicet annos imperii Gallieni propter Macriani & Æmiliani imperium, in numerando interruperint atque ſuſpenderint Ægyptii. Sane non videntur numerare potuiſſe ejus annos imperii, cui non parebant, eo vel maxime, quod alterius numerabant annos. Pietate ac doctrina Cl. Dionyſius Alexandrinus, tyrannidem Macriani vellicans, hæc inter alia ſcribit (*e*): ἀνεδείχθη καὶ συνανωμολογήθη παρὰ πάντων ὁ Γαλλιῆνος, παλαιὸς ἅμα βασιλεὺς καὶ νέος, πρῶτος ὢν καὶ μετ' ἐκείνους παρών: *Gallienus igitur & antiquus & nouus Imperator denuo ſummo omnium conſenſu declaratur*. Et paullo poſt: ὑπερβὰς τὴν ἑπταετηρίδα, νῦν ἐνιαυτὸν ἔνατον διανύει: *ſeptennalem circulum jam emenſus, nonum imperii annum degit*: qua phraſi videtur Dionyſius præteriſſe tempus, quo Macrianus in Ægypto imperaverat. In ipſo etiam, quem inluſtramus, nummo *Decennales* dicuntur *Domini*, ad diſtinctionem Tyrannorum. Præterea obſervat Harduinus (*f*) nullos apparere Gallieni aut Saloninæ Uxoris nummos cum nota anni Iϛ *ſextidecimi*; quum tamen nummos Latinos Gallieni

(e) Apud Euſeb. Libr. VII. Hiſt. Eccl. cap. 23.
(f) In Hiſt. Aug. ad an. Chr. 268.

cum

(a) Ibid. cum TR. P. XVI. & ipſe *(a)* & alii Antiquarii producant. Unde ſuſpicari licet, tempus, quo Macrianus & Æmilianus in Ægypto imperarunt, Gallieno Ægyptios ipſos detraxiſſe. Quod ſi ita res habuit, annus *decimus*, quem cum *Decennalibus* Gallieni compoſuerunt, æquivaleret *undecimo*. Nec vero id nobis negotium faceſſeret, qui *Tribuniciam* quoque *Poteſtatem* XI. aliorum Imperatorum hujuſmodi ſolemniis deputavimus. Si vero res aliter habuit, exeunte anno X. imperii *Decennium* celebraſſe dici poteſt Gallienus, ſicuti & Commodus; cujus numiſmata cum epigraphe PRIMI DECENN. P. M. TR. P. X. (b) Apud Patin. in Indice & Mediob. pag. 249. *(b)* ſuperius nos effugerunt.

Decennalia Poſtumi.

(c) De Numiſm. Licin. cap. 3. (d) In Crit. ad an. Chr. 269. n. IV.

XVIII. Unus dicitur a Noriſio *(c)* Poſtumus, qui in Galliis imperante Gallieno, purpuram uſurpavit, *ineunte decimo anno* tyrannidis *Decennalia vota* ſolviſſe, idque patere ſubdit ex ejuſdem nummo apud Triſtanum. Pagius *(d)* quoque ſimilem nummum deſcribit Poſtumi in Cimelio Gallorum Regio adſervatum, & in poſtica inſcriptum P. M. TR. P. X. COS. V. P. P. VO. XX.; docetque *decimum annum illum tantum inchoatum fuiſſe*, certum eſſe. Harduinus *(e)* vero auctor eſt, *Vota* hæc *Vicennalia*, quæ in nummo apud Triſtanum *(f)* exhibentur, Populi fuiſſe, *Kalendis forte Januariis anni ſequentis* Chr. CCLXXI. *concepta*, ſed a Senatu ſuſcepta non eſſe: *ſiquidem in nummis Poſtumi nullus alius Tribuniciæ Poteſtatis poſt decimum annus occurrit*. Nos autem *Vota* XX. ante exactum ſolutumque *Decennium* ſuſcepta credimus; ſuſpicamurque Poſtumum auctorem fuiſſe hujus anticipationis, quæ ſubſecutis temporibus obvia eſt; quemadmodum etiam primus ipſe occurrit cum *Quinquennalibus*.

(e) In Hiſt. Aug. ad an. Chr. 270. (f) Pag. 162.

Diocletiani Decennalia.

XVIIII. Veniendum nunc eſt ad Diocletianum; nam eos omittimus, qui *Decennium* in imperio non peregerunt. Anno U. C. MXXXVII. Chr. CCLXXXIV. Διοκλητιανὸς ἀναγορευθεὶς πρὸ ιέ Καλανδῶν Ὀκτωβρίων ἐν Χαλκηδόνι, *Diocletianus* Imperator *renuntiatus* dicitur ab Auctore Chronici Alexandrini XV. *Kalendas Octobris Chalcedone*. Votorum pro Decennio ejus primo, aut Quinquennio, & Quindecennio exactis ſolutorum mentio nobis non occurrit; *Vicennalium* tamen Euſebius & Lactantius meminere, tempuſque indicarunt. Euſebius itaque ſcribit *(g)*, Alphæum & Zachæum ſub Diocletiano *abſciſſis cervicibus interiiſſe*, Δίου μηνὸς ἑπτακαιδεκάτῃ, ἄυτη παρὰ Ῥωμαίοις ἡ πρὸ δεκαπέντε Καλανδῶν Δεκεμβρίων, *die* XVII. *Menſis Dii, quod eſt*

(g) Lib. VIII. H. Eccl. cap. 12.

apud

apud Romanos ante diem XV. *Kalendas Decembris:* ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἡμέρας. (*a*), *eademque die Romanum* Cæſarienſis Eccleſiæ Dia- (a) Ibidem.
conum & Exorciſtam martyrio, ſicut optaverat, exornatum eſſe ſubdit, τέλος τῆς ἀρχικῆς εἰκοσαετηρίδος ἐπιστάσης, *fine Vicennalium imperii inſtante*. Lactantius autem in primis tradit (*b*), (b) De Mort Perſ. Cap. 17.
Diocletianum perrexiſſe *Romam*, *ut illic Vicennalium diem celebraret, qui erat futurus a. d.* XII. *Kalendas Decembres*. *Quibus* (c) Eod. cap.
Solemnibus celebratis —, *prorupit ex Urbe impendentibus Kalendis Januariis, quibus illi nonus Conſulatus deferebatur*. Ravennæ igitur proceſſit Coſ. IX. anno U. C. MLVII. Chr. CCCIIII. Secuta eſt *hiems* (*c*), & *æſtas*: hinc Circum, quem Nicomediæ fecerat, dedicaſſe dicitur *anno poſt Vicennalia repleto*; poſtea *languore oppreſſus* ſubditur *Idibus Decembribus*, ita ut tota civi- (d) Cap. 18.
tate jam non modo mortuum, ſed etiam ſepultum dicerent. Attamen recepit animam. *Nec* (*d*) *multis poſt diebus Cæſar* (e) Cap. 19.
Gal. Maximianus *advenit, non ut Patri gratularetur, ſed ut eum cogeret imperio cedere*. Quod demum factum eſt *Kalendis* (*e*) *Majis*, ipſo teſte Lactantio; cujus auctoritatem omnes ſuſpiciunt, eademque die anni U. C. MLVIII. Chr. CCCV. Diocletiani & Maximiani Herculii abdicationem ſtatuunt. Inter hanc igitur & *Vicennalia* celebrata interponit Lactantius integros XVII. menſes; qui, ſi a *Kalendis Majis* ipſius anni U. C. MLVIII. Ch. CCCV. ordine retrogrado numerentur, devenietur ad menſem Novembrem anni U. C. MLVI. Chr. CCCIII., cujus menſis die XX. ſeu *a. d. duodecimum Kalendas Decembres Vicennalium diem* celebraſſe Diocletianum, auctor eſt ipſe Lactantius (*f*). (f) Cap. 17.
At tunc *viceſimum* imperii annum vix inierat Diocletianus, ſiquidem de annis naturalibus & completis loquamur. Alterius itaque formæ annos intelligere debemus, civiles nempe & incompletos; nam Euſebius teſtatur (*g*), *fine inſtante Vi-* (g) Lib. VIII. Hiſt. Eccl. cap. 12.
cennii imperii edenda fuiſſe Vicennalia. Præterea factum id notat (*h*) ἔτει πρώτῳ, *anno primo* perſecutionis contra Chriſtia- (h) Ibid.
nos excitatæ, quæ cœpit *a. d.* VII. *Kalendas Martias* (*i*) —, (i) Lactant. de Mort. Perſ. c. 12.
agentibus Conſulatum ſenibus ambobus, Diocletiano nempe *octavum*, & Herculio *ſeptimum*, qui eſt annus U. C. MLVI. Chr. CCCIII. Die igitur XX. Novembris hujus anni edita ſunt *Vicennalia*, ineunte juxta alios, juxta nos vero & Euſebium exeunte, ut mos ferebat, *viceſimo* imperii anno.

XX. Conſecutus imperium *Diocletianus Maximianum* Maximiani Herculii Vicennalia.
Herculium paullo poſt *Cæſarem* (*k*) renuntiat; ſeu *Imperato-* (k) Eutrop. Lib. IX. cap. 20.

rem (*a*) *jubet*; poſtea *ex Cæſare* (*b*) *fecit Auguſtum*: quod contigit *Kalendis Aprilibus* anni ſequentis ſc. U. C. MXXXVIII. Chr. CCLXXXV., ut Faſti produnt Idacii. Sermonem *Quinquennalibus* Herculii præparaverat (*c*) Claudius Mamertinus; ſed dilatum ait; cauſſam tamen non dicit. Illud tantum addit (*d*): *neque Orationis ejus, quam compoſueram, facio jacturam, ſed eam reſervo, ut quinquennio rurſus exacto, Decennalibus tuis dicam; quoniam quidem luſtris omnibus prædicandis communis oratio eſt*. Quibus verbis *luſtra* cum *Quinquenniis* componit: notum autem eſt, *luſtra* fuiſſe & eſſe *Quinquennia* incompleta; hinc etiam *Decennalia* atq; *Vicennalia* incompleta eſſe debuerunt, quamvis exacta. Hoc itaque modo *cum ingenti gloria* (*e*) *viginti annorum Vota celebravit* Herculius. Magnis conſtabant hujuſmodi ſolemnia (*f*) impendiis, multiſque beneficiis & indulgentiis ornari a Principibus ſolebant (*g*); quapropter ut & populorum vitarentur onera, & Legum vigori conſuleretur, Diocletianus *Vicennalia* ſua cum Herculii *Vicennalibus* conjunxiſſe ab aliquibus creditur; & hac de cauſſa a die XV. *Kal. Octobres*, qui erat natalis imperii ſui, in diem XII. *Kal. Decembres*, qui proinde exiſtimatur natalis Herculii, ſolemnia hæc tranſtuliſſe dicitur. Sane in nummis Herculii habentur (*h*) VOT. XX. AVGG., hoc eſt, *Vota Vicennalia Auguſtorum*. Et hoc nummorum genere admoneri nos docet Harduinus (*i*), Diocletianum ſimul & Maximianum ad imperium fuiſſe vocatos: *ſiquidem communia ſunt amborum Vota vicennalia*. Quamvis autem juxta aliorum tum antiquorum tum recentiorum ſententiam Diocletianus primum, & ab hoc deinde Maximianus accitus ſit ad imperium, communia eſſe potuerunt amborum *Vota Vicennalia*. Quibus ſolutis, ſuſcepta ſunt pro ambobus *Vota Tricennalia*: atque hæc ipſa habentur in alio ejuſdem Maximiani nummo (*k*), hoc modo VOT. XXX. AVGG. Quapropter *Vicennalia* Maximiani, quemadmodum illa Diocletiani incompleta quoad annum primum fuerunt.

Gal. Maximiani Vicennalia.

XXI. Diximus (*l*), Galerium Maximianum *creatum fuiſſe Cæſarem* Kalendis Martii anno U. C. MXLIV. (*m*), ac biennio poſt *Diocletiano Aug.* V. *& Maximiano Aug.* IIII. *in Principatum adſcitum fuiſſe Nicomediæ ex a. diem* XII. *Kalendas Junias*, teſte Auctore Chronici Alexandrini. Is nefandæ perſecutionis Chriſtianorum auctor (*n*), tandem malis domitus Deum coactus eſt confiteri (*o*); & jam deficiens edi-

ctum

(a) Vict. de Cæſar.
(b) Eutrop. Lib. IX. cap. 22.
(c) Cap. 1. Genethl. Maxim.
(d) Ibid.
(e) Lact. de Mort. Perſ. cap. 30.
(f) Vid. eumd. c. 31.
(g) Vid. Euſeb. Lib. VIII. Hiſt. Eccl. cap. 12.
(h) Apud Hard. in Nu. Sæ. Conſt. ad an. XI.
(i) Ibid.
(k) Apud Patin. in Indice pag. 31.
(l) Num. XLV. de Trib. Pot.
(m) Chr. 291.
(n) Lact. de Mort. Perſec. cap. 31.
(o) Id. cap. 33.

ctum misit in favorem Christianorum. *Hoc Edictum proponitur Nicomediæ (a) pridie Kalendas Majas, ipso octies & Maximino iterum Consulibus*, anno sc. U. C. mlxiv. Chr. cccxi. Nec tamen ille hoc facto veniam sceleris accepit a Deo, *sed post dies paucos -- horrenda tabe consumptus est. Idque cognitum Nicomediæ*, [deficit in Lactantii, cujus hæc sunt, codicibus dies seu aliud tempus determinatum], *mensis ejusdem*, Maji nempe, *quum futura essent Vicennalia Kalendis Martiis impendentibus*, sc. anni Urbis C. mlxv. Chr. cccxii. Hæc *Vicennalia* esse non potuerunt dignitatis *Cæsareæ*; inter hanc enim *Kalendis Martiis* anni Chr. ccxci. primum acceptam & *Kalendas Martias* anni cccxii. integri fluxerunt anni xxi., qui *Vicennium* omnino superant. Fuere igitur *Vicennia Principatus*; at hic Galerio delatus est anno Chr. ccxciii. *ex ante diem* xii. *Kalendas Junias*, a quo die ad Kalendas Martias anni cccxii. fluxerunt anni xx. incompleti.

(a) Cap. 35.

XXII. Anno U. C. mlix. Chr. cccvi. Coss. *Constantio* vi. *& Maximiano* vi. (b) *diem functus* est ipse *Constantius*, Chlorus dictus, Constantini M. Parens, *& postea levatus est Constantinus* viii. *Kalendas Augusti*. Galerius tamen Maximianus *Constantinum non Imperatorem* (c), *sicut erat factus, sed Cæsarem cum Maximino appellari jussit*. Anno autem sequenti ipsi *Constantino per Socerum* Maximianum Herculium nomen (d) *Imperatoris adcrevit*. Primorum Quinquennalium occasione *quinque annorum* Æduis *reliqua remisit*. Hinc Eumenius (e), *o lustrum*, inquit, *omnibus lustris felicius*! *O lustrum, quod merito hanc imperii tui æquavit ætatem*! -- *Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda sunt. Illa enim quinto incipiente suscepta, omnibus populis jure communia, nobis hæc propria, quæ plena sunt*. Quibus verbis docet Orator, *Quinquennalia* secunda anno *quinto incipiente suscipi* communiter solita: incompleta itaq; erant prima. Nazarius quoq; alter Orator, sic postea effatus est (f): *Quintumdecimum annum maximus Princeps salutaris imperii degit, sed auguramur jam Vicennalia. -- . Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habent, sed in destinatis Decenniis jam Vota properantia & spes volucres constiterunt*. Quintum itaque decimum annum imperii nondum compleverat, sed adhuc degebat Constantinus, quum ei augurarentur *Vicennalia*, sive ejus *Vota* suscipererent *Vicennalia*; unde hoc ejus *Quindecennium* incompletum

(b) Fast. Idac.

(c) Lactan. de Mort.Persec.cap. 25.

(d) Panegyr.Maxim. & Constant. dict. cap. 2.

(e) Grat. Act. pro Æduis cap. 13.

(f) In Paneg., qui est X. inter veter. cap. 2.

 fuit,

fuit, seu annum aliquem haud integrum habuit. Quod de *Quinquennalibus* quoque *Cæsarum* existimandum est. *Gallicano & Basso Coss.*, id est, anno U. C. MLXX. Chr. CCCXVII. *levati* sunt hi *tres Cæsares*, *Crispus*, *Licinius*, *& Constantinus*, *die* (a) *Kal. Martii*, ex Idacio in Fastis, quem in Commentariis (*a*) laudavimus. De Constantino scribit Eusebius (*b*), Cæsarem creatum fuisse ἀμφὶ τὴν τοῦ πατρὸς δεκαετηρίδα, *decimo circiter paterni imperii anno*; quod ad imperium Constantini Patris, anno Chr. CCCVII. cum nomine *Imperatoris* acceptum, est referendum. Quapropter *Quindecennalia* Imperatoris Constantini, ac *Quinquennalia* Cæsarum filiorum & Licinii junioris inciderunt in annum Chr. CCCXXI. Quod si ex laudato Eusebii loco, non ad imperium, sed ad dignitatem Cæsaream Constantini relato, tum etiam ex Zosimo (*c*), & Anonymo Valesiano, post bellum *Cibalense*, quod *Volusiano* II. (*d*) *& Aniano Coss.* anni Chr. CCCXIV. *fuit die* VII. *Iduum Octobr.*, pace Constantinum inter & Licinium constituta, creatos illos fuisse Cæsares quis contendat; eorum etiam *Quinquennalia*, sicut & *Quindecennalia* Constantini Patris retrahere poterit.

(a) Ad Num. 1. Tab. LXXIX. & 3. LXXXII.
(b) Lib. IV. de Vit. Const. c. 40.
(c) Lib. II. cap. 20.
(d) Idac. in Fast.

Vicennalia Constantini.

Anno U. C. MLXXVIII. Chr. CCCXXV., ad finem perducto Sacrosancto Nicæno Concilio, *Vicennalia* celebravit Constantinus. *Consulatu Paullini & Juliani*, qui est index hujus anni, coactum fuisse Concilium, in aperto est. Cœptum illud τῇ εἰκάδι τοῦ Μαΐου μηνός, *die* XX. *mensis Maji* refert Socrates (*e*): *diem* vero XIX. *Junii* Actio secunda Chalcedonensis & Chronicon Alexandrinum pro principio statuit. In antiqua Canonum Conlectione Latina, quæ Cresconiana dicitur, hæc leguntur: *Factum est Concilium apud Nicæam Bithyniæ Metropolim, a die* XIII. *Kal. Junias, quod tenuit usque ad* VIII. *Kal. Septembres, Paullino & Juliano Coss.* Sub exitum Concilii συνηνέχθη κατ' αὐτὸν ἑορτὴν εἶναι εἰκοσαετηρίδα τῆς Κωνσταντίνου βασιλείας, *accidit, ut celebrarentur Vicennalia imperii Constantini*, Sozomeno teste (*f*), juxta id, quod erat ἔθος δὲ Ῥωμαίοις δημοτελῆ πανήγυριν ἄγειν καθ' ἑκάστην δεκάδα ἐτῶν τῆς τοῦ κρατοῦντος ἀρχῆς, *in more apud Romanos positum, ut decimo quoque anno principatus cujusque Principis diem festum celeberrimo hominum conventu agitarent*. Hac de caussa, subdit historicus, Constantinum invitasse totum Concilium ad epulum, omnesque donis, prout cujusque dignitas poscebat, honorifice muneratum esse. Idipsum testatur

(e) Lib. I. Hist. Eccl. cap. 13.
(f) In fine Lib. I. Eccl. Hist.

tur Eusebius (*a*), qui præsens fuit, quique notat (*b*), κατὰ τὸ αὐτὸ δὲ αὐτῷ καὶ τῆς βασιλείας εἰκοσαέτης ἐπληροῦτο χρόνος, *tunc temporis Vicesimum imperii* Constantini *annum completum esse*. Verum, etiamsi ab anno Chr. cccvi. statim post mortem Patris numerari incipiat ejus imperium, fine Concilii annus *vicesimus*, siquidem de annis completis loquamur, incipiebat tantum, nequaquam vero desinebat. Annis itaque incompletis usus est Constantinus in computando Principatu, annisque incompletis constitit ejus *Vicennium*, atque id de more factum. In calce Chronici Eusebii dicuntur *Vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita*. Apud Idacium quoque in Fastis hæc leguntur ad annum Chr. cccxxvi. (*c*) *Constantino* vii. *& Constantio Cæsare Coss. edidit Vicennalia Constantinus Augustus Romæ*. Hæc ad Augusteum Constantini imperium refert Pagius (*d*); quæ vero superiori anno Nicomediæ exhibita ad Cæsareum pertinere docet; neque hæc duo solemnia diversis annis, & ob diversa imperii initia acta, in unum confundenda subdit. Falsam enim autumat (*e*) vulgarem opinionem, quæ docet, Constantini M. *Vicennalia* anno Chr. cccxxv. Nicææ exhibita, sequenti Romæ repetita fuisse. Ut enim in Dissertatione Hypatica ostendisse se tradit, *nullus ex Cæsaribus aut ex Imperatoribus Decennalia aut Vicennalia semel edita iterum repræsentavit*. Quod si id a Constantino M. factum esset, non dubium existimat, quin multi hac in re eum imitati essent, *& tamen nullum similis repetitionis in tota antiquitate vestigium extat*. Sint itaque dignitatis Cæsareæ *Vicennalia* prima illa Nicææ ac Nicomediæ edita; & ad imperium pertineant illa, quæ celebrata deinde sunt Romæ; utraque sunt incompleta, hoc est, annis *viginti* completis minime constant: & tamen *vicesimum annum completum* dicit Eusebius, quum *Vicennalia* Nicææ celebrata sunt; quod etiam *Vicennalibus* Imperatoriis Romæ editis congruit.

(a) Lib. III. Vit. Const. c. 14. Edit. Col. Allobr. an. 1612

(b) Ibid.

(c) U. C. 1079.

(d) In Crit. ad an. Christi 325. num. XLVII. & in Diss. Hyp. part. II. cap. 7. n. XIX.

(e) Ad an. seq. N. II.

Tricennalia Constantini M.

Anno U. C. mlxxxviii. Christi cccxxxv. *Constantio & Albino Coss. Tricennalia edidit Constantinus Augustus die* viii. *Kalendas Augusti*, Idacio teste. Inibat tunc temporis Constantinus *tricesimum* annum, ex quo Cæsaream dignitatem obtinuerat anno Chr. cccvi.; si quidem annos integros numeremus. Sed aliter numerandos esse hujusmodi annos docent tum ea, quæ diximus, tum rursum Eusebius, qui auctor est (*f*), Constantem ἀμφὶ τὴν τρίτην δεκάδα, *tricesimo circiter* paterni

(f) In Vit. Const. M. Lib. IV. cap. 40.

paterni principatus *anno* factum fuisse Cæsarem. Hoc autem
(a) Idac. in Fast. contigit an. U. C. MLXXXVI. Chr. CCCXXXIII. *die* (*a*) VIII. *Kalendas Januarias*. Quod si hoc tempore *tricesimum circiter* agebat annum Constantinus, anno Chr. CCCXXXV., quo *Tricennalia* peregit, annum *tricesimum* complevisse dicendus est. Præterea in ea Oratione, quam coram Constantino de ejus laudibus in ipsis Tricennalibus idem habuit Eusebius, τριτοὺς τε ἤδη δεκάδων περιελθὼν κύκλους, *tertium jam decennii circulum circumactum* ait: ἤδη δὲ καὶ τετάρτης ἀνακυκλουμένης περιόδου: *& quartum jam volvi cœpisse*.

XXIII. Maxentii *Quinquennalia* memorat Lactantius (*b*)
* *Maxentii Quinquennalia*. (b) De Mort. Pers. cap. 44. extremo vitæ ejus tempore, paucisque ante postremum cum Constantino ad pontem Milvium conflictum diebus. *Imminebat dies*, inquit, *quo Maxentius imperium ceperat, qui est ad diem* VI. *Kalendas Novembris & Quinquennalia terminabantur*. Maxentii mors incidit in annum U. C. MLXV. Chr. CCCXII., quo Consul IIII. ipse processerat: anno autem U. C. MLIX. Chr. CCCVI. factus fuerat Imperator. Sextum itaque complevit annum imperii; quod confirmat Auctor Panegyrici Constan-
(c) Cap. 16. tino paullo post dicti, ubi ait (*c*), *ipsum diem natalis sui ultima sua cæde signasse* Maxentium, *ne septenarium illum numerum sacrum & religiosum inchoando violaret*. Idemq; seu alter Orator,
(d) In Panegyr. Const. cap. 3. Nazarius ait (*d*): *nam, quidquid mali sexennio toto dominatio feralis* Maxentii *inflixerat, bimestris fere cura* Constantini *sanavit*. Quæ quum ita sint, aut mendum inesse apud Lactantium, & *Sexennium* pro *Quinquennio* restituendum esse dicendum est; aut *Quinquennalia* Maxentii non ab eo tempore, quo primum acclamatus est Imperator, sed ab alio posteriori sunt repetenda. Hoc autem vero propius arbitramur: longius e
(e) In Critic. ad an. Chr. 312. n. I. contra petitum credimus, quod docet Pagius (*e*), nempe Maxentium sua *Quinquennalia* distulisse, ac *priori die septimi*
(f) Ibid. n. VI. (*f*) anni eadem *Quinquennalia exhibere debuisse*; id enim exemplo caret, ac contra morem ejus temporis videtur. Itaque observamus, Galerium Maximianum, postquam infeliciter ei bellum cessit, quod primum Severo commiserat, postea ipse contra Maxentium susceperat, imperium Maxentio confir-
(g) Lactant. de Mort. Pers. cap. 32. masse. Nuncupaverat Galerius Licinium *Imperatorem* (*g*); sed Maximinus iratus, nec Cæsarem se, nec tertio loco nominari volebat. *Victus contumacia* Galerius *tollit Cæsarum nomen, & se Liciniumque Augustos appellat*; *Maxentium & Constanti-*

num

num filios Augustorum. Maximinus postmodum scribit quasi nuntians, in campo Martio proxime celebrato *Augustum* se ab exercitu nuncupatum. *Recepit ille mœstus ac dolens*, *&* *universos quatuor Imperatores jubet numerari*, teste Lactantio. Idacius autem, ut notavimus (*a*), Herculio *decies* & Galerio *septies Coss.*, anno nempe U. C. MLXI. Chr. CCCVIII., *tertio Idus Novembris levatum* fuisse *Licinium* tradit in Fastis. Ex hoc igitur tempore confirmatum est Maxentio imperium, agnitusque est ab universo orbe Romano Imperator; quod antea non acciderat. Quare nova imperii Epocha hæc esse potuit. Exinde vero ad ejus mortem sunt anni ferme quatuor completi, & incompleti quinque, ita ut convenire his *Quinquennalia* possint. Non me latet, inaugurationem Licinii anno Chr. CCCVII. a Viris Cl. Norisio (*b*), Pagio (*c*), Tillemontio (*d*), Basnagio (*e*), & aliis statui; at præter Idacii auctoritatem res ipsæ gestæ ad eam differendam in sequentem annum nos cogunt. Sub exitum enim anni Chr. CCCVI. Maxentius Romæ factus est Imperator (*f*). Succedit hiems; mittitur ex Illyrico Romam Severus cum exercitu; deseritur a suis, fugiensque insequente eum Herculio, qui rursus imperium a filio Maxentio acceperat, apud Ravennam occiditur. Herculius (*g*) Urbe munita, proficiscitur in Galliam, ut Constantinum partibus suis conciliaret suæ minoris filiæ nuptiis. Galerius interea coacto exercitu invadit Italiam, ad Urbem accedit; nutantibus tamen militibus, retro signa convertit, & vastata in itinere Italia se ad suas sedes recipit. Redit e Gallia Herculius, habetque (*h*) imperium commune cum filio; sed, quum juveni magis pareretur quam seni, tentat hic expellere adolescentem; at militum ira & clamore perturbatus, ab Urbe Roma exactus est. Redit in Galliam (*i*), ibique aliquantulum moratur; postea proficiscitur ad alterum Maximianum, qui eo ac Diocle præsentibus imperium Licinio dat. Hæc porro cum iis, quæ de Maximino, ubi inaugurationem Licinii audivit, notavimus, intra annum Chr. CCCVII. contineri posse non videntur.

(a) N. XLVII. de Trib. Pot.
(b) De Num. Licin. cap. 1.
(c) In Crit. ad an. Chr. 307. n. XVII.
(d) In Vit. Const. M. Art. XIII. & Not. XIX.
(e) In An. Pol. Ecclesiast. ad an. Domini 307. numer. VII.
(f) Lactant. de Mort. Pers. c. 26.
(g) Id. cap. 27.
(h) Id. cap. 28.
(i) Id. cap. 29.

XXIV. Esset heic agendum de *Decennalibus* & aliis hujusmodi solemnibus, Licinii, Maximini, aliorumque Principum, quorum numismata iis insignita habentur. Verum, quia desunt in ipsis numismatis & apud historicos notæ temporis, quo ea *Vota* soluta sunt, ac potius suscepta quam so-

luta

luta Vota ipſa dignoſcuntur, ideo de iis tractare operæ pretium non ducimus; nedum enim id longum & difficile, ſed etiam obſcurum & incertum. Hujus generis arbitramur ipſum Licinii nummum, de quo diſſeruit, eruditiſſime tamen Noriſius. Quare ea tantum ſolemnia obſervabimus, quæ nobis Scriptores conſideranda proponunt.

Decennalia Conſtantii.

XXV. Anno U.C. MLXXVII. Chr. CCCXXIV. *Criſpo* III. *& Conſtantino* III. *Coſs.* (*a*) *levatus eſt Conſtantius Cæſar* VI. *Idus Novembris*, ἀμφὶ τὼ εἰκοσαετηρικὴν πανήγυριν ἀνηγορευμένος (*b*), *circa Vicennalium* Patris *ſolemnitatem*, quæ anno ſequenti celebranda erat, *renuntiatus*; ſeu ἐπὶ τῇ δευτέρᾳ δεκάδι (*c*), *ſub alterum decennium*, teſte Euſebio. Chronicon quoque Alexandrinum inaugurationi Conſtantii (*d*) πρὸ ς' Ἰδῶν Νοεμβρίων, factæ *die* VI. *Idus Novembris* ſtatim ſubdit *Vicennalia* Conſtantini Patris. Anno itaque U. C. MCVI. Chr. CCCLIII. *Arelate hiemem agens* (*e*) *Conſtantius theatrales ludos atque Circenſes ambitioſo* edidit *apparatu*, *die* VI. *Idus Octobres*, *qui imperii ejus annum triceſimum terminabat*. Cl. Valeſio (*f*) memoria lapſus videtur heic Marcellinus, *qui pro nono ac viceſimo triceſimum poſuit*. Ac veretur cum aliis, *ne &* VI. *Idus Octobr. pro Novemb. poſuerit*. Nam certe Idacium & Chronicum Alex. VI. *Idus Novemb.* Cæſaris dignitatem delatam eſſe Conſtantio narrare ſubdit; & ex ipſis auctoribus id factum ſtatuit anno Chr. CCCXXIV. Quod ad diem ſpectat, inter ſe hos Auctores ego non committam; quippe qui *Decennalia* & alia hujus generis feſta diei inaugurationis principatus illigare me nolle profeſſus ſum. Quod autem ad annum pertinet, id tempus, quo Conſtantius celebravit *Tricennalia* Arelate, imperii ejus annum *triceſimum*, incompletum tamen de more, terminabat. Sed quia ſunt Viri docti, & inter eos Pagius (*g*) atque Tillemontius (*h*), qui Conſtantium anno Chr. CCCXXIII. factum fuiſſe Cæſarem ſentiunt ac docent; ideo ut & ipſis ſatisfiat, heic tranſcribimus, quod in Faſtis Idacii ad annum Chr. CCCLVII., Coſs. nempe *Coſtantio* IX. *& Juliano Cæſare* II. ita habetur: *Introivit Conſtantius Aug. Romam* IV. *Kal. Majas*, *& edidit* XXXV. Nondum per id tempus cœpiſſet annus XXXV., ſiquidem die inaugurationis anniverſaria hujuſmodi anni multiplicati fuiſſent. At ex noſtra computandi juxta Tribuniciam Poteſtatem annos imperii ratione, adultus tum erat, properabatque ad finem annus Conſtantii XXXV., poteratq; ſeptimum Quinquennium

tunc

(a) Idac. in Faſt.
(b) Euſeb. Lib. IV. Vit. Conſt. M. c. 40.
(c) Id. Oratio. de Laud. Conſt. M. in XXX. habita.
(d) Male legitur *Conſtantis*.
(e) Am. Marcel. Lib. XIV. cap. 5.
(f) In Not. ad Marcellinum.
(g) Diſſ. Hypatic. Part. II. cap. 6. N. IV. & in Crit. ad an. Chr. 325. num. XLIX.
(h) Not. XLVI. in Conſt. M.

tunc exiens Imperator celebrare. *Tricesimo (a), postquam ingressus est, die* IV. *Kalendas Junias ab Urbe profectus est*. Quapropter hoc tempore *edidit* XXXV., quæ sex aut quinque ad minus menses distant a die inaugurationis Cæsareæ. In Chronico Alexandrino iisdem *Coss. Constantio Aug.* XI., [ex aliis IX.] & *Juliano Cæsare* II. dicitur *Constantius Augustus* εἰς τὴν ἑαυτοῦ εἰκοσιετηρίδα, *propter Vicennalia sua*, seu *anno suo vicesimo, multo cum apparatu & comitatu Romam venisse, & cum eo Uxor ejus Eusebia Augusta, Romæque degisse dies* XIV. Vicennalia hæc aliquis referet ad imperium Constantii post mortem Patris susceptum. *Feliciano & Titiano Coss. (b) Constantinus Augustus ad cœlestia regna ablatus est* XI. *Kal. Junias. Ipso anno nuncupati sunt tres Augusti, Constantinus, & Constantius, & Constans* V. *Idus Septembris*. Quod si XIV. tantum *dies* Romæ moratus est Constantius, & IV. *Kal. Junias* inde profectus est, nedum *Vicennalia* inaugurationis *Augusteæ* anticipavit, verum etiam diem prævenit mortis Patris, quo die imperium ad se devolutum prætendere poterat. Sed Raderum male interpretatum esse hæc Chronici verba εἰς τὴν εἰκοσιετηρίδα, tradit Pagius (c): significare enim eo in loco subdit, *anno vicesimo*, non vero propter Decennalia, recteque Combefisium in Notis ad Theophanem pag. 560. vertere, *anno vicesimo*. Basnagius vero (d) non aliam mentem esse Auctori Chronici Alexandrini ac Idacio credit. Marcellinus (e) *equestres ludos* editos Romæ a Constantio memorat; nec tamen *Vicennalia* aut *septima Quinquennalia* nominat.

(a) Marcell. Lib. XVI. cap. 10.

(b) Idac. in Fast. Anno U. C. 1090. Chr. 337.

(c) In Crit. ad an. Chr. 356. N. XIV.

(d) In Annal. Pol. Eccl. ad an. Dom. 357. N. II.

(e) Lib. XVI. c. 10.

Juliani Quinquennalia.

XXVI. Indutum purpura *Julianum* Constantius *Cæsarem* declaravit *die* VIII. *Iduum Novem.* (f) --, *quum Arbetionem Consulem annus haberet & Lollianum* U. nempe C. MCVIII. Chr. CCCLV. Porro Julianus agens apud Viennam in Galliis *Quinquennalia (g) Augustus jam edidit* anno Chr. CCCLX. sub finem; nam paullo post, quum adhærere se cultui Christiano fingeret, a quo jam pridem occulte desciverat (h), *feriarum die, quem celebrantes mense Januario Christiani Epiphania dictitant, progressus in eorum Ecclesiam solemniter Numine adorato discessit*; inquit Ammianus. Videtur itaq; *die* VIII. *Iduum Novemb.* post annum quintum completum edidisse *Quinquennalia*. Quod exemplum rarum, immo hucusq; unicum: nam reliquos Imperatores aut Cæsares transegisse primum Quinquennium aut Decennium incompletum vidimus, & arguimus. Anno qui-

(f) Am. Marcell. Lib. XV. cap. 9. Socrat. Lib. II. H. Eccl. c. 34. Idac. in Fast.

(g) Id. Marcell. Libro XXI. in princ.

(h) Non multo post.

dem Chr. CCCLXIII. Julianum imperii Cæſarei *Decennalia* exhibuiſſe, monſtrare dicuntur a Pagio (*a*) varia ejus Numiſmata a Mediobarbo recitata, in quorum poſtica legitur VOTIS X. MVLT. XX. Quam formulam in Decennalibus in nummis per hæc tempora de more ſculptam docet; notatque Julianum hoc anno Conſulatum cepiſſe propter ipſa Decennalia. Hæc autem ſolemnia anno uno anticipata fuiſſe ſubdit; quum Quinquennalia anno CCCLX. dederit. Verum hæc omnia incerta nobis videntur; & *Vota* ipſa X. ſuſcepta, non ſoluta explicari queunt. Dilata potius arbitramur a Juliano primi *Quinquennii* Solemnia, ut ea ederet vel jam Auguſtus, vel confirmato ſibi a Conſtantio imperio. Acclamatus Auguſtus Julianus, *apud Pariſios* (*b*) *hibernis locatis* degiſſe legitur; hinc principio anni acclamationem factam intelligimus. Scribit Zonaras (*c*), Julianum rebus proſpere contra hoſtes geſtis ad ſuperbiam elatum, aut, ut quidam auctores ſunt, Conſtantio ſucceſſibus ſuis invidente, veritum, ne fratris Galli exemplo vita privaretur, defectionem molitum eſſe, conciliatis ſibi aliquot Tribunis, a quibus milites concitati per conſpirationem eum *Auguſtum* ſalutarint. Quæ ſi vera ſunt, imperio intendiſſe animum, antequam acclamaretur, dicendus eſt. Hinc veroſimile redditur, *Quinquennalia* diſtuliſſe Julianum, ut illa ederet *jam Auguſtus*. Sed quia ipſum *Auguſti* nomen & imperium Julianus quidem confirmari ſibi a Conſtantio poſcebat, Conſtantius vero id negabat, miſſo ad eum Leona cum litteris, quibus eum intra Cæſaris ſe poteſtatem (*d*) continere præcipiebat, res protracta eſt. Demum Julianus confirmato ſibi a multitudine armata pariter & plebeja, quam de induſtria convocarat, *Auguſti* nomine, ac *parvi habitis* (*e*), *quæ per Leonam Conſtantius ſcripſerat*, — *Quinquennalia Auguſtus jam edidit*.

(a) In Crit. ad an. Chr. 363. n. 1.
(b) Marcell. Lib. XX. cap. 7.
(c) In Annal. Lib. XIII. cap. 10.
(d) Marcell. Lib. XX. cap. 8. & 9.
(e) Id. Lib. XXI. in princ.

Valentiniani & Valentis X.

XXVII. Die XXV. Februarii (*f*), ſeu V. *Kal. Martias* (*g*) anni U. C. MCXVII. Chr. CCCLXIV. factus eſt Imperator Valentinianus; atque hic *triceſimo* (*h*) poſt *die*, ſeu IV. *Kal. Apriles* (*i*) Fratrem Valentem ſocium ſibi adjunxit imperii. Valenti in *Quinquennalibus* Orationem dixit *Marcianopoli* Themiſtius (*k*). Fuit autem in ea Urbe Valens per hiemem anno Chr. CCCLXVII. cum duobus ſequentibus; ut conſtat ex Legibus ibidem datis (*l*), & Ammiano (*m*). Ipſam Orationem & *Quinquennalia* anno CCCLXVIII. illigant Viri docti (*n*); quo tempore

(f) Socr. Lib. IV. H. Eccl. cap. 1.
(g) Idac. in Faſt.
(h) Socrat. ibid.
(i) Chron. Alex. Vid. n. XLVIII. de Trib. Pot.
(k) In ord. VIII.
(l) Cod. Theod.
(m) Lib. XXVII.
(n) Pagius in Crit. ad hunc an. n. I. Tillemont. Art. VIII. Vit. Valent.

tempore quintum imperii annum Valens inibat. Et verosimile eſt, Valentinianum quoque per id tempus eadem ſolemnia celebraſſe in Galliis, quin ejus exemplo idipſum feciſſe Valentem; hic enim arma etiam tunc concutiebat in Gothos, *ut conſulto placuerat Fratri (a), cujus regebatur arbitrio*. Ita etiam *Decennalia* utrumque Imperatorem uno eodemq; anno celebraſſe, credi poteſt. Alium Panegyricum hac occaſione recitavit Valenti tunc in Syria degenti Themiſtius (b); & a Pagio (c) & Tillemontio (d) refertur ad annum Chr. cccLXXIII. Meminit hujus *Decennii* utriuſq; Imperatoris Symmachus in Epiſtola (e) ad Valentinianum Juniorem. Notanda porro ſunt, quæ Themiſtius de Conſulatu Saturnini Kalendis Januariis anni U. C. MCXXXVI. Chr. cccLXXXIII. ſumpto ita habet (f): *Superioris memoriæ Imperatores omnes hoc ſibi devitandum in primis putare conſueverunt, ut ne Quinquennali aut Decennali vertente curriculo, eum Magiſtratum, a quo annus inſcribitur, cuiquam concederent*. Ex his quippe certum redditur, Valentinianum & Valentem anno Chr. cccLXVIII. Quinquennalia, & cccLXXIII. Decennalia celebraſſe: nedum enim iis annis *Conſulatum* ipſi ceperunt, verum etiam annis proxime antecedentibus ac ſubſequentibus *eum Magiſtratum* aliis conceſſerunt. Quare conſtat eorum Quinquennium ſeu Decennium annis quinq; ſeu decem incompletis exſtitiſſe. Nec vero ſatis intelligimus, cur Pagius, qui Themiſtium laudat & pro Canone ſtatuit (g), Quinquennalia Valentiniani in annum Chr. cccLXX. differat, & Decennalia in annum cccLXXIV., quo poſtremo nec Conſul ipſe fuit.

(a) Marcell. Lib. XXVII. cap. 4.
(b) In ord. XI.
(c) In Crit. ad an. Chr. 373. n. 1.
(d) In Vit. Valentis Art. XII. & XIII.
(e) N. 26. Lib. X.
(f) Orat. XVI. Edit. Hard. anni 1684.
(g) In Crit. ad an. Chr. 383. n. II. & III.

Gratiani Vota X. & XV.

XXVIII. Incertum oſtendimus (h), utrum anno U. C. MCXIX. Chr. cccLXVI., an ſequenti Gratianus renuntiatus ſit Auguſtus. Priori anno favent *Decennalia* & *Quindecennalia*, cccLXVII. *Quinquennalia* juxta laudatam Themiſtii auctoritatem. Conſul primum fuit Gratianus eodem anno Chriſti cccLXVI.; iterum vero proceſſit Kalendis Jan. anni cccLXXI., quo anno celebraſſe *Quinquennalia* dici debet; nam annus ſubſequens ab aliis Conſulibus inſcribitur. Anno itaque cccLXXI. incipiebat annus Gratiani *quintus*; ſiquidem ab anno cccLXVII. is numeretur, & anno quinto ineunte, non exeunte edidiſſe Gratianum Quinquennalia quis contendat. Dici tamen poſſet, expleto anno quinto edidiſſe *Quinquennalia*, ineunte vero decimo *Decennalia*, tum etiam ineunte quintodecimo *Quindecennalia*.

(h) Nu. XLVIII. ſeu ult. de Trib. Pot.

decennalia. Quod rei noſtræ ſufficit; ex *Decennio* etenim incompleto annis incompletis uſum eſſe Gratianum arguimus. Conſul tertium proceſſit cum Equitio Gratianus anno Chr. CCCLXXIV.; ſequenti vero, quum edenda eſſent *Decennalia*, nec ipſe Conſulatum repetere vellet, *hoc ſibi devitandum in primis putavit, ut ne Decennali vertente curriculo, eum Magiſtratum, a quo annus inſcribitur, cuiquam concederet*. Quapropter ita inſcribi voluit hunc annum: *Poſt Conſulatum Gratiani Aug.* III. *& Equitii*. Anno Chr. CCCLXXVII. Conſulatum quartum extra hunc ordinem accepit Gratianus; ac demum Conſulatum V. ſumpſit anno CCCLXXX. propter *Quindecennalia*, quæ in eum annum incidiſſe inde arguitur, quod tribus ſubſequentibus, quibus ſupervixit, annis Conſulatum privatis conceſſit Gratianus. Ejus *tertium luſtrum*, ſcilicet Quindecennalia memorat Symmachus (*a*).

(a) Lib. X. Ep. 26. ad Valentin. Jun.

Theodoſii M. Quinquennalia.

XXIX. Anno U. C. MCXXVIII. Chr. CCCLXXV. *Diem functus* dicitur ab Idacio in Faſtis *Valentinianus ſenior* XV. *Kal. Decemb. in Caſtello Virgitione. Et levatus eſt Valentinianus Junior Aug. Filius Aug. Valentiniani ab exercitu in tribunali, die* X. *Kal. Decemb. in civitate Acinco*. Quinto poſt anno U. C. MCXXXII. Chr. CCCLXXIX. *Auſonio & Olybrio Coſs.*, ut in iiſdem Faſtis legitur, *levatus eſt Theodoſius Auguſtus ab Auguſto Gratiano die* XIIII. *Kal. Februarias in civitate Sirmio*. Theodoſii Quinquennalibus in annum Chr. CCCLXXXIII. incurrentibus, hanc Theodoſius ipſe *prærogativam* Saturnino *detulit* (*b*), *& Conſulatum dedit, tanto pluris æſtimandum*, inquit Themiſtius, *quanto præſentia Quinquennalia annis prioribus antecellunt*. Eadem Quinquennalia vocat Orator (*c*) *Imperatorium luſtrum, primum luſtrum*; & Saturninum beatum prædicat & in pretio habendum, quem Imperator pro ſe, quem ipſemet, *quem in primo annali Imperii orbe Conſulem fecit*. Hoc itaque Quinquennium, hoc Imperatorium primumque luſtrum, ſeu primus annalis Imperii Orbis Theodoſii incompletus aliqua ex parte fuit. Die XVI. (*d*), ſeu XIX. Januarii (*e*) hujus anni Chr. CCCLXXXIII. Arcadium filium creavit Auguſtum Theodoſius. Anno autem CCCLXXXVII. *Quinquennalia Arcadius Aug. propria cum Theodoſio Aug. Patre ſuo editionibus ludiſque celebravit* XVII. *Kal. Febr.*, id eſt die XVI. Januarii ex Idacio, qui eadem die quinquennio ante illum factum Imperatorem notaverat. Incompletum propterea fuit etiam hoc Quinquennium.

(b) Themiſt. Orat. de Coſ. Saturn.

(c) Ibid.

(d) Idac. in Faſt.

Socrat. Lib. V. H. Eccl. cap. 10.

(e) Chron. Alex. & Paull. Diac.

nium. Difficultatem facere obſervat Pagius (*a*) verba illa ab ipſo Idacio, tum etiam a Marcellino in Chronico prolata, *propria cum Theodoſio Aug. Patre ſuo*. Inde enim ſequi videtur, ipſum etiam Theodoſium hoc anno *Decennalia* dediſſe. Verum ea anno CCCLXXXIX. edita, unoque anno dilata tradit (*b*) in Critica; quum alibi (*c*) docuiſſet, Theodoſium anno CCCLXXXVII. *Decennalia* ſua, quæ in annum ſequentem cadebant, edidiſſe. Si quid autem ego judico, celebraſſe Theodoſium ſuo tempore, id eſt anno CCCLXXXVIII. *Decennalia* crediderim. In primis enim Idacius & Marcellinus *Decennalium* Theodoſii laudatis verbis non meminerunt, quod non erat tacendum, immo præ *Quinquennalibus* Arcadii erat memorandum; ſiquidem *Decennalia* ſua ſolviſſet Theodoſius. Mentionem itaque *Quinquennalium* tantum Arcadii fecerunt, eaque ipſius Arcadii *propria* nominarunt, ne cum illis Theodoſii, cum quo ludos edidiſſe filium notarunt, confunderentur. Solum propterea comes celebritatis adjungitur Arcadio Theodoſius; quum *propria* Arcadii celebritas ipſa dicatur. Anno autem ſequenti CCCLXXXVIII. annum aperuit, Conſulque ſecundum proceſſit Theodoſius, qui, quum hanc prærogativam Conſulatus indulgentia peculiari Saturnino detulerit in *Quinquennali*, eam in *Decennali* ſibi reſervaſſe videtur. Nec impedimento eſt Libanius, quum ſcribit (*d*), ortam Antiochiæ ſeditionem ob indictam pecuniam, quæ Principi propter commune bonum neceſſaria erat; ϗ μάλιϛα δὲ τῷ μὲν ἔτος δεκάτȣ, παιδὶ δὲ πέμπῖου τῆς βασιλείας προϊόντος, *maxime quum in proximo eſſet ejus annus decimus, Filii vero quintus imperii*. Nam ſcimus, pecuniam, quæ in hujuſmodi Solemnibus inſumenda erat, in promptu eſſe debuiſſe ante ipſa Solemnia; ideoque eiſdem appropinquantibus indici ac colligi ſolebat. Quia vero quintus Arcadii annus decimum Theodoſii excipiebat; hinc etiam utrumque vectigal ſimul exactum eſt.

(a) In Crit. ad an. Chr. 387. n. II.

(b) Ad hunc an. n. I.

(c) Part. II. cap. XIV. ad an. Chr. 387. Diſſ. Hypat.

(d) Orat. ad Ellebichum pag. 526.

Vicennalia & Tricennalia Honorii.

XXX. Die decima Januarii (*e*), ſeu XX. Novembris (*f*) anni U. C. MCXLVI. Chr. CCCXCIII. Theodoſius Honorium filium ſuum declaravit Imperatorem. Anno autem Chr. CCCCXI. *Honorius Romæ Vicennalia dedit*, ex Marcellino (*g*). Quod ſi ita fuit, anticipata ſunt hæc Solemnia, quippe quæ in annum ſequentem cadebant. Dicitur ſimul *Theodoſius Junior Decennalia* dediſſe; & hoc concordat cum ejus inauguratione, ut mox videbimus; ac præterea Conſul IV. hoc anno Theodo-

(e) Socrat. Lib. V. Hiſt. Eccl. cap. 25.

(f) Ex tenebris ſeu Eclipſi apud Proſper. & Marcell. in Chron.

(g) In Chron.

Theodosius processit, quum per id tempus Consulatus cum hujusmodi solemnibus conjungi sæpius soleret. At eodem anno Consul Honorius non fuit, quin sine Conlega Theodosius omnino processit. Anno autem sequenti Consul IX. Honorius cum ipso Theodosio V. fuit, adeo ut dubitare quis possit, utrum ad hunc annum *Vicennalia* Honorii spectent. Sane Consul XIII. anno Chr. CCCCXXII. Tricennalia dedit Honorius, quo Consul X. processit etiam Theodosius. Sub his Consulibus legitur in Chronico Marcellini: *In Tricennalia Honorii Maximus Tyrannus & Jovinus ferro vincti adducti de Hispaniis atque interfecti sunt*. In Chronico quidem suo ad annum sequentem hæc Idacius scribit: *Honorius actis Tricennalibus suis Ravennæ obiit*. Sed probabile est, inquit Pagius (*a*), eum intelligere, Tricennalibus anno elapso actis, hoc obiisse. Sic dicitur a Lactantio (*b*) Maximianus Herculius *viginti annorum Vota celebrasse*, ac vitam detestabilem turpi & ignominiosa morte, demum sc., finivisse. Scribit idem Lactantius (*c*) alterum Maximianum in id animum intendisse, ut *Vicennalia celebraret, ac substituto Cæsare filio suo — & ipse deponeret*, exemplo sc. Herculii & Diocletiani. At hi non statim post *Vicennalia*, ut vidimus, imperium deposuerunt.

(a) Diff. Hyp. Part. II. cap. XIV. ad an. Chr. 423.

(b) De mort. Perf. cap. 30.

(c) Eod. Lib. cap. 20.

XXXI. Anno U. C. MCLV. Chr. CCCCII. *Arcadio Augusto* V. *& Honorio Augusto* V. ἐπήρθη Θεοδόσιος ὁ Νέος Αὔγουστος *Theodosius Junior levatus est Augustus Constantinopoli ad Hebdomum, in Tribunali, ab Arcadio Patre, mense Audynæo*, πρὸ δ΄ Ἰδῶν Ἰανουαρίων IV. *Idus Januarias*, ut in Chronico Alexandrino habetur. Ibidem autem integro quinquennio post, id est, anno Christi CCCCVII., *Honorio Aug.* VII. *& Theodosio Juniore Augusto* II. *Coss.* legitur: ἐπὶ τούτων τῶν Ὑπάτων, ἐπετελέσθη Κυϊνκεννάλια Θεοδοσίου Νέου Αὐγούστου ἐν Κωνσταντινουπόλει, μηνὶ Αὐδυναίῳ, πρὸ γ΄ Ἰδῶν Ἰανουαρίων: *His Coss. celebrata sunt Constantinopoli Quinquennalia Theodosii Junioris Augusti, mense Audynæo*, III. *Idus Januarias*. Pagius (*d*) primum sensit, diem nuncupationis Theodosii Junioris *tertium* Idus Januarias fuisse, ideoque in Chronico Alex. loco IV. *Idus Jan.* legendum III. *Idus Jan.* Observaverat enim ipsum Chronicon *Quinquennalia* celebrata ponere III. *Idus Januarias*, ex quo patere subdidit errorem ejusdem Chronici. Postea vero credidit (*e*), errorem irrepsisse in numeros, ubi de *Quinquennalibus* agitur, legendumque IIII. *Idus Januarias*: hæc enim, inquit, Solemnia die natali imperii de more peracta.

(d) Diff. Hyp. Part. II. cap. 14. ad an. Chr. 402. & 406.

(e) In Critic. ad an. Chr. 407. n. I.

cta. Subdit, Marcellinum quidem in Chronico Quinquennalia ista in annum præcedentem conferre; sed Consulatu Theodosii ejus errorem detegi. Ego numeros apud Auctorem Chronici neutro loco sollicitandos existimo; hæc enim Solemnia die natali imperii peragi semper solita, judicare non audeo. Chronicon etiam potius Marcellini quam Alexandrinum heic sequi placet, tunc enim hujusmodi solemnia a Consulatu aliquando disjungi rursum cœperant; & *Decennalia* ipsius Theodosii id a nobis poscere videntur, teste eodem mox laudando Pagio. Anno itaque Chr. CCCCXI. (*a*), ut idem Marcellinus hoc anno habet, *Theodosius Junior Decennalia dedit*. Ex quibus *Decennalibus* solemnia id genus, quæ ista præcessere, vel secuta sunt, suis annis reddenda, quum certa sint, censet Pagius (*b*). *Honorio* X. & *Theodosio Augusto* VI. *Coss.*, id est, anno Chr. CCCCXV. (*c*) Κυϊνκεννάλια Θεοδόσιος Νέος Αὔγουστος ἐπετέλεσεν ἐν Κωνσταντινουπόλει μηνὶ Αὐδυναίῳ πρὸ γ' Ἰδῶν Ιανουαρίων, *Theodosius Junior Augustus Quinquennalia* nempe tertia, seu Quindecennalia *celebravit Constantinopoli*, *mense Audynæo*, III. *Idus Januarias*, ex Auctore Chronici Alexandrini. Apud Marcellinum vero *Coss. Theodosio* XIII. & *Valentiniano* III., id est, anno Chr. CCCCXXX. (*d*) *Theodosius Imp. Tricennalia gessit*: & rursum *Coss. Theodosio Aug.* XVII. & *Festo*, anno scilicet Chr. CCCCXXXIX. (*e*) *Theodosius Imp. octava Quinquennalia dedit*: ac demum anno Chr. CCCCXLIV. (*f*) *Theodosius Princeps nona Quinquennalia gessit*. Ex quibus anticipare hæc solemnia consuevisse Theodosius videtur. Quum tamen alia hujus generis exempla non suppetant, dubium remanet, an error potius sit in Chronicis. Quod si quis ea bene habere contendat, præterquamquod id præter regulas moremque factum dici potest, nobis non officit, quin potius prodest. Nedum enim prima *Decennalia* incompleta peregisset Theodosius, verum etiam alia hujusmodi solemnia ante tempus edidisset; & sic annis incompletis toto fere imperii sui tempore usus fuisset.

(a) U. C. 1164.

(b) In Crit. ad an. Chr. 411. n. I.

(c) U. C. 1168.

(d) U. C. 1183.

(e) U. C. 1192.

(f) U. C. 1197.

XXXII. Progressi satis jam sumus, quin nonnihil ultra terminos nostros, qui in Gratiano alibi positi sunt, excurrimus. At id factum, ut extrema manus huic rei imponeretur: ita enim *Decennalia* & reliqua hujus generis solemnia exhausimus. Nam, si quæ restant, adeo rara sunt, & solitaria tum in nummis tum apud Scriptores, ut nulla inde series aut ordo texi queat, ac parum luminis provenire possit. Quin

in

in desuetudinem abiisse videntur. Certe vectigal, quod ea solemnia comitabatur, sublatum legimus. Jam notavimus ex Libanio, ortam Antiochiæ seditionem propter indictam occasione *Decennalium* Theodosii & *Quinquennalium* Arcadii pecuniam. Qua vexatione generis humani exactio celebrata sit *nomine Vicennalium* Gal. Maximiani, describit Lactantius (*a*). Et ab ipso Libanio (*b*) malum, quod reliqua cuncta superabat, vocatur, ὁ ἀρότητος φόρυς, ἄργυρος κ̀ χρυσὸς φρίττειν προσιέσας ποιῶν τὰς δεινὰς πεντετηρίδας, *tributum illud intolerabile Chrysargyrum*, auri sc. & argenti, *quo fit, ut singula Quinquennalia, quoties jam propinqua sunt, terrorem animis injiciant*. Auctorem *Chrysargyri* Constantinum M. facit Zosimus (*c*): cum hoc tamen expostulat de hac re Evagrius (*d*), in eumque invehitur; plurimum vero commendat Anastasium Imperatorem, quod ἡ τȣ̃ καλȣμένȣ Χρυσαργύρȣ ἐς τέλεον κωλύμη, ab eo idem *tributum, Chrysargyrum dictum, sit sublatum*. Anno itaq; *decimo* imperii Ἀνασάσιος ἀνέσειλε τὸν Χρυσάργυρον, *Chrysargyrum abolevit Anastasius* ex Theophane (*e*). Pompeji & Avieni Consulatu, qui annum Chr. DI. insignivit, id factum docere Theophanem, ejusque Chronologiam Pagium (*f*) amplecti, notat Basnagius (*g*). Sed ipse in annum CCCCXCVIIII. retrahit. Sabas, inquit, qui Anastasii ætate floruit, anno DXII. Anastasio hæc locutus est (*h*): *Universa Romanorum Resp. vestræ Serenitati gratias agit, quod jam ante* XIII. *hosce annos ab iniquissimo Chrysargyri vectigali liberata fuerit*. At ego credo sublatum Chrysargyrum anno Chr. D., in hunc enim incurrunt & *anni* XIII. Sabæ, & *decimus* Theophanis; maxime si incompleti sumantur: nam anno Chr. CCCCXCI. mense Aprili Anastasius factus est Imperator. In ipsum propterea annum D. incurrunt etiam *Decennalia* Anastasii, quorum solemnium indicium inter alia facit Pagius (*i*) ipsam *Chrysargyri* abolitionem. Non omisit tamen Imperator donativum *auri*, νόμος δὲ ἐν τοῖς τοιȣ́τοις χρόνοις χρυσὸν ἰέναι παρὰ τῶν κρατȣ́ντων τοῖς ςρατιώταις εἰς χεῖρας (*k*), *quod antea solebant Principes hujusmodi temporibus*, sive solemnibus *largiri militibus*. Nam Marcellinus in Chronico sub Consulibus ejusdem anni D. hæc habet: *Anastasius Imp. donativum Illyricianis militibus per Paullum Tribunum Notariorum erogandum misit*. Iniit eodem anno Anastasius *decimum* imperii annum, siquidem de annis plenis loquamur, quemadmodum etiam Theodoricus Italiæ Rex; eodem enim tempore, quo Anastasius

(a) De Mort. Perf. cap. 31.
(b) Orat. contra Florentium pag. 427. ex verf. Pagii Diff. Hyp. Part. II. cap. 4. n. VII.
(c) Lib. II. Hist. cap. 35.
(d) Lib. III. Histo. Eccl. cap. 39. & 40.
(e) In Chronogr.
(f) Diff. Hypat. pag. 297. seu Part. II. cap. ult. ad an. Chr. 501.
(g) In An. Pol. Eccl. ad an. Dom. 499. n. 1.
(h) Vit. Sabæ c. 54. 303.
(i) Diff. Hypat. Part. II. cap. ult. ad an. Chr. 501. & in Crit. ad eumd. an. n. I.
(k) Liban. Orat. ad Ellebichum p. 526.

ſtaſius imperium, regnum Theodoricus obtinuit. Nam *Olybrio V. C. Coſs.* anni Chr. CCCCLXXXXI. *Theodoricus (a) in legationem direxerat Fauſtum Nigrum ad Zenonem*, qui præceſſit Anaſtaſium in imperio. *At, ubi cognita morte ejus, antequam legatio reverteretur, ut ingreſſus eſt Ravennam* poſt Idus Julias, *& occidit Odoacrem, Gothi ſibi confirmaverunt Theodoricum Regem, non exſpectantes juſſionem novi Principis*. Anno poſt decimo, qui eſt Chr. D. (b), *Patricio & Hypatio Coſs., hoc anno*, inquit Caſſiodorus in Chronico, *D. N. Rex Theodoricus Romam — advenit —, & Romanæ plebi donavit annonas* &c. Ab Anonymo autem Valeſii (c) dicitur Theodoricus *per Decennalem triumphans populo ingreſſus palatium, exhibens Romanis ludos Circenſium*. Legitur quidem per *Tricennalem*, at poſt Valeſium (d) reponunt Viri eruditi, ut par eſt, *Decennalem*, & ejus Regis *Decennalia* interpretantur. Atque hæc ſunt reliqua hujus generis ſolemnium veſtigia, quæ nobis demum occurrunt.

(a) Excerpt. Valeſ. ex Anon. edit. poſt Ammianum Marcell. pag. 480.

(b) U.C. 1253.

(c) Pag. 482.

(d) In Not.

XXXIII. Ex his, quæ diſſeruimus, aperte, ni fallimur, conſtat, prima *Quinquennalia* ante finem *Quinquennii* completi, & prima *Decennalia* ante finem *Decennii* completi celebrari conſueviſſe; ſecunda vero & reliqua *Quinquennalia* atque *Decennalia* fuiſſe completa, & annis quinque vel decem integris coaluiſſe. Sæpe diximus & oſtendimus, anno quinto ineunte edita *Quinquennalia*, decimoque pariter ineunte celebrata *Decennalia*; quod tamen de annis naturalibus intelligi volumus. Ceterum annis civilibus in computandis tum *Quinquenniis* tum *Decenniis* uſos eſſe Imperatores contendimus. Atque huc omnis noſtra diſputatio & argumentatio ſpectat, ſicuti & rerum atque Scriptorum conciliatio. *Quinquennalium* nomen annos quinque, illud *Decennalium* annos decem ſignificat; nec ullam veri ſpeciem habet, Auguſtum, a quo *Decennalia* manarunt, quique imperium adfectabat, annis novem pro *Decennio* contentum fuiſſe. Quodque majus eſt omni exceptione, ſecunda & tertia, &, ſi quæ alia fuerunt, *Decennalia* ex annis decem conſtiterunt; atque adeo dubitari poſſe non videtur, quin & primum ex decem annis conſtiterit. Præterea Dio aliique Scriptores, quum de *Decennalibus* ſolutis agunt, ea exacta, ſeu decem annos finitos, ut vidimus, vocant. Quare certum omnino exiſtimamus, tam primum *Decennium* quam reliqua decem annos complexa fuiſſe. At vero decem hos annos nonniſi incompletos in primo *Decennio* obſervamus, in

reliquis integros. Idipſum in *Tribunicia Poteſtate* obſervavimus, primamque incompletam hac de cauſſa ſtatuimus. Animadvertimus etiam, quod Dio Caſſius (*a*) docet, nempe *juxta Tribuniciam Poteſtatem dinumerationem quoque annorum Principatus proceſſiſſe*: quapropter id, quod in hac ineſt incompleti, communicatum annis Principatus arguimus. Quoties itaque in primum *Decennium* prima quoq; *Tribunicia Poteſtas* incurrit, ipſum *Decennium* incompletum obſervare eſt: quoties vero illa præceſſit, primum *Decennium* remanet completum. Hoc autem ſatis, ut nobis videtur, facto probatum dedimus, ſeu potius ſe ipſum reapſe prodit. Qua re non parum opinioni noſtræ de *Tribunicia Poteſtate*, die x. Decembris iteranda multiplicandaque, conſultum credimus.

(a) Lib. LIII. p. 508. D.

XXXIV. Finem huic de Votis *Quinquennalibus* ac *Decennalibus* Animadverſioni facere placet fine nedum hujuſmodi Solemnium, ſed etiam Donativi, quod ea conſequebatur. Reliquias Solemnium in Anaſtaſio & Theodorico recognovimus, Donativi ceſſationem in Juſtiniano, qui cœpit imperare anno U. C. MCCLXXX. Chr. DXXVII., nunc proferimus. Hæc itaque de eo ſcribit Procopius (*b*). Νόμος ἦν ἀνὰ πενταετηρίδα ἑκάστην τὸν Βασιλέα τῶν στρατιωτῶν ἕκαστον δωρεῖσθαι χρυσίῳ τακτῷ. πέμποντες δὲ ἀνὰ πεντάετες πανταχόσε τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς, παρείχοντο στατῆρας χρυσοῦς στρατιώτῃ ἑκάστῳ πέντε. καὶ τοῦτο οὐχ οἷόν τε ἦν μὴ πράσσεσθαι ἀεὶ μηχανῇ πάσῃ. ἐξότου δὲ ἀνὴρ ὅδε διῳκήσατο τὴν πολιτείαν, τοιοῦτο οὐδὲν, οὔτε διαπράξατο, οὔτε ἐμέλησε, καίπερ χρόνου δύο καὶ τριάκοντα ἐνιαυτῶν τριβέντος ἤδη. ὥστε καὶ λήθην τοῦ ἔργου τούτου τοῖς ἀνθρώποις γενέσθαι. *Mos erat Imperatorem per Quinquennalia militum quemlibet certo ſtatere aureo proſequi. Ergo per totum Romanum imperium quinto quoque anno mittebantur, qui ſingulis militibus ſtateres aureos quinque penderent: idque rato inviolatoque uſu receptum erat. Ex quo vero ad Remp.* Juſtinianus *acceſſit, id nec fecit, nec curavit; etſi jam duo & triginta excurrant anni; ita ut ejus rei pæne ceperit mortales oblivio.* Heic habes Lector morem Juſtiniano ſuperiorem donandi ſingulis *Quinquenniis*, nullo facto inter *primum* & alia *Quinquennia* diſcrimine, ſingulis militibus ſtateres aureos *quinque*, pro numero ſc. annorum imperii exactorum; ac finem habes etiam ejuſdem Donativi, ſimulque, ni mea me fallit opinio, omnis *Quinquennalium* ac *Decennalium* veſtigii.

Ceſſatio Donativi occaſione Quinquennalium ac Decennalium fieri ſoliti.

(b) In Hiſt. Arcan. cap. 24.

ANIMAD-

ANIMADVERSIO III.

DE

NOMINE NAVARCHIDIS.

I. Ccurrit in nummis Orientalium Urbium nomen *Navarchidis*, quod Antiquarii varie accipiunt & explicant. Cl. itaque Vaillantius (*a*) in primis notat, Civitates ambitione ſemper inter ſe decertantes, titulos & honores, quibus alias præcederent, avide optaſſe, mediterraneas *Metropoleos* aut *Primatus*, maritimas *Navarchidis* dignitatem. Hinc ſubdit, *Navarchidem* Urbem dictam fuiſſe, quæ Claſſi Provinciæ præerat; ſeu, quod *Navarchus* in Provincia ab Imperatore conſtitutus, qui maritimas ejus partes a piratis defenderet, in ea ſtaret; ſeu quod Imperator ſtationem navium in Urbe haberet. At ego obſervo, ne dum mediterraneas ſed & maritimas Urbes *Metropolis* & *Primatus* titulos avide optaſſe, ut teſtis eſt Epheſus apud ipſum Vaillantium; apud quem (*b*) pariter occurrit cum titulo *Metropoleos* Laodicea Syriæ ad mare ſita. Sunt etiam Sidon, Tyrus, & Alexandria Urbes maritimæ, quæ ejuſdem *Metropolis* dignitate inſigniuntur. Quod vero ſpectat ad nomen *Navarchidis*, Vaillantio adſtipulatur Spanhemius (*c*), quippe qui Ναυαρχίδες id genus Urbes itidem ſic dictas arbitratur, etſi de eo ſileant ferme Auctores, quod naves ibi ſeu Claſſes ad tutelam Urbis ac Provinciæ velut in ſtatione agerent, & in quas imperium iiſdem Urbibus erat conceſſum; adeo ut per ipſum inluſtrior habenda ſit hæc Ναυαρχίδος, quam ſibi vindicant aliquot Urbes maritimæ in antiquis earumdem nummis, appellatio, qua navium ſeu Claſſis apud ſe ſtatio, ac earum præfectura, quæ iiſdem urbibus incumberet, deſignatur. Eruditiſſimus porro Harduinus (*d*) Ναυαρχίδα, *Claſſicam* interpretatur, quo nempe modo *Forum Julii* in Provincia Narbonenſi (*e*) *Colonia Claſſica* nuncupatur; quod *Imperatoriæ claſſis navale* id foret: τὸ ναυσταθμὸν τοῦ Καίσαρος, inquit Strabo (*f*). Fuiſſe tamen & alias Colonias Claſſicas ſubdit, quod ex militibus conſtarent Legionis Claſſicæ, qualis eſt in nummis Antonini LEGIO XVII. CLASSICA, e *Claſſiariis* conſcripta militibus. Quumque animad-

De nomine Navarchidis aliorum opinio & explicatio.

(a) In not. ad n. græc. pag. 215.

Vaillantii opinio.

(b) Ibid. pag. 208.

Spanhemii opinio

(c) Diſſ. IX. de Præſt. &c. p. 687.

Harduini de voce Navarchidis explicatio.

(d) In Notis ad nummos Populor. & Urbium voce ΔΩΡΩΝ.

(e) Plin. Lib. III. Sect. V. ſeu cap. 4.

(f) Lib. IIII. pag. 184.

vertiſſe ſibi viſus ſit in mediterraneis quoque civitatibus Ναυαρχίδες, has fuiſſe retur, quæ ſuis ſumptibus claſſem alerent. *Ut ut alii*, demum inquit, *hanc vocem accipiant, nihil moror. Noſtrum interim nobis commentum arridet.* Rem gratam Lectoribus feciſſet Harduinus, ſi urbes deſcripſiſſet, quas in mediterraneis Ναυαρχίδες animadvertit; quippe Navarchides mihi non occurrunt (*a*) niſi Ægæ, Dora, Corycus, Nicopolis, Sebaſte, Sidon, & Tyrus, urbes omnes ad mare ſitæ. Cl. Bandurius (*b*) Vaillantium exſcribit, ita ut *Navarchis* Urbs ab eo dicatur, quæ Claſſi Provinciæ præerat; ſeu quod *Navarchus* in Provincia ab Imperatore conſtitutus, qui maritimas ejus partes a piratis defenderet, in ea ſtaret; ſeu quod Imperator in ea Urbe *Nauſtathmum*, i. e., navium ſtationem haberet. Demum Eruditiſs. Frœlich ita ſententiam ſuam promit (*c*). *Maritimæ quædam Urbes* NAY. NAYAPXIΔOC, *ſeu Claſſicæ Urbis jura numis præferebant; quibus nempe præſidiariam Claſſem, ejuſdemque Præfecturam habere conceſſum eſt.*

(a) Vide Vaill. in Græc. pag. 215. & 216. Spanhem. Diſſ. IX. de Præſt. &c. pag. 688. 690. 691.
(b) In not. ad N. Ægæor. Æmil. p. 97.
(c) Diſſ. Compend. de Util. rei Num. vet. cap. 5.

Re nautica floruerunt Urbes Navarchides.

II. Ut autem & nos noſtras proferamus conjecturas, in primis animadvertimus, plures fuiſſe iis temporibus, de quibus agimus, in mari, quod vulgo nunc dicitur *Mediterraneum*, Romanorum Claſſes. De Sicula jam locuti ſumus (*d*). Alexandrina frequentius etiam occurrit apud Scriptores & in Legibus. Commodus autem, ut notavimus (*e*), *Claſſem Africanam inſtituit* (*f*); *quæ ſubſidio eſſet, ſi forte Alexandrina frumenta ceſſaſſent*, & *Commodianam Herculeam* appellavit: nam ipſe *appellatus eſt etiam Romanus Hercules* (*g*), *quod feras Lanuvii in Amphitheatro occidiſſet.* Præterea *Carpathiæ Claſſis* mentio fit in Legibus (*h*); tum etiam nominatur in iis *intra Orientales Provincias Naviculariorum Corpus*, ſive *Navarchorum cœtus circiter Provincias Orientis*. Omnes porro Urbes, quæ *Navarchidis* nomine decoratæ ſunt, re nautica præcelluiſſe dignoſcuntur. Nam, ut a remotioribus incipiamus, Tyrus, τῆς δὲ περὶ τὰς ναυστολίας δυνάμεως, τὸ πλῆθος καὶ τὸ μέγεθος, τῶν ἀποικίδων ἐστὶ πόλεων τεκμήριον (*i*), *quantum claſſe potuerit, argumento evidenti eſt multitudo & magnitudo Coloniarum ab ea deductarum;* de quibus videndi inter alios Plinius (*k*) & Curtius (*l*). Cladem Urbs accepit ab Alexandro expugnata (*m*): has tamen calamitates omnes ſuperavit; καὶ ἀνέλαβεν αὑτήν, τῇ τε ναυτιλίᾳ, καθ' ἣν ἁπάντων τῶν ἀεὶ κρείττους εἰσὶ κοινῇ Φοίνικες, καὶ τοῖς πορφυρίοις, inquit Strabo, *& ſe recollegit cum navigationibus, qua re Phœnices ſemper*

(d) In Comm. ad num. 2. Tab. III. & in Animad. VIII. de Octav. in num. Oppii.
(e) In Com. ad n. 3. Tab. XXVI.
(f) Lamprid. in Vit. cap. 17.
(g) Id. cap. 8.
(h) Cod. Theod. XIII. Tit. V. de Navic. L. 32.
(i) Strab. Libro XVI. in Phœnic.
(k) Lib. V. cap. 19.
(l) Lib. IV. cap. 2. & ſeqq.
(m) Strab. ibid.

aliis

aliis præſtitere, tum purpuræ mercatura. Nec ſolum a Regibus, ſed a Romanis etiam libertate donata eſt. Vicina erat Sidon, cum Tyro magnitudine, & forma, & antiquitate comparanda (*a*), quin etiam a Poetis magis celebrata, tum aliis de cauſſis, tum propter ſcientiam τῆς νυκτιπλοΐας, *nocturnæ navigationis*. Ipſi triremium inventum tribuit Clemens Alexandrinus (*b*). Hinc in antiquis Urbis utriuſque nummis conſpicua eſt navis. Vicina pariter erat Urbs Dora, cujus olim potentiam id indicat, quod *anno centeſimo ſeptuageſimo quarto* (*c*) regni Græcorum, ſive Seleucidarum *inſecutus eſt* Tryphonem *Antiochus Rex* Syriæ, *& venit Doram* Tryphon *fugiens per maritimam. Et adplicuit Antiochus ſuper Doram cum* CXX. *millibus virorum belligeratorum, &* VIII. *millibus equitum: & circuivit civitatem, & naves a mari acceſſerunt: & vexabant civitatem a terra & mari*. Nec tamen urbe tunc potitus dicitur Antiochus, ſed *adplicuit* (*d*) *caſtra in Doram ſecundo, admovens ei ſemper manus, & machinas faciens*. Pompejus hanc urbem liberam eſſe ſivit (*e*), provinciæque Syriæ adtribuit. De Ægis ſive Ægæis, Coryco, ac Sebaſte in Cilicia ſuperfluum eſt dicere, quum ſatis noti ſint ipſi Cilices uno bello piratico, cui finem demum impoſuit Pompejus. Poſt Ægæas Iſſus erat ὕφορμον ἔχων (*f*), *cum ſtatione*; & in ſinu Iſſico *Nicopolis* ex Strabone. Erat vero etiam *Nicopolis* in Epiro (*g*), in quam Auguſtus Ambraciam & vicinas urbes contraxit; & nomen *Nicopolis* indidit a victoria, qua potitus eſt devicto ad fauces ſinus navali pugna Antonio & Cleopatra Ægypti Regina. *Civitas libera Nicopolitana* dicitur a Plinio (*h*). Maritimam aliam urbem in Ægypto, ubi rurſus cum Antonio pugnatum fuerat, Auguſtus condidit (*i*), idemque ei nomen, nempe *Nicopolis* adtribuit. Nummos Nicopolis cum titulo *Navarchidis*, Epiri, ſeu *Achajæ* (*k*) *Nicopoli, ſeu Actiæ* (*l*) *Nicopoli* deputant inter alios Antiquarios Harduinus (*m*) & Vaillantius (*n*). Atque hæ ſunt Urbes, quæ cum eodem *Navarchidis* nomine hucuſque, quantum ego ſcio, comparuerunt.

(a) Id. ibid.
(b) Lib. X. Strom.
(c) Lib. I. Machab. cap. XV. v. 10. & ſeqq.
(d) Verſ. 25.
(e) Joſeph. Libro XIV. Ant. cap. 4. al. 8.
(f) Strab. Libro XIV. in Cilic.
(g) Id. Lib. VII. in Epiro.
(h) Lib. IV. cap. 1.
(i) Dio Caſſ. Lib. LI. pag. 456. A. Strab. Lib. XVII. in Ægyp.
(k) Tacit. An. II. cap. 53.
(l) Anton. Itin.
(m) In Num. Pop.
(n) In Græc.

Auctoris de nomine Navarchidis opinio.

Quod autem ad notionem ejuſdem nominis ſpectat, ego crediderim, ſic dictas fuiſſe eas Urbes, quæ habebant Claſſem, ſive corpus, vel cœtum Navarchorum, aut Naviculariorum publico muneri obnoxium. Hoc autem munus duplex fuiſſe videtur, unum militaris, alterum publici commeatus tranſvectionis. Non raro opus erat Romanis ultra citraque mare traducere

ducere

ducere exercitus, & commeatu ſemper indigebant. Prioribus temporibus, quibus toto mari oraque maritima nondum potiebantur, navibus bellicis præpollebant; poſtea onerariarum uſus prævaluit. Quare de his, quas etiam præcipue, ne dicam unice, reſpicere videntur nummi, utpote iis temporibus percuſſi, quibus Imperatores mari pacato fruebantur, noſtra erit animadverſio.

III. Itaque opinor, Urbes *Navarchides* eas fuiſſe, quæ corpus ſeu cœtum habebant *Navarchorum* ſeu *Naviculariorum*, genere facultatibuſque fretorum, quibus onus *præſertim* frumentarii commeatus incumberet, atque in id prædia haberent his obligata muneribus; indeque tum aliis privilegiis gauderent, tum eſſent a vectigali præſtatione immunes. Erant ſane in Romano imperio hæc corpora ſeu cœtus Naviculariorum, & quidem genere facultatibuſque conſpicuorum; paſſim quippe in legibus *Naviculariorum corpus* ſive *Navarchorum cœtus* occurrit. *Imperatores* autem *Valentinianus*, *Valens*, *&* *Gratianus A A A.*, quum Naviculariorum minutus eſſet numerus, hujuſmodi mandatum in litteris *ad Modeſtum Pr. P.* dederunt (*a*): *Juxta eum tenorem, quem a Divo Principe Conſtantio, data Muſoniani clariſſimæ memoriæ Pr. P. executione, conſtat eſſe roboratum, intra Orientales Provincias Naviculariorum Corpus impleri jubemus*. Inde genus, ex quo deligi debeant Navicularii hoc modo præſcribunt: *Et ſunt Corpora, de quibus Navicularii -- conſtituendi ſunt juxta ſacram juſſionem ita: Ex Adminiſtratoribus ceteriſque honorariis Viris, [præter eos, qui intra Palatium ſacrum verſati ſunt], de Cœtibus Curialibus & de veteribus idoneis Navicularii, & de ordine Primipilario, & de Senatoria dignitate; ut, ſi qui voluerint, freti facultatibus, conſortio Naviculariorum congregentur*. Neque vero humili genere nati opibuſque deſtituti *Navicularios* agere permittebantur. Hinc, quod legibus antea cautum fuerat, novo edicto confirmarunt *Imperatores Valentinianus* (*b*), *Theodoſius*, *&* *Archadius Auguſti* litteris *Alexandro Præfecto Auguſtali datis* XII. *Kal. Martias Conſtantinopoli* ipſo *Valentiniano Auguſto* IIII. *&* *Neotherio* anni Chr. CCCXC. (*c*) *Coſ*. Itaque jubent, quod *inopes vilibuſque commerciis occupati Naviculariæ tranſlationis munus obire non debeant*. Imperatores vero Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Auguſti (*d*) *Corpori Naviculariorum delatam eis a Divo Conſtantio & Juliano Principibus Equeſtris Ordinis*

(a) XIII. Cod. Theod. Tit. V. de Navic. L. XIIII. dat. 3. Id. Febr. Gratiano A. II. & Probo Coſs. anno Chr. 371. U. C. 1124.

Corpus Naviculariorum genere & facultatibus inſigne.

(b) Leg. XVIII. Cod. Theod. Tit. V. de Navic.

(c) U. C. 1143.

(d) XIII. Cod. Theod. Tit. V. de Navic. L. XVI.

Ordinis dignitatem firmarunt.

IIII. Quod vero *Navarchis* onus incumberet frumentarii commeatus, ex alio Imperatorum Honorii & Theodosii Augustorum rescripto discimus; quippe scribunt (*a*) ad Anthemium Præfectum Prætorio, quod „ quum *Navarchorum cœtus* circiter Provincias Orientis, inopia navium titubaret, & „ investigandæ classis obtentu, Insularum successus obiret, & „ navigandi opportunitate transacta, Judiciorum indignatio „ sine transvectionis expectaretur effectu, merito ejus Celsitu„ do Præfecto Augustali & Insularum Præside conventis, Ale„ xandrinæ & Carpathiæ Classis Summates & nonnullos alios „ Naucleros eo professionis adduxit, *ut onus frumentarii commeatus, qui per Orientales Navarchos ex Alexandrinæ civitatis conditis censuerat ad sacratissimam Urbem transferri, in suam fidem susceptum ad eadem Augustissimæ Urbis horrea comportaret.* Erat itaque statutus rei frumentariæ canon, quem deferre tum ad Urbem imperii sedem, tum ad alias, quæ indigebant, seu indigentibus viciniores erant, Navicularii tenebantur. Hinc litteræ F. C., quas *Oppius, Atratinus, & Bibulus* PRAEF*ecti* CLAS*sis* in nummis (*b*) M. Antonii Triumviri exhibuerunt, *Frumento Convehundo*, e Sicilia nempe Romam haud incongrue intelligi possunt, & hoc ipso sensu nos etiam (*c*) eas explicavimus.

(a) Ibid. Leg. XXXII.

Navarchis onus frumentarii commeatus incumbebat.

(b) Hardu. in H. Aug. ad an. U.C. 717.

(c) Animadverf. VIII. de Octav. in Num. Oppii.

V. Porro cavebatur, ut & numerus Navarchorum suppeteret, & convehundo statis temporibus frumento præsto foret. *Universos*, ita mandant Honorius & Theodosius Augusti (*d*) Seleuco Præfecto Prætorio, *quos naviculariæ conditioni obnoxios invenit antiquitas, prædictæ functioni conveniet famulari. Personas igitur memoratas, & eorum heredes, & prædia persequenda esse decernimus; ut canon Sacratissimæ Urbis vel expeditionalium Portuum necessitas impleatur.* In quibus verbis velim illud Lector animadvertat, jam tum antiquis temporibus exstitisse Navicularios, quippe *naviculariæ conditioni obnoxios invenisse* dicitur *antiquitas*. Videntur etiam statuta tempora, quibus adpellere cum frumento Navarchi ipsi tenerentur; nam Arcadius & Honorius (*e*) *Navicularios tertiam Urbani Canonis portionem inter prima navigationis jubent deferre exordia.*

Naviculariorum copia atque diligentia legibus cautæ.

(d) Leg. XXXV. Dat. prid. Non. Mart Rav. Honor. IX. & Theod. V. AA. Coss. an. Chr. 412. U. C. 1165.

(e) Leg. XXVII. Dat. 17. Kal. Maji an. Chr. 397. U.C. 1150.

VI. Adigebantur quoq; Navicularii ad resarciendam, aut etiam exædificandam classem, quippe gaudebant prædiis huic rei obnoxiis. Hinc modo laudati Imperatores lege (*f*) ad hoc lata provideri jubent, *ut naves singuli quique navicula-*

(f) Leg. XXVIII.

riæ

riæ obnoxii functioni, ad necessarium & constitutum modum exædificare cogantur, ut onera debita & justa suscipiant. Valentinianus vero, Valens, & Gratianus præceperant (*a*), ut *ad conficienda competentia navigia Provincialibus cunctis primitus materiæ postularentur, reparationem deinceps per singulos annos iisdem navicularïis ex concessa jugerum immunitate curaturis.* Arcadius ipse & Honorius mandant (*b*), *ut Classem incuria & vetustate conlapsam Prætoriana Præfectura restituat, ita ut omnes, qui prædia his obligata muneribus, quibuslibet modis vel contractibus impetrarunt, secundum possessionis modum ad commeandi vocentur officium.* Juvabit heic Legem exscribere, quam hac de re prædicti Valentinianus, Valens, & Gratianus Augusti condiderunt (*c*). Ita vero habetur. „ In his, quæ Navicularii „ vendunt, [quoniam intercipere contractum emendi ven„ dendique fas prohibet], emptor Navicularii functionem „ pro modo portionis comparatæ subeat. Res enim oneri „ addicta est, non persona Mercatoris. Neque Navicularium „ illico jubemus fieri eum, qui aliquid comparavit, sed eam „ partem, quæ empta est, pro suo modo ac ratione esse mu„ nificam. Nec enim totum patrimonium ad functionem na„ vicularii muneris occupandum erit, quod habuerit, qui rei „ exiguæ Mercator accessit, sed illa portio, quæ ab initio Na„ vicularii fuit, ad pensionem hujus functionis sola tenenda „ est; residuo patrimonio, quod ab hoc vinculo liberum est, „ otioso & immuni servando." Hucusque Lex.

Classem tenebantur reficere Navicularii.

(a) Leg. XIIII. a.1. Chr. 371.

(b) Eadem Lege XXVII.

(c) Leg. VII.

Prædia naviculariæ functioni obligata.

VII. Quæ quum ita essent, privilegiis plurimis ornati erant Navicularii, ac præsertim immunitate gaudebant. Hujusmodi privilegia Naviculariis concessa a Constantino Magno habentur Lege VII. Codicis Theodosiani XIII. Titulo V. de Naviculariis; tum etiam, quæ iisdem indulsere Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, Legibus exhibentur XVI. & XVII. ejusdem Codicis ac Tituli. Lege vero XXIII., quæ est Valentiniani, Theodosii, atque Arcadii Imperatorum, Rufino Præfecto Prætorii data III. Idus Decembris eodem Theodosio Augusto III. & Abundantio anni Christi CCCXCIII. (*d*) Coss., *solos Navicularios a vectigali præstatione immunes esse præcipitur: omnes vero Mercatores teneri ad supradictam præstationem in solvendis vectigalibus, absque aliqua exceptione decernitur.*

Privilegiis & immunitate gaudebant Navicularii.

(d) U.C. 1146.

VIII. Hæc, quæ diximus, non ita intelligi volumus, quasi

quasi unaquæque Civitas, quæ *Navarchidis* nomine insignita erat, classem integram haberet & aleret: hoc enim verosimile non videtur, maxime quum inter ipsas *Navarchides* aliquot fuerint parvæ Civitates. Verum nos credimus, singulam quamque hujus generis Urbem unam, aut plures Naves in Classem, seu ad efformandam Classem ejus regionis contulisse. Sic Tyrus, Sidon, & Dora Classem Orientalem componere potuerunt; Ægæ, Corycus, ac Sebaste Cilicam; & hoc modo aliæ, ita ut tamen unaquæque Civitas suum haberet *Navarchum*, & ipsa *Navarchis* appellaretur. Erant etiam, ut vidimus (*a*), *Classium Summates*, & *Insularum Præses*; & de *Præfectis Classis* Siculæ alibi (*b*) egimus; qui quidem Præfecti navibus, Navarchis, totique Classi imperabant. Cicero de Classe Sicula contra Verrem differens (*c*), Urbes nominat, quæ naves in eamdem Classem miserant. *Egreditur*, inquit, *Centuripina quadriremi Cleomenes e portu* Syracusano; *sequitur Segestana navis, Tyndaritana, Herbitensis, Heracliensis, Apolloniensis, Haluntina, præclara Classis* &c. Accusat autem ipsum Verrem, quod accepta pecunia navem *Mamertinis* non imperarit, *Tauromitanis* vero imperarit. *Navarchos*, qui singulis navibus præessent, *electos ex suis civitatibus* subdit: & aliquorum nomina prodit; eosque nobilissimos vocat. Semper autem factitatum ait, ut Civis Romanus, sive Quæstor, aut Legatus, sive Tribunus Prætoris *civitatum militibus, navibus, Navarchis* imperaret. Hinc Oppius, Fontejus, ac Bibulus *Proprætores* & *Præfecti* Classis Siculæ inveniuntur in nummis (*d*). Inter Classis munera illud recenset primum præcipuumque contra prædones navigandi; hinc frumenti Romam convehundi meminit, tum etiam naves armatas atque ornatas mittendi, quoquumque res postulasset. Sed, postquam in mari Mediterraneo subacto pacatoque bella ac piratæ desierunt, reliquum fuit frumenti Romam convehundi munus, &, ut videtur, exercituum ad oras maritimas bellis ingruentibus viciniores traducendorum. In apparatu bellico Pompeji contra Cæsarem præter naves armatas recensetur (*e*) πολὺ δὲ ὁλκάδων ϗ σκευοφόρων ἄλλο πλῆθος, Ναύαρχοί τε πολλοὶ κατὰ μέρη· ϗ ἐπ' αὐτοῖς Μάρκος Βυβῖνος, *onerariarum, & quæ apparatum subvehebant, navium alia multitudo magna, divisa in aliquot Navarchos, quibus M. Bibulus præerat*. Hic postea (*f*) *Classis Antonii Præfectum egit, ejusque copias transvexit contra* alterum *Cæsarem*.

(a) Num. IIII.

(b) Animadvers. VIII.

(c) Lib. seu Orat. V. seu ult. in Verr.

(d) Vid. Animadvers. VIII. de Octav. in Num. Oppii.

(e) Apud Appian. Lib. II. de Bell. Civil. p. 753. al. 459. ubi legendum est Βίβυλος.

(f) Apud eumd. Lib. IV. Bell. Civ. pag. 984. al. 611. Textum græcum retulimus Differt. VIII. pag. 174.

ANIMADVERSIO IV.

IN NUMMOS II. ET III.

TABULÆ II.

De tempore imminuti ponderis Aſſium apud Romanos.

I. 

Uſos fuiſſe a Romanis hujuſmodi nummos, tertium ſaltem, certiores nos reddit ipſius *Romæ* nomen, quod in eo legitur. Primis porro Reip. Romanæ temporibus *Librales,[unde nunc etiam Libella dicitur, & Dupondius*], inquit Plinius (*a*), *appendebantur Aſſes: quare æris gravis pœna dicta. ---- Antea rudi uſos Romæ Timæus tradit* (*b*). ---. *Argentum ſignatum eſt anno Urbis* CCCCLXXXV. *Q. Ogulnio, C. Fabio Coſs., quinque annis ante primum bellum Punicum. Et placuit Denarium pro decem libris æris, Quinarium pro quinque, Seſtertium pro Dupondio ac Semiſſe. Librale autem pondus æris imminutum bello Punico primo, quum impenſis Reſp. non ſufficeret: conſtitutumque, ut Aſſes ſextantario pondere ferirentur. Ita quinque partes factæ lucri, diſſolutumq; æs alienum --. Poſtea Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore, Aſſes unciales facti, placuitque Denarium ſedecim Aſſibus permutari, Quinarium octonis, Seſtertium quaternis. Ita Reſpublica dimidium lucrata eſt. In militari tamen ſtipendio ſemper Denarius pro decem Aſſibus datus. --. Mox Lege Papiria ſemiunciales Aſſes facti*. Ita de Aſſibus Plinius, cujus ſententia eſt, Aſſes primum *librales*, id eſt, duodecim unciarum factos fuiſſe; librale autem pondus æris imminutum bello Punico primo, conſtitutumque, ut Aſſes ſextantario pondere, duarum nempe unciarum ferirentur; poſtea, Q. Fabio Maximo Dictatore, Aſſes unciales factos, moxque lege Papiria ſemiunciales. Feſtus tamen primam Aſſis diminutionem ad tempus belli Punici ſecundi differt: at in ipſa diminutione cum Plinio concordat. Nam verbo *Sextantarii* ita ſcribit: *Sextantarii Aſſes in uſu eſſe cœperunt ex eo tempore, quo propter bellum Punicum ſecundum decreverunt Patres, ut Aſſes, qui tum erant librarii, fierent ſextantarii*. Rurſus verbo *Grave Æs* hæc habet: *Bello Punico Populus Romanus preſſus ære alieno ex ſingulis Aſſibus librariis ſenos fecit, qui tantumdem valerent*. Plinii Feſtique ſententiam quoad Aſſis imminutionem ita, ut ex duodecim unciis

(a) Lib. XXXIII. cap. 3., ſive Sect. 13. apud Harduin.

(b) *Credidit* Harduinus legit.

unciis ad duas uncias simul ac semel redactus sit, sequuntur, qui de re Romanorum monetaria scripserunt, Auctores. Nam, quod ad tempus spectat, sive bello Punico primo, sive secundo factum id sit, parum refert, maxime quum inter finem prioris & secundi principium, anni circiter viginti tantum intercesserint.

II. At non parum difficultatis pariunt nummi, laudatamque sententiam perturbare, ne dicam, evertere videntur. *Imminutum paullatim Assem nummi produnt.* Itaque non talem illi tantamque assis uno eodemque tempore diminutionem præferunt, qualem Plinius ac Festus volunt. Verum imminutum paullatim Assem nummi ipsi exhibent. Nota Assis erant I vel L, Semissis vero S, Trientis quatuor globuli o o o o, prout exemplum videre est in nummis Tabulæ II. Musei hujus Pisani, qui globuli uncias denotant: Quadrans tribus globulis signabatur, duobus Sextans, unoque Uncia, quæ duodecima pars Assis erat. Eruditissimus D. Honorius Arigonus Civis Venetus, antiquitatis & Antiquariorum studiosissimus, quem honoris & amicitiæ caussa nomino, in copiosissima, quam magno sumptu concinnavit, nummorum serie plures habet Asses, tum etiam Assium partes, ex quibus constat, Assem ipsum cum ejus partibus fuisse paullatim imminutum. Æri autem incidi illos curavit, publiciq; juris nuper fecit cum aliis pluribus ineditis nummis, quos e Museo suo selegit, alios etiam, quos æri pariter incisos, ac paratos habet, proxime, ut ad me scripsit, editurus. Assibus autem eorumque partibus pondus addi fecit, ad lancem diligentissime revocatis. Sunt itaque apud ipsum Asses unciarum circiter XI, decem, sex, quatuor, ac trium: Semisses vero unciarum circiter sex, quinque, quatuor, ac trium. Habentur Trientes unciarum quatuor, trium, ac duarum; Quadrantes vero trium ac duarum unciarum. Ex quibus omnibus constat, non uno eodemq; tempore Asses ex libralibus *sextantarios* factos fuisse, sed paullatim imminutos, & sensim ad duarum unciarum pondus redactos, contra quod post Plinium ac Festum ab Eruditis creditur. Nec dubitandum, quin Arigonii Asses, eorumq; partes nempe Semisses, Trientes, ac Quadrantes a Romanis cusi fuerint: quippe notas præferunt, quas dignoscendis Romanis hujusmodi nummis Plinius ipse & Festus aliique adsignant, Janum scil. geminum & Rostrum Navis, sive Ratem. *Nota æris*, inquit Plinius (a), *fuit ex altera parte*

(a) Loco citato.

parte Janus geminus, ex altera Roſtrum navis, in Triente vero & Quadrante Rates. Feſtus etiam, *Ratitum*, ait, *Quadrantem dictum putant, quod in eo & Triente Ratis fuerit effigies, ut Navis in Aſſe.* Cornutus (*a*) quoque hæc habet: *Saturno in Italia regnante æs in uſu fuit..... Illud æs una parte capite Jani notatum erat, altera nave, qua Saturnus fugiens ad Italiam vectus eſt. Bene autem in illo nummo geminum erat ſignum, & hoſpitalitatis Jani, & adventus Saturni.* Quo Ovidius reſpexit, quum cecinit (*b*):

(a) In Perſii Satyr. II.

(b) Lib. I. Faſt. v. 227.

Multa quidem didici: ſed cur navalis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?
At bona poſteritas puppim formavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Idem teſtatur Macrobius, quem pariter in Commentariis (*c*) laudavimus. Videre porro eſt in Aſſibus Arigoniis *ex altera parte Janum geminum, ex altera Roſtrum navis: in Triente vero & Quadrante Ratem*: quæ notæ indicant, hujuſmodi nummos a Romanis fuſos atque percuſſos fuiſſe. At hæc leviori calamo, quantum tamen heic ſatis eſt, adtingimus, ne in alienam meſſem intrare videamur, & ut hujuſmodi nummos majori diligentia pertractare, tum etiam majori eruditione inluſtrare, melioribus ingeniis integrum ſit atque reſervatum. Quam in rem minutiora ſupra uncias pondera, tum etiam Aſſis cum ſuis partibus comparationem, & Arigoniorum nummorum cum aliis apud alios conlationem, & cetera, quæ huic argumento neceſſaria videri poſſunt, de induſtria omiſimus.

(c) Tab. II. n. 2.



ANIMAD-

ANIMADVERSIO V.

IN LITTERAS COL. A. A. P.

NUMMI I. TABULÆ IV.

I. NUmmos hujuſmodi ad *Coloniam Patrenſem* in Achaja communiter referunt rei nummariæ periti: neque in hoc eſt difficultas, nam ſæpe occurrit (*a*) COL. A. A. PATREN., vel PATRENS., quæ inſcriptio certam reddit de *Colonia Patrenſi* interpretationem. Novimus porro, Patras ἀποικίαν Ῥωμαίων ἐστιν (*b*), *Coloniam fuiſſe Romanorum*: illuc enim in Coloniam deduxit *Auguſtus* magnam partem exercitus, quo in Actiaca paranda victoria uſus fuerat: ac præterea alia in ipſam civitatem beneficia contulit, quibus a ſe deductas *Colonias* adficere Romani ſolebant, ut jam ex Pauſania (*c*) notavimus (*d*). Hinc unam ex litteris A., quæ in hoc aliiſque *Coloniæ Patrenſis* nummis conſpiciuntur, *Auguſtam* omnes interpretantur. Reſtat proinde altera littera A., de qua non omnes conveniunt. Plurimi quidem *Aroen* explicant: at contradicit Eruditiſs. Harduinus. *Pauſania auctore*, inquit (*e*), *vulgo Antiquarii in hoc nummo & ſimilibus legunt*, Colonia Auguſta Aroë Patrenſis. *At, ſi re ipſa vetus illud nomen Patrarum fuit, non commemoraretur illud in nummis ſimul cum Patrenſi: nihilo certe magis, quam cum Cæſareæ Cappadocicæ nomine vetus Mazacæ nomen in nummis conjungitur; aut vetuſta Epheſi vel Corinthi, aliaque Urbium nomina, quæ commemorantur a Plinio.* Primæ Auguſtæ coloniæ *titulo Patrenſis colonia gloriatur, ut Primæ Flaviæ titulo Cæſarea Palæſtinæ. Litteram* A. *pro* primo *quoties in nummis occurrat, libri noſtri de nummis antiquis docent.* Ita Vir laudatus: cujus conjecturas ſententiamque amplectitur (*f*) eruditiſs. alter ejuſdem Societatis Vir P. Jobertus: qui addit, hujuſmodi conjecturam a nemine huc uſque fuiſſe deſtructam, aut oppugnatas rationes: notatque præter adducta ab Harduino exempla numquam in nummis nomen *Saldubæ* cum illo *Cæſar-Auguſtæ* occurrere; de qua Plinius (*g*), *Cæſar-Auguſta colonia immunis, amne Ibero adfuſa, ubi oppidum antea vocabatur Salduba.*

Antiquariorum opiniones.

(a) In num. Vid. Harduin. in num. Pop.

(b) Strab. Libro VIII. pag. 387.

(c) Lib. VII. c. 28. pag. 569.

(d) In Com. ad ipſum num.

Harduini & Joberti opinio.

(e) In num. Po. & Urb.

(f) In Scientia N. inter novas cognit.

(g) Lib. III. Sect. 4. juxta Hardu.

II. At,

II. At, quamvis in nummis nomen antiquum *Saldubæ* simul cum illo *Cæsar-Augustæ* non occurrat, occurrit tamen in lapidibus, quod idem est. Harduinus ipse, postquam Plinii de Salduba, seu Cæsar-Augusta textum, quem modo descripsimus, retulit, *Vetus*, inquit (*a*), *Inscriptio*, *in Thesauro Goltzii*, *pag.* 238. COL. CAESAREA AVG. SALDVBA. *Hodie* Saragosse, *in Aragonia*. Simul itaq; vetus ac novum ejus Urbis nomen occurrit in lapidibus, qui nummis æquivalent. Quod si nummorum exemplum flagitat Jobertus, rursum suggeret Harduinus, & quidem Urbis ipsius *Patrensis*. Describit itaque Harduinus inter alios ejus Urbis nummos, ex Goltzio duos illos inscriptos ΚΙΜΩΝ. ΑΡΧ ΠΑΤΡΕΩΝ. At mendose apud eumdem Goltzium ita exhiberi docet, *pro* ΑΡΟΗ ΠΑΤΡΕΩΝ, *Aroe Patrensium*, *uti nos*, ait, *Lutetiam Parisiorum dicimus*. En igitur, quod etiam in nummis, & quidem *Patrarum*, ac fatente Harduino vetus Urbis nomen cum posteriore occurrit. Addit ipse Harduinus exemplum nummi inscripti ΚΙΒΩΤΟϹ ΑΠΑΜΕΩΝ, quem his Plinii (*b*) verbis inlustrat (*c*): *Tertius Conventus Phrygiæ Apamiam vadit*, *ante appellatam Celænas*, *dein Ciboton*. Quare retinendam communem Antiquariorum de *Aroe Patrensium* sententiam credimus.

Firmatur communis Antiquariorum sententia.

(a) In num. Cæsar-Aug. inter illos Pop. & Urb.

(b) Lib. V. Sect. XXV. seu c. 25.

(c) In num. Apamiæ Phrygiæ inter illos Pop. & Urb.

Accedit, quod littera A in nummis quidem græcis, at nusquam in latinis, quod ego sciam, *Primam* significat. Sane nullum exemplum Harduinus aut Jobertus proferunt. *Primæ* nomen in nummis *Cæsareæ Palæstinæ*, non per litteram A, sed per illam P. (*d*) significatum est. Hinc etiam PR., aut omnino PRIMA (*e*) invenitur. At exemplo ipso rem prorsus conficiamus. Itaque in nummis referente ipso Harduino (*f*) legitur: COL. PRIMA FL. AVG. CAESAREA, idest, *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea*. Quam inscriptionem ut inlustret Vir Cl., Plinium numquam satis ab ipso laudatum, quique ipsi unus est pro pluribus aliis Scriptoribus, adducit, ubi scribit (*g*): *Stratonis turris*, *eadem Cæsarea*, *ab Herode Rege condita*: *nunc Colonia Prima Flavia*, *a Vespasiano Imperatore deducta*. Plinii auctoritatem, maxime quum rem tradat suorum temporum, nos ipsi, ut debemus, sequimur. At ex hoc loco argumentum in rem nostram conficimus: etenim Plinius docet *Stratonis Turrim* & *Cæsaream* unam eamdemq; Urbem esse, quæ prius scilicet *Stratonis Turris*, postea *Cæsarea* sit appellata ab Herode Rege. *Stratonis turris*, inquit, *eadem Cæsarea*,

(d) Apud ipsum Hard. in nummis Pop. & Urb.

(e) Apud eumd. ibid.

(f) Ibid.

(g) Lib. V. Sect. 14. seu cap. 13.

ab

ab Herode Rege condita. Hinc tradit, demum a Vespasiano *Coloniam Primam Flaviam* fuisse nuncupatam: *nunc Colonia Prima Flavia, a Vespasiano Imperatore deducta*. Tertio itaque nomine *Colonia Prima Flavia* appellata eadem Urbs, quæ primum *Stratonis Turris*, postea *Cæsarea* dicta fuerat. Quare tria hæc Urbs habuit nomina, nempe *Stratonis turris*, *Cæsareæ*, & *Coloniæ Primæ Flaviæ*. Ita enim intelligi debere Plinii locus videtur. Si itaque nomen *Coloniæ Primæ Flaviæ* successit nomini *Cæsareæ*, & tamen utrumq; copulatur in nummis, recte inde inferimus, nomen Urbium antiquum cum posteriore fuisse aliquando retentum. Testatur Strabo (*a*) ad sua tempora, qui Augusto Tiberioque imperantibus floruit, antiqua Urbium nomina in deducendis Coloniis retenta. Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι παραλαβόντες καὶ πέμψαντες ἐποίκους πολλαχοῦ, συνεφύλαξαν καὶ τὰ τῶν προεποικησάντων γένη: *Romani autem rerum potiti, quum Colonias in varia loca emitterent, nomina tamen eorum, qui prius ibi habitarunt, conservarunt*. Dio quoque Cassius (*b*) notat, Jul. Cæsarem Corinthum & Carthaginem deductis illuc colonis restaurasse, ἢ δὲ τοῖς ἀρχαίοις ἐτίμησεν ὀνόμασιν, *ac priscis nominibus cohonestasse, easque illorum memoriæ restituisse, qui olim easdem habitaverant*. Quæ quum ita sint, magis adhuc in ea confirmamur Antiquariorum sententia, quæ litteras COL. A. A. P. in nummis *Patrensium* explicari debere *Colonia Augusta Aroe Patrensis* docet. Quin omnino consentientem exhibeo Harduinum, utpote qui in calce Chronologiæ Veteris Testamenti (*c*), *Colonia*, inquit, *Augusta Aroe Patrensis in Achaja sub Claudio aliisque Augustis usque ad Gordianum juniorem* --- *nummos Latine inscripsit*, COL. A. A. PATR. Et, ut nullum hac de re aliisque aliter ac alibi traditis Lectori relinqueret dubitandi locum, ita eamdem Chronologiam concludit: *Si quid autem aliud in hac lucubratione statuere, quam olim ipsi scripsimus, subinde videmur; ne nos ibi quisquam idcirco priorum immemores, sed potius emendatores esse noverit*. Præterea in nummis Populorum & Urbium inlustratis meminit Vir Cl. plurium nummorum cum epigraphe COL. CAES. ANTIOCH., eosque Antiochiæ Pisidiæ adsignat; quum in Plinio (*d*) legat: *Pisidæ* --, *quorum Colonia Cæsarea, eadem Antiochia*. Describit (*e*) quoque nummum hunc media sui parte exesum: ETCEBEIAC ..... APEIAC., quem sic legi debere is est auctor: ETCEBEIAC KAICAPEIAC, & ad *Cæsaream Cappadociæ* refert: quam *Eusebiam*

(a) Lib. V. pag. 216. Edit. Amstel.

(b) Lib. XLIII. p. 238. E.

(c) Edit. Amstel. an. 1709. pag. 638. col. 1. in fine.

(d) Lib. V. Sect. XXIV. seu cap. 27.

(e) Inter Nummos Cæsareæ Cappad.

biam appellatam esse, ex Strabone monuerat in Plinianis Notis. Stephanus quoque ab eo citatur, ubi scribit: Καισάρεια, μητρόπολις τῆς Καππαδοκίας, ἡ πρὶν Εὐσέβεια, καὶ Μάζακα. *Cæsarea, Metropolis Cappadociæ, quæ prius Eusebia, & Mazaca.* Utrumque igitur nomen, prius nempe ac posterius in hoc nummo & superiori, Harduino adserente invenitur. Mirum porro non nemini videri potest, quum hæc ita sint apud Harduinum, adhuc legi apud ipsum ea, quæ contra interpretationem *Coloniæ Augustæ Aroe Patrensis* exscripsimus. Credi vero potest, Jobertum, quum sua scripsit, hæc, quæ Harduinus diversis in locis tradit, præ oculis aut præ memoria non habuisse.



ANIMADVERSIO VI.

IN

NUMMUM I. TABULÆ V.

I. 

Ir Clariſs. Harduinus Nummum Tiberii ex Theſauro Brandenburgico (*a*) deſcribit (*b*) cum hac epigraphe in parte poſtica PERMIS. P. CORNELI DOLABELLAE PROCOS. CPCAS.DD: & ita explicat poſtremas has litteras, *Coloniæ Patrenſis Cives Auguſtum ſalutant*, ſive *Auguſto ſalutem. Decreto Decuriorum*. In medio rurſum C. P. cum Mercurii effigie, *Coloniæ Patrenſis*. Subdit, hunc nummum in Theſauro laudato *Carthagini* perperam adtributum eſſe. *Proconſul Achajæ*, inquit, *P. Cornelius Dolabella hic fuiſſe dicitur*. Harduino in interpretandis litteris C. P. deputandoque *Coloniæ Patrenſi* nummo adſtipulatur alter Vir Cl. Chriſtianus Liebe (*c*). Carthagini tamen hunc & alios hujus generis nummos, poſt Vaillantium & Begerum, optime & eruditiſſime adſerit vindicatque Eruditiſſimus Havercampus (*d*). Numiſma quoque noſtrum exſcribit (*e*), & ita interpretatur: PERMIS*ſu publii* DOLABELLAE PROCO*nsulis cajo* L*urio*, [vel L*ucretio*, L*ucilio*, vel ſimili], GAVIO C*arthaginis* A*ntiquæ ſuffete coloniæ* I*uliæ* P*atrono*. Notat autem in parte nummi anteriore IMP*eratorem* VIII. inſcribi Tiberium. Hinc „ diſcimus, *inquit*, ex nummo hoc ſingulari, quo tempore „ fuerit erecta Carthagine ſtatua Tiberio viventi habitu Mercurji, videl. ſpatio intermedio A. U. C. DCCLXXI. DCCLXXII. „ vel DCCLXXIII. Imperator enim VIII. dictus eſt Tiberius victis a Germanico Cheruſcis A. U. C. DCCLXIX; Conſul III. „ cum Germanico Cæſare II. factus eſt A. U. C. DCCLXXI, „ & Conſul IV. cum filio Druſo Cæſare II. A. U. C. DCCLXXIV. „ Unde ſuſpicatur Vir acutiſs., poſitam hanc fuiſſe Tiberio ſtatuam A. U. C. DCCLXXII., quo civitates Aſiæ terræ motu dirutas reſtituit, & Carthago forſan vel aliquod beneficium ab eodem recepit, vel talem munificentiam in Principe ſuo mirata eſt. Alia pro ſua eruditione ſubdit de *Gavii* cognomine, & de titulo *Patroni Coloniæ*. Operæ proinde pretium erit ipſum perlegere. Nos interim noſtra, quæ in Commentariis

Harduini opinio de ſimili nummo.

(a) Tom. II. pag. 92.

(b) In num. Patrarum inter illos Pop. & Urb.

(c) Theſ. Saxo-Goth. Cap. XII. 20. pag. 412.

(d) Comment. in num. VIII. & IX. Famil. Cornel. p. 140. & ſeqq.

(e) Pag. 142.

adtigimus, persequemur & inlustrabimus.

II. Carthagini itaque in Africa magis, quam Patrensi Coloniæ in Achaja convenire Numisma Pisanum credimus. Quippe non legimus, Dolabellam, cujus *permissu* cusum illud est, Proconsulem egisse in Achaja. Discimus solum (*a*) ipsum *P. Cornelium Dolabellam Legatum Proprætorem Divi Augusti & Ti. Cæsaris Augusti* rexisse *civitates superioris provinciæ Hillyrici*. At vero habemus ex Tacito (*b*), Proconsulem egisse Africæ. Successit is Blæso, & *Populum* (*c*) *Romanum longo adversus Numidam Tacfarinatem bello absolvit*, ingenti parta victoria, anno U. C. DCCLXXVII. (*d*). Typus quoque Carthagini, primariæ Africæ Urbi congruit: Mercurium quippe exhibet ab ea cultum in vicino promontorio. Testis est Polybius (*e*), τὴν ἄκραν τὴν Ἑρμαίαν ἐπονομαζομένην, ἣ πρὸ παντὸς τοῦ περὶ τὴν Καρχηδόνα κόλπου κειμένη, *promontorium, quod e sinu toto Carthaginensi prominet, Hermæum*, id est Mercurii, fuisse *dictum*. Strabo etiam tradit (*f*), in sinu Carthaginensi exstitisse Tuneta civitatem & aquas calidas, & lapidicinas quasdam, εἶθ' ἡ Ἑρμαία ἄκρα τραχεῖα, *deinde Hermæa promontorium asperum*. Est vero alius nummus (*g*), Drusi nempe Cæsaris, capite Mercurii insignitus, cususq; PERMISSU L. APRONI. PROCOS. III., quem nummum ad incertas Urbes refert Vaillantius. *Camillo successerat* L. Apronius in Proconsulatu Africæ. Proconsulem vero agebat Camillus anno Urbis C. DCCLXX (*h*): cui ob partam de Tacfarinate victoriam (*i*) *decrevere patres triumphalia insignia*. Apronius autem non unum tantummodo annum Proconsulatum ejus provinciæ gessit. Nam adhuc anno U. C. DCCLXXIII. (*k*) Africam regebat (*l*), & cum Tacfarinate pugnabat. Hinc PROCOS. III., idest *Proconsul tertium*, sive *Proconsul tertio* jam *anno* inscribitur. Sequenti anno U. C. DCCLXXIIII. missis (*m*) ad Senatum litteris Tiberius, motam rursus Africam incursu Tacfarinatis docuit, judicioque Patrum deligendum Proconsulem, gnarum militiæ, corpore validum, & bello suffecturum: designatusque est Junius Blæsus: qui provinciam rexit anno U. C. DCCLXXV. ac DCCLXXVI: nam *provincia* (*n*) *Africa Junio Blæso prorogata*. Successit Blæso Dolabella anno U. Conditæ DCCLXXVII. *Is* (*o*) *demum annus Populum Rom. longo adversum Numidam Tacfarinatem bello absolvit*. Quod si Dolabellæ provincia non est prorogata, uti hujus rei nullum, quod ego sciam,

Auctoris opinio.

(a) Ex Lapide in Illyr. apud Lips. Com. in Tacit. Lib. IIII. An. c. 23. Apud Grut. p. CCCXCVI. n. 1.

(b) Loco nunc citato.

(c) Id. ibid.

(d) Chr. 24.

(e) Lib. I. Hist. c. 29.

(f) Lib. XVII. p. 573.

(g) Apud Vaill. in Colon. Tom. I. pag. 134.

(h) Chr. 17.

(i) Tacit. Lib. II. Ann. ad calcem ejus anni cap. 52.

(k) Chr. 20.

(l) Tacit. Lib. III. An. ad eumd. an. cap. 20.

(m) Id. eod. Lib. ad an. 774. c. 32.

(n) Id. Tacit. eod. Lib. III. An. ad an. U. C. 775. Chr. 22. cap. 58.

(o) Id. Tacit. Lib. IV. An. ad an. 777. cap. 23.

ſciam, occurrit monumentum, anno U. C. DCCLXXVII. cuſum eſt numiſma Piſanum, & quidem Carthagine, prout litteræ in eo conſpicuæ indicant.

III. Probandum nunc eſt atque ſtatuendum, Dolabellam in Achaja Proconſulem reapſe non fuiſſe, & eſſe non potuiſſe; quo tempore nummus Piſanus cuſus eſt. Hic igitur nummus caput & nomen Tiberii Imperatoris exhibet, adeoque hoc imperante cuſus eſt: immo, quum præferat co*nſulatum* Tiberii IIII, cuſus apparet inter annum U. C. DCCLXXIV., quo co*nſul* IIII. proceſſit, & annum DCCLXXXIV., quo Conſulatum V. accepit. At per hoc tempus Proconſulem Achajæ non egiſſe Dolabellam, aut agere non potuiſſe, hinc conſtat, quod alii eamdem provinciam rexerunt. In diviſione quidem imperii Romani ab Auguſto facta, *Achaja* cum reliqua Græcia (*a*) & Macedonia Senatui Populoque ceſſit adminiſtranda, adeoque Proconſules in eaſdem Senatus Populuſque mittebat. At paullo poſt mortem Auguſti Achaja ipſa Cæſari Tiberio data eſt. *Druſo* itaque *Cæſare* Tiberii filio, & *Cajo Norbano Coſs.* (*b*), anno ſcilicet U. C. DCCLXVIII., qui eſt alter poſt mortem Auguſti annus, *Achajam ac Macedoniam onera deprecantes* (*c*), *levari in præſens Proconſulari imperio, tradique Cæſari placuit*. Quare eodem anno *prorogatur* (*d*) *Poppæo Sabino Provincia Mœſia, additis Achaja & Macedonia*. Poppæus autem Sabinus reliquo vitæ ſuæ ac fere toto imperii Tiberii tempore his ſimul Provinciis præfuit, eique demum ſucceſſit Regulus, Dione Caſſio teſte, qui ita ſcribit (*e*) ad annum U. C. DCCLXXXVIII. (*f*), quo *fuere Coſs. C. Gallus & M. Servilius*. Ἐκ δὲ τούτου Γάϊος μὲν Γάλλος καὶ Μάρκος Σερουΐλιος ὑπάτευσαν —. Ποππαῖος δὲ Σαβῖνος, τῆς τε Μυσίας ἑκατέρας καὶ προσέτι καὶ τῆς Μακεδονίας ἐς ἐκεῖνο τοῦ χρόνου παρὰ πᾶσαν, (ὡς εἰπεῖν) τὴν τοῦ Τιβερίου ἀρχὴν ἡγεμονεύσας, ἥδιστα πρὸ ἀπηλλάγη, πρὶν τινὰ αἰτίαν λαβεῖν. Καὶ αὐτὸν ὁ Ῥήγουλος ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς διεδέξατο· καὶ γὰρ ἡ Μακεδονία, ὡς δέ τινες φασὶ, καὶ ἡ Ἀχαΐα, ἀκληρωτεὶ προσετάσσοντο. *Poppæus Sabinus, qui ad id uſque temporis, per omnem fere Tiberii principatum Mœſiæ utrique & Macedoniæ præfuerat, jucundiſſime vita deceſſit, antequam aliquod ei crimen impingeretur:* [nam tunc multi partim merito ſupplicio, partim per calumniam fuere puniti]. *Ei in præfectura Regulus ſucceſſit: nam Macedonia, ut quidam dicunt, & Achaja extra ſortem dabantur;* nempe ii, qui ad eas adminiſtrandas mittebantur, non per ſortem a Senatu Populoque eligebantur, ſed a

Confirmatur opinio Auctoris de Nummo Piſano Carthagini adjudicando.

(a) Dio Caſſ. Lib. LIII. pag. 503. D. Strab. Lib. XVII. verſ. finem.

(b) Chr. 15.

(c) Tacit. Lib. I. Annal. cap. 76.

(d) Id. paullo poſt.

(e) Lib. LVIII. pag. 637. B. C.

(f) Chr. 35.

ſolo Principe, cui ceſſerant eæ provinciæ, deſignabantur. Tiberius autem biennio poſt, anno ſcilicet U. C. DCCXC. *(a)* μετήλλαξε τῇ ἕκτῃ καὶ εἰκοστῇ τοῦ Μαρτίου ἡμέρᾳ *(b)*, *mortuus eſt die* XXVI. *Martii*. Quare nullus reſtat locus nullumque tempus, imperante Tiberio, Dolabellæ pro adminiſtranda Achaja.

Quod ſi locus tempuſque reſtaret, adhuc tamen non crederemus, tunc Dolabellam præfuiſſe Achajæ, quum ejus *Permiſſu* cuſum eſt numiſma Piſanum; quippe in eo dicitur PROCO*nsul*, quo nomine non vocabantur, qui Achajam imperante Tiberio regebant. Qui enim in Provincias cum ſummo imperio a Cæſare mittebantur, non *Proconſules*, ſed *Legati* ac *Proprætores* Cæſaris ſeu Principis nuncupabantur. Qui vero a Senatu Populoque eligebantur, *Proconſules* audiebant. Quum itaque *Africa* Senatui Populoque conceſſa fuiſſet *(c)*, qui eam regebant, *Proconſules* dicebantur. *Achajam* quoque Senatui ac Populo conceſſerat Auguſtus *(d)*, at initio principatus Tiberii illam cum *Macedonia (e) levari Proconſulari imperio, tradiq; Cæſari placuit*: ac proinde, qui eam adminiſtrabant, *Legati Prò-prætores* Cæſaris dici debuerunt. Hinc ipſi P. CORNELIO DOLABELLAE COS. --, ut LEG. PRO. PR. DIVI AVGVSTI ET TI. CAESARIS AVGVSTI monumentum dedicarunt *(f)* CIVITATES SVPERIORIS PROVINCIAE HILLYRICI, Dalmatiæ ſcilicet, quæ ſuperior erat *Hillyrico*. Et in recenſione Provinciarum, quæ in modo dicta imperii diviſione ab Auguſto facta, Senatui Populoque Romano contigerunt, quam Provinciam τῆς Ἰλλυρίδος, *Illyricum* vocat Strabo *(g)*, τὸ Δαλματικὸν τό, *Dalmatiam* Dio *(h)* nuncupat. Qui & mox ſubdit *(i)*, ὕστερον γὰρ τὴν μὲν Κύπρον καὶ τὴν Γαλατίαν τὴν περὶ Νάρβωνα τῷ δήμῳ ἀπέδωκεν, αὐτὸς δὲ τὴν Δαλματίαν ἀντέλαβε: *poſtea temporis ipſum* Auguſtum *Populo tradidiſſe Cyprum & Galliam Narbonenſem, ac pro eis recepiſſe Dalmatiam*. Hinc ejus ibidem *Legatus Pro-Prætore* fuit Dolabella, extremo ſcilicet imperii vitæque ejuſdem tempore, initioque Tiberii: ita enim indicare videtur laudatum monumentum: niſi *iterum* ibidem fuit *Legatus*; quod tamen non exprimitur, nec probabile videtur. Si igitur Achajam adminiſtraſſet pro Tiberio Dolabella, non *Proconſul*, ſed *Legatus Pro-Prætore* inſcriptus in nummo fuiſſet. Quin non ejus *Permiſſu*, ſed Imperatoris Tiberii cuſum potius fuiſſet idem numiſma Piſanum; quemadmodum factum obſervamus a Corinthiis imperante Domitiano; etenim illorum nummi *(k)* ita inſcribuntur: PERM*iſſu*

IMP*era-*

(a) Chr. 37.
(b) Id. Dio eod. Lib. pag. 639. B.
(c) Dio Lib. LIII. pag. 503. D. Strab. Lib. XVII. in fin.
(d) Iid. ibid.
(e) Tacit. Lib. I. Annal. cap. 76.
(f) Vid. ſupr. n. II. in princ.
(g) Ibid.
(h) Ibid.
(i) Pag. 504. A.
(k) Vid. Hardu. in num. Corint. pag. 45. Oper. Select.

imperatoris corinthus, vel colonia laus iulia corinthus permisſu imperatoris. Ipſi enim Imperatores Provincias, quas adminiſtrandas ſibi addixerant, regere volebant, adeoque nonniſi Legatos in eas mittebant, cauſſaſque majores ſibi reſervabant, inter quas cudendæ Monetæ facultas erat.

Poſt Tiberium quid factum ſit de Achaja, utrum ſcilicet ſub poteſtate Imperatorum manſerit, an Senatui Populoque reſtituta ſit, expreſſum non habemus: modo tamen his relictam, modo ab illis retentam ex monumentis arguimus. Imperante Claudio ſejuncta erat Achaja a Mœſia, & hæc a Legato Pro-Prætore Cæſaris adminiſtrabatur, illa a Proconſule, Senatus ſc. Populique Romani. Nam *Artium* quemdam habemus, qui inſcribitur (*a*) LEG. TI. CLAVDI. CAE. PR. PROVINC. MAESIAE LEG. IV. SCYT. V. MACED. PROCOS. PROV. ACHAIAE. *Univerſæ* (*b*) *Achajæ libertatem Domitius Nero dedit*. Imperante etiam Veſpaſiano Provincia Macedonia in poteſtate erat Senatus ac Populi; nam occurrit (*c*) PROCOS. PROVINCIAE MACEDONIAE. Subſecutis temporibus legimus (*d*) *T. Statilium Timocratem Memmianum* ΣΤΡΑΤΗΓΗΣΑΝΤΑ ΤΩΝ ΑΧΑΙΩΝ, Legatum egiſſe *Pro-Prætorem Achæorum*. Imperante Hadriano aut poſtea id contigit; nam ſubjungitur, egiſſe quoque *Agonothetam* Ludorum *Antinojorum Argis*, & *Antinojorum Mantineæ*; qui Ludi (*e*) in honorem *Antinoi* Hadriano cari ſunt inſtituti. Aliæ occurrunt inſcriptiones (*f*), in quibus modo Legati *Proprætores Provinciæ Achajæ*, modo *Proconſules* (*g*) *Provinciæ Achajæ* leguntur. Hinc variaſſe conſtat adminiſtrationem Achajæ; quod Dio quoque laudatus innuit, quum ſcribit, imperante Tiberio *Macedoniam & Achajam extra ſortem, ut quidam dicunt, datam fuiſſe*; ita enim aliquando a Cæſare, ſuo vero tempore, imperante ſc. Alexandro, a Senatu Populoque datam indicat. Nobis interim ſatis eſt, aperte, ni fallimur, probaſſe eo tempore, quo numiſma Piſanum cuſum eſt, Dolabellam eſſe non potuiſſe *Proconſulem* Achajæ, quippe ei Provinciæ Poppæus Sabinus præerat.

(a) Tom. II. Theſ. Inſcript. Murat. p. DCLXXVI. n. 3.
(b) Plin. Lib. IV. cap. 6.
(c) Pag. DCCLI. n. 5. ejuſd Tom. II. Murat.
(d) Pag. DLXI. n. 2. ejuſd. Tom.
(e) Vid. Com. noſtr. in num. 2. Tab. XIII.
(f) Pag. DCCX. n. 5. DCCXXXIX. num. 1. ejuſd. Theſ. & DCCLXIX. 1. & apud alios.
(g) Pag. DCCXXII. n. 7. DL. n. 2.

Inſcriptionis interpretatio.

IIII. De Epigraphe autem Piſani ejuſdem Numiſmatis, quod inluſtramus, hæc eſt noſtra opinio. Vel itaque ea ſic legitur: C. L. GAVIO CAS. PERMIS. P. DOLABELLAE PROCOS. C. P. I.; ac tum interpretari nos poſſe credimus: c*ajo* & l*ucio* gavio cas*ſio* permis*ſu* p*ublii* dolabellae procos*ulis* c*arthago* p*ia* i*ulia*. Hoc modo prænomina *Caji* ac *Lucii* unita eſſent,

quemad-

quemadmodum occurrunt pariter in nummis (*a*) C. L. CAESARES, id eſt *cajus* & LU*cius* c*æſares*: & apud Dionem (*b*) legimus: Πȣπλίȣ τε ϗ Γναίȣ Λεντέλȣ ὑπατευόντων, *Publio & Cneo Lentulo Conſulibus*. Vel, quod nobis magis placet, ita ſumitur ipſa inſcriptio: L. GAVIO. CAS. PERMIS. P. DOLABELLAE PROCOS. C. C. P. I.; ac tunc commode interpretari poſſumus: L*ucio* GAVIO CAS*ſio* PERMIS*ſu* P*ublii* DOLABELLAE PROCO*nsulis* c*olonia* c*arthago* P*ia* I*ulia*. Nec vero inſolitum, unum tantum e Duumviris, Triumviris, aut Quatuorviris nominari, ut nummos Coloniarum inſpicienti patet. De *Gaviis*, ſive *Gavionibus* ſatis laudatus Havercampus. *Colonia Carthago magnæ in veſtigiis Carthaginis* dicitur a Plinio (*c*). Auctor eſt poſt Strabonem (*d*) Dio (*e*), τὴν Καρχηδόνα τὴν τε Κόρινθον ἀνέςησε, Jul. Cæſarem *inſtauraſſe Carthaginem ac Corinthum*. Et tamquam peculiare ei tribuit non ſolum, τὴν δὲ Κόρινθον τὴν τε Καρχηδόνα, πόλεις ἀρχαίας, λαμπρὰς, ἐπισήμȣς, ἀπολωλυίας, ᾗ μέν ἀποικίας Ρωμαίων (εἶναι) ἐνόμισε δεῖν, ἀπῴκισεν· ᾗ δὲ τοῖς ἀρχαίοις ἐτίμησεν ὀνόμασιν, ἀπέδωκε τῇ μνήμῃ τῶν ἐνοικησάντων ποτὲ αὐτάς. κ. λ. *quod Corinthum & Carthaginem, Urbes antiquas, ſplendidas, inluſtres, quæ jam perierant, quatenus Romanorum Colonias eſſe debere ſtatuit, deductis illuc colonis condidit*; ſed etiam, *quatenus nominibus priſcis cohoneſtavit, & illorum eas memoriæ reſtituit, qui olim eas habitaverant*. Ita Carthaginem & Corinthum, quæ Urbes prius uno tempore deletæ fuerant, tunc ſimul quaſi reviviſcere cœpiſſe, claras olim rurſuſq; futuras, notat Dio. Cui fidem adſtruunt numiſmata, quippe habentur (*f*) *M. Antonii* Triumviri inſcripta: COL*onia* LA*us* IVL*ia* COR*inthus*, & cognomen I*uliæ* alia numiſmata tribuunt Carthagini: prout etiam in noſtro litteram I. nos interpretamur.

Reſtat littera P., quam nos P*iam* legimus. Occurrit hæc littera in nummis (*g*) ipſius Carthaginis Severo, Caracallæ, & Trajano Decio cuſis: quippe ſic habet eorum inſcriptio: COL. AVR. KAR. KOMM. P. F. Spanhemius (*h*) quidem, quem ſequitur Mediobarbus (*i*), ita explicat: COL*onia* AVR*elia* KAR*rhenorum* KOMM*agene* P*ia* F*elix*: at erudite Harduinus, teſte Cellario (*k*), ita interpretatur, COL*onia* AVR*elia* KAR*tago* KOMM*odiana* P*ia* F*elix*. Sane nummi Carrhenorum græce inſcripti ſunt: Carthago autem alias ſic occurrit (*l*) KAR., vel KARTHAGO. Sunt vero etiam aliæ Coloniæ, quæ *Piæ* ac *Felices* inſcribuntur. Barcino, Germe, Salona, ac Vienna, *Piæ*

dicuntur

(a) Num. Colon. apud Vaill. Mediob. & al.
(b) Lib. LIV. p. 529. C.
(c) Lib. V. cap. 4.
(d) Strab. Libro VIII. & XVII. verſus finem.
(e) Lib. XLIII. p. 238. E.
(f) Apud Vaillant. & n. 2 Tab. 1. Num. Colon. Muſ. Arigonii.
(g) Apud Mediob. ex Spanh. fol. 727.
(h) Ibid.
(i) In Severo.
(k) Geograph. Ant. Lib. IV. c. 4. LIII. 3.
(l) In num. Pop. & Urb. apud Harduin.

dicuntur (*a*): Comana vero, Heliopolis, Berytus, Oea, ac Sinope *Felices* vocantur. Addere possemus aliam litteræ P. in nummo Pisano interpretationem, quæ veri similitudine non careret, *Pacensis* nempe, cujus cognominis exempla in aliis Coloniis occurrunt. Quippe sunt nummi (*b*) inscripti COL. FL. PAC. DEVLT., id est COL*onia* FL*avia* PAC*ensis* DEVLT*on* in Thracia: tum etiam COL. PACENS. CLASS., id est COL*onia* PACENS*is* CLASS*ica*, quæ est Forum Julii in Provincia Narbonensi. Plinius (*c*) *Forum Julii*, inquit, *Octavanorum Colonia*, *quæ Pacensis appellatur & Classica*. Pacensem vero *a pace* dictam fuisse, subdit Harduinus (*d*). *Pacensis* itaque dici potuit etiam Colonia Carthago; diruta quippe bellis veteri Carthagine, quæ nova surrexit, paci omnino studuit. Tertiam quoque interpretationem ariolando suggerimus. *Prima* (*e*) *extra Italiam Colonia Carthago condita est:* adeoque *Primam* etiam in nummis se inscripsisse, credi potest: quemadmodum (*f*) COL. P. FL. AVG. CAESAREA, seu COL. PRIMA FL. AVG. CAESAREA, id est *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea* Palæstinæ inscribitur. Gloriæ porro sibi duxisse videri possunt Carthaginenses, quod *Primi* essent Romanorum extra Italiam coloni. Atque hæc sunt, quæ ad inlustrandam partem posticam numismatis Pisani in promptu nunc habemus.

De titulo Imp. VIII. Tiberii.

V. Partem Numismatis anticam jam inlustravimus in Commentariis. Indicare tamen heic debemus, cur titulum IMP*eratoris* VIII. Tiberio partum anno U. C. DCCLXXIV. ibidem diximus: quum Cl. Havercampus in annum U. C. DCCLXIX. & ad victoriam Germanici de Cheruscis eum retrahat, ut supra exposuimus. Sane *magna ea* de Cheruscis *victoria*, *neque cruenta nobis fuit*, inquit Tacitus (*g*), ac *miles in loco prælii Tiberium Imperatorem salutavit*. Hinc etiam Mediobarbus ad hunc annum scribit (*h*), *Victis a Germanico*, *cum Arminio Cheruscis*, IMP. VIII. *ab exercitu salutatum Tiberium*: & nummum mox adfert titulo IMP. VIII. insignitum. At hic nummus nullam habet notam temporis, quo signatus est. Ceterum omnes alii nummi, qui quidem plures sunt, ac Tribunicia Potestate notantur, adhuc sequentibus annis titulum tantum IMP. VII, quem ante imperium susceperat Tiberius, apud ipsum Mediobarbum præferunt. Nedum igitur titulus IMP. VII. in iis conjungitur cum TR. P. XVIII., quam eodem anno U. C. DCCLXIX. (*i*) Vir Cl. exorditur, verum etiam copulatur cum TR. P.

XIX.,

(a) Vid. Hardu. in num. Popul. & Urb. ac Vaill. in Colon.

(b) Apud eosd.

(c) Lib. III. c. 4.

(d) In num. Pop. & Urb.

(e) Vellej. Lib. II Hist. c. 13.

(f) In num. apud Hardu. inter illos Pop.

(g) Lib. II. An. ad eumd. an. c. 18.

(h) In Indic. num.

(i) Chr. 16.

XIX., XX., XXI., XXII. ac XXIII., ita ut demum in TRIBVN. POTEST. XXIIII. incipiat titulus IMP. VIII. Quod etiam in aliis apud alios (*a*) nummis videtur. Porro Tribuniciam Poteſtatem Tiberii XXIIII. die XXVII. Junii anno U. C. DCCLXXV. (*b*) Mediobarbus cum aliis auſpicatur, nos anno proxime præcedenti die x. Decem. incipimus: adeoque hoc vel illo anno adquiſitus eſt Tiberio titulus IMP*eratoris* VIII. Nobis noſtræque numerandi Tribuniciam Poteſtatem rationi favet Tacitus, qui bellum Galliarum, unde titulus IMP. VIII. provenit Tiberio, geſtum refert anno U. C. DCCLXXIIII. *Eodem anno*, inquit (*c*), *Galliarum civitates ob magnitudinem æris alieni rebellionem cœptavere: cujus exſtimulator acerrimus inter Treveros Julius Florus, apud Æduos Julius Sacrovir*. &c. Deſcribit autem inde bellum ipſum, concluditque eodem anno. Hinc Vellejus ait (*d*), *quantæ molis bellum, principe Galliarum ciente Sacroviro Floroque Julio, mira celeritate ac virtute compreſſit* Tiberius? *ut ante Populus Romanus viciſſe ſe, quam bellare cognoſceret, nuntioſque periculi, victoriæ præcederet nuntius*. Quæ quum ita ſint, titulum *Imperatoris* ob victoriam de Cheruſcis aliiſq; *inter Rhenum Albimque nationibus* partum atque delatum Tiberius recuſaſſe videtur: nam a TRIB. POT. XIII., quam vivo Auguſto iniit, ad XXIIII. nonniſi IMP. VII. inſcribitur in nummis apud Mediobarbum & alios. Neque vero hoc mirum alicui eſſe debet: nam Tiberius, etſi plures poſt ſuſceptum imperium victorias retulit, tamen unica tantum vice *Imperatoris* titulum admiſit, *octavum* in ordine.

(a) Hardu. in H. A, Muſ. Theup. pag. 390. & al.

(b) Chr. 22.

(c) Lib. III. Hiſt. ad eumd. annum cap. 40.

(d) In calce Libr. II. Hiſt.



INDEX

INDEX.

A

B

C

D

 ſta-

E

F

H

I

N

O

P

V

ADDEN-

ADDENDA ET CORRIGENDA
IN ANIMADVERSIONE
DE TRIBUNICIA POTESTATE.



SI cui displicet duplex, quod suasimus (1), renovandæ quotannis *Tribuniciæ Potestatis* Augustorum Cæsarumque Romanorum, principium, utpote quod nonnihil confusionis parere videatur, eo abjecto, quod anniversaria primum sumptæ ejusdem Potestatis die nititur, alterum diei X. Decembris retinebimus. Extenuando autem illi, qui aliquantus inde provenit, Consulatuum cum Tribunicia Potestate dissensui inservire quam maxime poterit jam descripta (2) firmataque a nobis, & apud Antiquarios recepta Cl. Pagii sententia, quæ docet, *Cæsares & Augustos Consules designatos, Consules absolute quandoque appellari*. Cui sententiæ calculo suo gravissimo multum ponderis nuper addidit Eruditiss. & harum rerum peritissimus Baro Bimardus (3). Inscitia quoque & incuria Monetariorum caussa aliquando hujusmodi dissensus esse potuit. Non facile tamen has ipsas nos caussabimur, ne pessimum illud in re nummaria instaurare videamur exemplum, nummos, qui placitis adversantur nostris, rejiciendi. In Fastis potius Consularibus timere errata poterimus; quippe quæ manifesta, nec infrequentia in iis prostant. Consularis etiam Potestas, sive Consulare Imperium, si quidem in numerum Consulatuum venisse, ut probare conati sumus (4), concedatur, tollere hujusmodi dissensum poterit.

Verum, quia in Flaviis Imperatoribus, Vespasiano, Tito, atque Domitiano præcipuus hæret difficultatis nodus, peculiarem hujus imperii rationem animadvertendam proponimus. Dilationem Tribuniciæ Potestatis post admissum imperium, rarum, immo unicum exemplum, jam notavimus (5). Occurrunt vero etiam nummi cum ΕΤΟΥC ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ, *Anno Novo Sacro*, numeris diversorum uniuscujusque Imperatoris annorum adjectis: hujusmodi vero nummos vix in uno alteroque reliquorum Imperatorum, Nerva scil. & Decio (6), & quidem *anno* tantum *primo* videre hucusque contigit. Multiplices ac dissentientes Antiquariorum (7) in his explicandis opiniones promere & examinare heic supersedemus. Id tantum innuimus, quod vero propius nos credimus, nempe hos annos Tribuniciæ Potestati respondere, adeoque *Sacros* esse nominatos: Tribunicia enim Pot. *Sacra* erat, *Sacros*que (8) reddebat Imperatores. *Novi* autem dici potuerunt iidem anni propter *novitatem*, quam Vespasianus induxerat, differendæ ejusdem Potestatis. Ut ut res habuerit, duo sunt Flavio imperio peculiaria, dilatio scil. Tribuniciæ Pot., & *anni novi sacri*:

(1) *Heic pagg.* 33. *& seqq.* 89. 99. 104. 110. 112. 114. 115. 117. 130.

(2) *Animadv. VI. de Cos. p.* 122. *& seqq. tum heic p.* 47 *& seq.*

(3) *Not. in Instr. V. sc. num. Job. p.* 204. *Tom. I.*

(4) *Pag. heic* 49.

(5) *Heic pag.* 111.

(6) *Unicum Decii unus exhibet Frælich, & nos exscripsimus heic pag.* 166.

(7) *Vid. Seguin. & Pioven. Tom. IX. Mus. Farnes. Tab. I. n.* 12. *p.* 35. *Frælich Quat. Tent. p.* 342.

(8) *Vid. heic pag.* 1. *&* 5.

quæ duo, quoties de Tribunicia Poteſtate Imperatorum univerſe agitur, Flaviano ipſi imperio excipiendo ſatis eſſe poſſunt.

At, quod majoris eſt momenti, Sententia, quæ ſtatuit, annos Imperatorum in nummis Ægyptiis, non quidem die Principatus anniverſaria, ſed cum civili ipſorum Ægyptiorum anno renovatos multiplicatosque quotannis fuiſſe, potior jam apud Antiquarios evaſit. Nedum enim poſt Pagium (1) eam amplexus tutatusque eſt doctiſſimus Turrius (2), verum etiam ei acceſſit laudatus Bimardus (3), Antiquariorum noſtri temporis facile Princeps. Qui & teſtatur, Pariſienſi Politiorum Litterarum Academiæ exhibitam lectamque Diſſertationem fuiſſe, qua probatum eſt, in iisdem Ægyptiis nummis annos Imperatorum omnium non a die Electionis eorum, ſed a prima Ægyptii ejus anni die, intra quem ad imperium ſunt evecti, numeratos fuiſſe. Certum porro indubitatumque eſt, hujusmodi annos pari gradu eisdemque cum Tribunicia Poteſtate numeris (4) proceſſiſſe: hinc Tribuniciam ipſam Pot. cum anno Tribunorum civili renovare ac multiplicare, nos etiam poſſe credimus, una vel maxime interveniente cauſſa, eademque urgente neceſſitate. Nam ſive Tribunicia Pot., ſive anni Ægyptii die Principatus anniverſaria renoventur, tempus ipſo Principatu majus exſurgit (5). Vera præterea eſſe non poteſt ea in nummis Ægyptiis dinumeratio annorum, niſi talis ſit etiam illa Tribuniciæ Pot.; Dione enim teſte (6), *Juxta Tribuniciam Pot. dinumeratio annorum Principatus procedebat*. Quin renovaſſe cum Tribunis Pl. eamdem Imperatores Poteſtatem, aperte Dionem ipſum docere nobis videtur, quum ſubdit, ita ſe geſſiſſe Imperatores, *quaſi & ipſi ſingulo quoque anno eam cum Tribunis Pl. ordinariis acciperent*. Sane Auguſtus, qui reliquis Imperatoribus auctor & exemplum Tribuniciæ Pot. exſtitit, quum factus ſit *Tribunus Plebis perpetuus* (7), Tribuniciam Pot. nonniſi cum Tribunis Pl. ordinariis cujusque anni renovare debuit; quemadmodum Conſulatum nonniſi cum Conſulibus ordinariis cujusque anni renovaſſet, ſi Conſul perpetuus factus fuiſſet. *Recepit* Jul. Cæſar (8) *continuum Conſulatum*, numerumque Conſulatuum Kalendis Jan. ſingulo quoque anno multiplicavit, quamvis *tertium & quartum* (9) *Conſulatum* (10) *titulo tenus geſſit*. Primum acceperat anno U. C. *695.*, qui numerus annorum Urbis male heic pag. 4. (f) excurrit ad Conſulatum *Pompeji & Craſſi*: qui non ante, ſed paullo poſt, anno ſc. U. C. *699.* geſtus eſt.

Meam de Tribunicia Pot. opinionem cum V. C. Mario Lupo Canonico Bergomenſi communicatam, ab eo referri (11) obſervo: At, ut phraſi utar Toinardi (12), *minus appoſite* ſubdi a Cl. Auctore mihi videtur, quod, *quum & ego ipſe pluries ſummam rei difficultatem atque ambiguitatem profitear*, ſibi *locus relinquitur aſſerendi*, *non adeo eſſe exploratum ſemper a ſuperiorum Principum obitu inſequentium annos fuiſſe numeratos*. Nos enim circa tempus renovandæ Trib. Pot. præcipue verſamur,

(1) *Vid. heic pag. 62*
(2) *Vid. heic pag. 63*
(3) *Not. in Sc. num. Job. p. 292. Tom. II.*
(4) *Heic p. 60. & ſeq.*
(5) *Vid. heic pag. 28. & 64. cum ſeq.*
(6) *Lib. LIII. p. 508. D. Vid. heic p. 57.*
(7) *Id. Dio eod. Lib. p. 518. F. Vid. heic pag. 4.*
(8) *Svet. in Vit. c. 76.*
(9) *Id. ibid.*
(10) *Tertium an. 708. quart. 709.*
(11) *Diſſ. I. de Not. Chronol. anni mortis & Nativ. D. N. J. Chriſti, Rom. 1744. p. 77.*
(12) *Vid. heic pag. 24.*

DE

DE SULPICIO ANTONINO

Ad pag. 181.



EXhibet Cl. Bimardus (1) nummum illum aureum Domini *Cary*, postea D. *de Cleves*, cujus nummi primus meminit Marchio Maffejus, & in quo est caput laureatum cum epigraphe L IVL AVR SVLP VRA ANTONINVS: & in parte postica mulier stolata stat cum gubernaculo in dextra & cornucopiæ in sinistra, ac litteris FECVNDITAS AVG. Testatur porro Bimardus (2), peritos omnes, quotquot adtente nummum examinarunt, illum omni procul dubio antiquum judicasse. Hinc notat, Zosimum (3) *Antonini* & *Uranii* Tyrannorum, imperante Sev. Alexandro mentionem facere: creditque *Antoninum* esse probabiliter eumdem cum *Taurino* Aurelii Victoris (4) Paullique Diaconi. Subdit, Syncellum (5) de *Uranio* tantum loqui; ideoque veretur, ne ex unico *Uranio Antonino* duplicem exsculpserit Zosimus Tyrannum. Locum tamen opinandi inesse docet, *Uranium*, qui, postquam *fuga se eripuit Antoninus* (6), elevatus est, huic adfinem fuisse, adeo ut, quum juris ad imperium heres quodammodo ejusdem exstiterit, nomen quoque adoptaverit *Antonini*, militibus & Reip. carum, addideritque aliis nominibus plurium insignium familiarum, e quibus originem forte duxerit per feminas. Quam in rem nonnullis adductis conjecturis, certum sibi videri concludit, ad *Uranium*, Zosimi ac Syncelli Tyrannum, nummum pertinere; quum periti omnes conveniant, ejus fabricam omnino eamdem esse cum fabrica nummorum Alexandri.

(1) *Add. ad Sc. num. Job. p.* 388. *Tom. II.*
(2) *Ibid. pag.* 348. *& seqq.*
(3) *Lib. I. c.* 12.
(4) *Cap.* 24.
(5) *Chronogr. pag.* 359.
(6) *Zosim.*

Hinc laudat Bimardus (7) nummum Cl. Haymii (8) cum *Imp. Sulpicio Antonino Aug.*, & *anno Emisenorum Coloniæ*, (sive Seleucidarum) DLXV., quem cœpisse autumno U. C. MVI. Chr. CCLIII., & cum secundo Valeriani & Gallieni decurrisse subdit. Citat vero Zosimum (9), ubi hic tradit, *adversus Gallienum rebellasse Cecropem Maurum*, *Aureolum*, *Antoninum*, *aliosque*. Et, quamvis ad tempus Scythicæ in Italiam irruptionis, quæ anno Chr. CCLVIII. vel sequenti contigit, id referre historicus videatur, quum tamen temporis ordo ibi desit, id solum ex Zosimo concludendum docet, imperante Gallieno *Antoninum* exstitisse Tyrannum. Quem quidem ratione nominum *Sulpicii* & *Antonini*, filium fuisse *L. Jul. Aurelii Sulpicii Uranii Antonini*, conjicere nos posse subdit. Genus tamen, quod Haymius contexit *Sulpicii Antonini*, inter puras conjecturas refert Bimardus; quemadmodum haberi ea etiam vult, quæ de eodem *Antonino* & *Uranio* a se traduntur, quæque ab aliis dicantur, antequam plura occurrant utriusque numismata.

(7) *Pag.* 352.
(8) *Tesoro Brit. Tom. I. p.* 278.
(9) *Lib. I. c.* 38.

Ut itaque nos etiam nostras jungamus conjecturas, in primis observamus, Zosimum *Antonini* defectionem cum Scythica irruptione * prorsus copulare. Ad hoc vero tempus ipsius *Antonini* imperium durare non potuisse, jam animadvertimus (10). Præterea si ea defectio initio imperii Valeriani & Gallieni contigisset, potius contra Valerianum facta dici debuit: certe Valerianus ipse taceri non debuisset.

* Ἐν τούτῳ, *eodem tempore.*
(10) *Pag. heic* 182.

Vidimus Venetiis atque tractavimus in ditissimo Museo Inl. Apostoli Zeni nummum æreum mediæ formæ cum ejusdem *Sulpicii Antonini* capite eademque epigraphe nummi Haymii. In parte tamen postica est Aquila, residuæque hæ litteræ ΞΟΥCΙ, quæ ex aliis hujusmodi nummis Antiochiæ Syriæ deputatis, ita suppleri possunt, ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ, h. e. *Tribuniciæ Potestatis.* Hujus nummi fabrica, Zeni ipsius aliorumque peritorum judicio, superiora Gallieno tempora refert, & cum fabrica nummorum Elagabali omnino convenit; nec vultus in eo, Elagabali vultui dissimilis. In nummo quoque Haymii

Elagabalum conspicere Antiquarii sibi videntur Cl. Maffejo teste (1); qui & subdit, ad Caracallam retulisse V. Cl. Patarolium, [uti & nos (2) fecimus], sed effigiem nequaquam favere. Favet tamen rursus Elagabalo typus partis posterioris; in hac enim est Templum, & in eo *Lapis quidam magnus in acutum desinens, & Coni habens figuram*, (3) qualis erat figura Dei Elagabali apud Emisenos, ubi Sacerdos fuerat Antoninus (4), nomenque sortitus erat *Elagabali*. Notat laudatus Maffejus (5), Emisenorum quidem Epocham, quæ Seleucidarum est sive Græcorum, ut in Machabæorum Libris dicitur, ævo Elagabali non respondere; *sed nihil facilius fuit*, inquit, *quam numerales notas depravare, quarum etiam perperam secunda depingitur*. In nummo tamen Zenio eadem littera sub hac ipsa figura ♊ exhibetur; major ut inde constet nummorum adfinitas. De duplici potius apud Emisenos Epocha dubitare quis forsan amet. Observat tamen Maffejus, Antoninum Tyrannum sub Gallieno memorari a Zosimo: *& de statu*, demum ait, *numismatis, ut cum ICtis loquar*, prototypo non inspecto, ἐπέχω, *qui nonnumquam adbuc ambigam prototypis inspectis*.

De Nummo autem *Uranii* liceat rursum nobis has addere conjecturas. Auctor est Zosimus, ab ipso Bimardo citatus, *Uranium* Tyrannum *stirpe servum fuisse*, ἐκ δούλου φύς. *Uranius* vero nummi nobilissimum se prodidit, adjectis sibi plurium insignium familiarum nominibus, iisque tot ac tantis, ut difficile cuiquam alii Imperatorum aptari queant, nisi forte Elagabalo juxta plura ejusdem matrimonia. Nam primum duxit *Juliam Paullam*, inde *Jul. Aquiliam Severam* (6); ex quibus dici potuit *Julius*: *Aurelius* vero, quia *tertiam duxit referentem genus ad Commodum* (7) Aureliæ familiæ Imperatorem. Hac etiam repudiata aliam atque aliam duxit; *postea vero ad Severam rediit* (8). Earum aliqua ex *Sulpicia* gente esse potuit, aut *Sulpicius* adparere ipse voluit; unde & *Lucii* prænomen ei genti familiare prætulit. Famosæ etiam fuerunt nuptiæ (9), quibus Elagabalo suo Deo Uraniam Deam hic Imperator adjunxit. Et has forte nuptias respicit FECVNDITAS AVG in parte nummi posteriore; nisi potius respiciat summam ipsius Imperatoris inpudicitiam (10). Quemadmodum vero ex cultu numinis *Elagabali* cognominatus est etiam ipse *Elagabalus*, ita quoque *Uranius* ab *Urania* Dei uxore dici potuit.

Est nummus argenteus in Museo Abb. Rothelini, referente Bimardo (11), cum nitidissima hac epigraphe ANTONINVS V. PIVS FEL. AVG. Litteram V artificis incuriæ Bimardus ipse (12) tribuit. At nos, qui ab impingenda erroris dica, quantum possumus, abstinemus, initialem potius & indicem cognominis *Uranii* esse eam litteram subdubitamus. Quod si ita esset, nummum quoque superiorem hic alter vindicaret Elagabalo. Hæc tamen omnia inter puras putas conjecturas, Bimardum imitati, nos etiam rejicimus, & ab aliis haberi volumus.

(1) *Gall. Ant. ep. XXII. Apost. Zeno inscr.*
(2) *Pag. heic* 182.
(3) *Herodian. Lib. V. c.* 5.
(4) *Id. eod. Lib. c.* 13
(5) *Ibid.*
(6) *Vid. heic pag.* 138.
(7) *Ibid.*
(8) *Pag. heic* 139.
(9) *Herodian. Lib. V. & Xiphil. in Vit.*
(10) *Pag. heic* 139.
(11) *Not. in Sc. Num. Job. Tom. I. pag.* 284.
(12) *Ibid.*

F I N I S.

